INSTRUCTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ,

TOMUS QUARTUS.

In quo

DE OBJECTIS MISCELLANEIS

COPIOSA ET SELECTA PRO CONCIONIBUS, EXHORTATIONIBUS, aliisque ſpiritualibus Inſtructionibus materia,

NEMPE

DEFINITIONES, DIVISIONES, SENTENTIÆ SS. SCRIPTURÆ, & SS. Patrum, Hiſtoriæ Sacræ & profanæ, Similitudines, Motiva, Media, Doctrinæ Aſceticæ, Conceptus prædicabiles, Miſcellanea, Axiomata, & Proverbia, & tandem Loca Authorum fuſiùs de tali materia tractantium, ex optimis quibusque Authoribus, ſingulari delectu & induſtriâ collecta, faciliſque, ordinatâ, & gratâ Methodo digeſta proponuntur.

Opus omnibus animarum Paſtoribus, nec non Divini Verbi Præconibus, & vitæ Aſceticæ Studioſis inprimis utile, & ad levandos Concionum labores accommodatum; cui præter alios Indices copioſus Index concionum pro Dominicis & Feſtis totius anni adjunctus eſt.

Operâ ac Studio

R. P. TOBIAE LOHNER,
SOC. JESU PRESBYTERI.

Cum Grat. & Privil. *Sac. Cæſ. Maieſt.*
Et facultate *Superiorum.*





DILINGÆ,
Typis, & Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.
Per JOANNEM FEDERLE.
ANNO M. DC. LXXXI.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

NON immeritò nonnulli Bibliothecas Ergasteriis seu tabernis, in quibus merces venales asservantur, compararunt; ut enim in his res variæ quotidianis usibus necessariæ, venales proponuntur, sed cum hoc discrimine, ut illæ merces, quæ frequentiùs emuntur, maiori quoque in copia ibi reperiantur; in minori verò quantitate illæ, quæ rariùs ab Emptoribus expetuntur; ita in Bibliothecis quoque, quidquid pro variis Doctorum ac Concionatorum muneribus necessarium est, magis vel minùs copiosè, prout scilicet materia & librorum qualitas & necessitas suadet, reperire est. Id, quod in mea quoque Bibliotheca Manuali observandum censui, in cuius quidem anterioribus ea, quæ magis ad praxin necessaria videbantur, fusiùs sunt explicata; nunc verò, ne pro aliis quoque discursibus, casibúsque rariùs occurrentibus materiam tibi deesse queraris, Amice Lector, hanc quoque in præsenti offerre volui, non quidem eá prolixitate, & Methodo, quam in prioribus partibus, observavi, explicatam, sed paucis duntaxat titulis, prout necessitas vel utilitas exigere videbatur, comprehensam. Et sic tandem tota hæc Bibliotheca Manualis absolvetur, quam sicut in tuum præcipuè commodum ac subsidium magno labore ac sollicitudine collectam, sincero tibi affectu offero, ita pari à te benevolentia accipiendam, & ad eum, quem præfixi, Scopum sedulò ac frequenter usurpandam esse confido. Hoc unicum sanè si præstiteris, gratissimum officium rependisti, & qualemcunque meum laborem abundanter ac pro voto compensâsti. Vale.

INDEX



INDEX TITULORUM
HUJUS TOMI.



BIBLIO-



BIBLIOTHECAE MANUALIS CONCIONATORIÆ

TOMI IV. TITULUS I.

ABNEGATIO SUIIPSIUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Basil. in reg. fusius disp. — *Julius Fat. de Mortif. c. 9.*



Est juxta S. Basilium summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atque à suis voluptatibus recessio. Quasi diceret, inquit Julius Fatius, Abnegationis proprium munus est, delere ex mente nostra, affectu plenam memoriam rerum secularium, & abducere nos ab amore, affectúque inordinato erga nosipsos. Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus, quid est, inquit, semetipsum abnegare, nisi voluptatibus propriis renunciare?

S. Bern. s. 7. de convers. ad clericos.

Divisio.

II. Dividitur in abnegationem *Carnis*, & *Spiritûs*; illa est, per quam carni negamus, quod contra legem Divinam, ac rationis rectitudinem postulat; de qua sic loquitur Cassianus: Post rerum externarum renunciationem, illud est cunctorum luctaminum veluti quoddam solidissimum fundamentum, ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur; nam nullus, carne non devictâ, legitimè poterit decertare. Abnegatio Spiritûs est, quâ Animæ negatur, quod inordinatè appetit; & iterum in abnegationem *intellectûs* & *voluntatis* subdividitur: nam in corde, teste S. Bernardo, duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium; lepra utique nimis pessima, eóque perniciosior, quò magis interior.

Cassian. l. 5. instit. c. 16. — *S. Bern. s. 3. de resurrect.*

Actus.

III. Hos P. Ludovicus de Ponte, ut in vita ejus manuscripta videre est, assignavit, dum sic loquitur: Abnegationem perfectam cognovi, in magna vigilantia ad sentiendum motus inordinatos animæ, & ad reprimendum statim, & castigandum nos pro illis. Sicut fortis Miles viso hoste eum aggreditur, & necat, & timorem incutit aliis, ne accedant; ita est genus pietatis, in hac parte secum esse crudelem. Hæ motuum inordinationes rediguntur ad quatuor.

Lancic. opusc. 10. c. 15. n. 205.

IV. Prima inordinatio est in cogitationibus & imaginationibus de rebus noxiis, vel vanis, vel impertinentibus illo tempore, vel cum nimia sollicitudine.

V. Secunda est in affectionibus & volitionibus rerum prohibitarum, uti sunt affectio Superbiæ, Iræ, Invidiæ, & aliæ: Vel quoad modos prohibitos, uti est turbatio, vel inquieta propensio ad concionandum, sciendum, & circa officium proprium.

VI. Tertia est in repugnantiis erga opera virtutum, cum tepiditate annexa circa illa, uti sunt opera cultûs Divini, obedientiæ, amoris proximorum.

VII. Quarta est libertas sensuum, in videndo, audiendo, loquendo, exeundo ad has res cum impetu, curiositate, libertate &c. Quòd si in his quatuor generibus inordinationum me mortificabo & negabo, tollam impedimenta unionis cum DEO, & perfectæ familiaritatis cum illo, & potero dicere: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Matth. 16. v. 24.*

II. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matth. 5. v. 29.*

Necessitas.

III. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. *1. Cor. 9. v. 27.*

IV. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ con- *Eccl. 18. v. 30.*

concupiscentias ejus; faciet te in gaudium inimicis tuis.

Ierem. 4. v. 4. V. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem: ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum.

Utilitas.

Io. 12. v. 24. VI. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Ib. v. 25. VII. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Dignitas.

Gal. 5. v. 24. VIII. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Greg. super Ezech. I. Semetipsum abnegat, qui mutatus ad meliura incipit esse, quod non erat, & desinit esse, quod erat. Quia licet Homo quoad substantiam suam manet idem, qui ante; quoad animi tamen qualitatem oportet, ut mutetur, & fiat alius homo.

Cassian. coll. 24. c. 26. II. Qui sunt violenti illi, qui regnum cœlorum rapiunt? nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili, omni se præsentium rerum voluptate fraudant, & voce Dominicâ egregii direptores pronunciantur, & per ejuscemodi rapinam regnum cœlorum violenter invadunt. Isti sunt profectò laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, &, ut expressiùs dicam, executio voluntatum, desideriorúmque nostrorum.

Necessitas.

S. Clim. gr. 2. III. Nemo in cœlestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam, & secundam, & tertiam negationem impleverit, ut scilicet & primò renuntiet rebus omnibus humanis, & Parentibus: secundò voluntati propriæ: tertiò inani gloriæ, quæ solet obedientiam subsequi.

Glossa sup. Luc. IV. Nisi quis à semetipso deficiat, ad DEUM, qui supra se est, non appropinquat.

Dignitas.

S. Diadoch. c. 4. V. Omnes homines sumus ad imaginem DEI: illud autem *ad similitudinem* illorum tantùm est, qui per multam caritatem, libertatem suam DEO in servitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per caritatem reconciliavit.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Necessitas.

I. Fili, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges temetipsum; *L. 3. c. 32. §. 1.*
compediti sunt omnes proprietarii, & suipsius amatores, cupidi, curiosi, gyrovagi, quærentes semper mollia, non quæ JESU Christi, sed hoc sæpe fingentes & componentes, quod non stabit; peribit enim totum, quod non est ex DEO ortum.

II. Adhuc multa habes ad relinquendum, *Ib. §. 2.*
quæ nisi ex integro mihi resignaveris, non acquires, quod postulas.

III. Quandocunque homo aliquid inordinatè appetit, statim inquietus fit. *L. 1. c. 6. §. 1.*

IV. Homo, qui necdum perfectè in se mortuus est, citò tentatur, & vincitur in parvis & vilibus rebus. Sæpe habet tristitiam, cùm se subtrahit: leviter etiam indignatur, si quis ei resistit. *Ibid.*

Jucunditas.

V. Resistendo passionibus invenitur pax vera cordis, non eis serviendo. *Ib. §. 2.*

VI. Tene breve & consummatum verbum: dimitte omnia, & invenies omnia: relinque cupidinem, & invenies requiem. *L. 3. c. 32. §. 1.*

VII. Utinam sic tecum esset, & ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum purè stares, & ejus, quem tibi præposui, Patris, tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret. *Ib. §. 2.*

Utilitas.

VIII. Fili, quantùm à te vales exire, tantùm in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit; sic se interiùs relinquere, DEO conjungit. Volo, te perfectam addiscere abnegationem in voluntate mea, sine contradictione & querela. *L. 3. c. 56. §. 4.*

§. V. EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.

I. Salamanus cùm priùs in sua domuncula sine ullo humano consortio vixisset, Episcopo domum ejus ingrediente, & manum pro sacerdotio imponente, nihil resistit. Deinde cives vici, ex quo erat, proficiscentes ad alium locum, cùm noctu fluvium trajecissent, & domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem, nec jubentem, in suum vicum exportârunt, & in domuncula incluserunt, ubi ille similiter quietem agebat cum nullo loquens. Paucis autem pòst diebus, qui erant illius vici, qui est è diverso, cùm noctu rursus aggressi essent, & domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec ut maneret, urgentem, neque rursus prompto & alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mortuum Mundo constituit. *Lanciz. opusc. 10. c. 14. n. 101.*

II. S. Ma-

Lanci. zam opusc. 10. n. 101. II. S. Maria Magdalena de Pazzis adeò in hac abnegatione profecerat, ut ne quidem Spiritum Sanctum, desiderio ex propria voluntate orto, desiderare vellet. Hinc dicebat: Nolo ipsum desiderare ex meipsa, tanquam à meipsa; quia nolo habere ullum desiderium, & audebo dicere, imò dicam: quamvis illud desiderium mihi daret, ut per illud voluntas mea fieret, & non illius tanquam illius, & non tanquam mea; etiamsi in hoc esset ejus voluntas, sed illa non esset principaliter, imò totaliter ejus, nullo modo vellem esse contenta. Atque ita bonum, quod ad me venit non per hanc viam puræ solius Divinæ voluntatis, non mihi videtur bonum.

Cassian. l. 4. instit. c. 10. III. De Monachis Aegyptiis testatur Cassianus, quòd adeò voluntatem suam abnegârint, ut, quæcunque fuerint à Præposito præcepta, tanquam à DEO sint cælitus edita, sine ulla discussione complere festinent, & nonnunquam etiam impossibilia sibi imperata eâ fide ac devotione suscipiant, ut tota virtute ac sine ulla hæsitatione perficere ea nitantur, & ne impossibilitatem quidem præcepti pro senioris sui reverentia metiantur.

Vit. PP. l. de humil. IV. Abbas Nestero ingressus Religionem apud se dicebat: Ego & asinus unum sumus: posthac debeo esse, sicut ille: quidquid ei imponitur, hoc portat, & sine mora quidem, non petens, quare, aut ad quem finem ei imponatur. Vide plura, maximè de nostris hominibus in p. 1. tit. Mortificatio. 18. §. 5. & 6.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Fatim. c. 12. I. Sicut æger aut Cliens, ubi à Medico vel Advocato deceptum se advertit, illorum consilia meritò respuit; ita cùm nos quoque à judicio & voluntate nostra toties deceptos esse sciamus, meritò deinceps fidere ampliùs non debemus.

Necessitas.

Fatim. c. 9. II. Sicut lapso & jacenti in luto ad hoc, ut abstergatur, & emundetur, non satis est surgere, sed postquam surrexit, requiritur, ut sordes illas, quæ vestibus inhæserunt, excutiat; ita illi, qui multis annis in cœno proprii amoris ac voluptatum hujus mundi immersus jacuit, non sufficit surgere & emergere ex hoc cœno, relinquendo mundum, & ea, quæ in mundo sunt; sed necesse est, ut etiam sordes à se excutiat, & maculas, id est, affectus mundanos eluat.

S. Basil. in constit. monast. III. Sicut Patrefamilias peregrè abeunte, mox canes domestici hàc illàc insolenter vagantur, importunis latratibus omnia complent, & morsibus quosuis obvios aggrediuntur; ita cùm Anima foràs evagatur, & negligit ea, quæ sunt sui muneris, mox veluti protervi atque importuni canes ex diversis partibus libidines corporis foras se dant, & vehementer in ipsum oblatrant, ac variis modis dilacerare conantur.

Fatim. c. 9. de mort. IV. Sicut Equus aufugiens, qui capistrum adhuc capiti obvolutum habet, facilè implicatur, capiturque, & in stabulum antiquum reducitur; ita & is, qui à Mundo fugit, nisi etiam à capistro affectuum mundanorum sit liber, facilè iterum antiquis cupiditatibus irretietur, & tandem omnino iterum ad mundum retrahetur.

Utilitas.

V. Sicut Equus, licet indomitus & effrenis, si tamen peritum habeat Equitem sibi insidentem, nemini nocet, ipsum verò Equitem citò, facilèque viam suam decurrere facit; ita corporis vivacitas ei, qui ad eam refrenandam animum promptum ac vigilantem habet, non modò non obest, sed potiùs plurimùm juvat ad viam perfectionis celeriter ac suaviter decurrendam. *Ib. c. 11.*

VI. Sicut obturatis fontibus præcipuis aquæ largiter fluentis, mox omnes etiam rivi ab illis promanantes exiccantur; ita ex abnegatione voluntatis & judicii proprii, abnegatio omnium aliarum passionum & affectuum in anima nostra repugnantium procedere solet. *Ibid.*

§. VII.

ASCETICA.

I. Cùm hæc abnegatio sit unum ex præcipuis mediis, quibus ad perfectionem tenditur, & pervenitur, ideo plurimùm quoque conari debet Asceta, ut cognitionem, æstimationem, & praxin illius sufficientem acquirat.

II. Et cognitionem quidem quod attinet, hanc non difficulter acquiret, si bene perpendat doctrinam à S. Dorotheo sequentibus verbis datam. Patres Sancti & Majores nostri sibi ipsis Mundum crucifigentes, per dura certamina, sese quoque mundo crucifixerunt. Nos verò videmur nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, & ad Monasteria divertimus; at nolumus nos Mundo crucifigere, adhuc enim in animo nostro vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis & voluptatibus, compatimur ornamentis & vestibus, ob viles & inanes res delabimur plerumque ad pristinas ejus passiones. Quod sanè non nisi ex amentia provenit, ut, qui pretiosas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimùm perturbemur. Atque id à nobis pessimè; ut enim Mundo & ejus rebus abrenunciavimus, ita & pristinis ejus passionibus abrenunciare debemus. *S. Doroth.*

III. Praxin verò abnegationis ex sequenti S. Nili Abbatis doctrina discet. Consulendum est, inquit, iis, qui nuper à mundi tumultu discesserunt, ut quietem & silentium colant, caveántque, ne frequentiùs in publicum prodeundo, vulnera per sensus accepta cogitatione renovent, néve antiquis peccatorum similitudinibus alias formas adjungant; mens enim eorum, qui nuper à malitia recesserunt, similis est corpori ex diuturno morbo convalescere incipienti, quod nondum confirmatis viribus quælibet affectio in graviorem morbum impellit. Unde & S. Bernardus ait, omnis nova conversio pristinæ vitæ habet permistionem. *Cass. l. 5. inst. c. 13.* *S. Bern. s. 6. ad sor.*

Vit. p. 3. §. 1. IV. Aestimationem denique ex doctrinâ ab ipso Christo S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis datâ concipiet; sic enim ei dixit: Inter impedimenta donorum S. Spiritûs non tantùm sunt ea peccata, quæ DEUM expellunt ex anima, sed & propria voluntas, & proprium judicium eorum, qui modo suo volunt servire DEO. Qui quidem desiderant Spiritum Sanctum, sed eum desiderant eo modo, qui illis placet, & qui illis videtur, & sic se reddunt inhabiles ad percipiendum eum, qui est, tanquam hamus quidam, quo DEUS vult capere animam ex se adeò vilem.

§. VIII.
MISCELLANEA.

Qualitas.

Surium Jan. I. S. Fulgentius Episcopus & Abbas, illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, vel nolle, sed Abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare.

S. Bern. in decl. sup. ecce nos. II. S. Bernardus quærens, an ex Collegio Discipulorum reprobari quis possit, non habens loculos? respondet affirmativè, eò quòd non tantùm dentur loculi pecuniæ, sed etiam propriæ voluntatis, quæ, nisi abnegetur, æquè ac pecunia in peneulum præcipitare potest.

Utilitas.

In Dial. c. 4. III. S. Catharinæ sic olim locutus est Christus: Dico tibi, & Patri animæ tuæ, quem dedi tibi super terram, ut viriliter toleretis ea, quæ concedduntur vobis, omni propria voluntate sensitivâ peremptâ; hâc enim ratione omnes virtutes acquiruntur.

Dignitas.

Ibid. c. 11. IV. Eidem aliàs dixit Christus: Si peteres à me, qui sunt isti? tibi responderem: ipsi sunt alter ego, quia sponte perdiderunt, & abnegârunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, & uniti, & in omnibus eâ induti.

§. IX.
AUTHORES.

I. Julius Fatius de Mortific. c. 9. 10. 11. 12.

II. Nicolaus Lancizius opusc. 10. c. 13. 14. & 15.

III. Bernardinus Rosignolius de disciplina Christ. perfect. l. 2. c. 30. & l. 5. c. 6.

TITULUS II.

ACCEPTIO PERSONARUM.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

2 Thom. 2. 2. q. 63. a. 4. Juxta S. Thomam est inæqualitas Justitiæ distributivæ, in quantum aliquid alicui attribuitur præter proportionem. Seu, ut fusiùs describit Alexander de Alexandris, est injuria, quâ Persona Personæ præfertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito Justitiæ alteri est conferendum, ratione alicujus conditionis transitoriæ, non congruentis ad ipsam rem, existentis circa Personam, puta divitiarum, potestatis terrenæ, vel cognationis carnalis, & non ob meritum ejus ad ipsam rem.

Alex. Al. 2. 2. de accept. pers.

Actus.

16. q. 7. can. 6. II. Octo assignantur in Jure Canonico. Primus est in *Pœnitentiæ impositione*, de qua sic loquitur Concilium Laodicense: Sacerdos pœnitentiam imploranti absque Personarum acceptione pœnitentiam secundum leges injungat, negligentiores verò pœnitentes tardiùs reconcilientur.

3. q. 9. can. 10. III. Secundus est in *Pœnitentiæ definitione:* de qua sic Nicolaus Papa: Necesse est secundùm Sacrarum Scripturarum documentum, ac secundum justitiæ tramitem, & accusatum, & accusatorem simul adesse, & unam partem, qualicunque prædita sit authoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudiciū irrogetur.

Dist. 96. c. 4. IV. Tertius est in *Fidei prædicatione:* de quâ idem Pontifex sic scripsit: Ubinam legistis, Imperatores Antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.

S. Chrys. in epist. ad Hebr. V. Quartus est in *Hospitum receptione:* de qua S. Chrysostomus: Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat. Si scrutator esset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset; fortassis enim non putâsset Angelos, sed cum reliquis repelleret; sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos.

S. Hier. ad Paulin. VI. Quintus est in *eleemosynarum largitione:* nam hæc, teste S. Hieronymo, indifferenter omnibus patet, juxta illud: Omni petenti tribue.

S. Chrys. ho. 43. in c. 23. Mat. VII. Sextus est in *dignitatum collatione:* quoniam, ut ait S. Chrysostomus, non, qui major fuerit in honore, inter homines, ille est justior, sed qui justior, ille major.

VIII. Septimus in *honoris exhibitione:* nam vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior, ut Symmachus Laurentio Mediolanensi Episcopo scripsit.

Lib. 2. Paral. c. 19. IX. Octavus est in *judiciorum declaratione:* de qua Josaphat dixit ad constitutos à se Judices: Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Non enim est

est apud Dominum DEUM nostrum iniquitas, nec Personarum acceptio, nec cupido munerum.

§. II.

EX S. SCRIPTURA,

Qualitas.

Lev. 19. v. 15. I. NOn consideres Personam Pauperis, nec honores vultum potentis, justè judica Proximo tuo.

Deut. 1. v. 17. II. Nulla erit distantia Personarum; ita parvum audies, ut magnum.

Jac. 2. v. 1. III. Fratres mei, nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri JESU Christi gloriæ. Etenim si introierit in cœtum vestrum Vir annulum aureum habens, in veste splendida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nónne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis Judices cogitationum iniquarum? Audite, Fratres mei dilectissimi, nónne DEUS elegit Pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit DEUS diligentibus se?

Damnum.

Ib. v. 8. IV. Si legem perficitis regalem secundùm Scripturas: Diliges Proximum tuum, sicut teipsum, bene facitis; si autem Personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.

Eccl. 20. v. 24. V. Est, qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti Persona perdet eam, Personæ autem acceptione perdet se.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

Innoc. l. 2. de condit. vil. hum. I. VOs non judicatis secundùm merita causarum, sed Personarum: non jura, sed munera: non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet: non quod sentiat, sed quod mens cupiat: non quod liceat, sed quod libeat. Nunquam in vobis est ita simplex oculus, ut totum corpus lucidum sit: sed aliquid semper dimittitis fermenti, quo totam massam corrumpitis.

Ibid. II. Clamat pauper, & nemo exaudit: loquitur dives, & quilibet applaudit. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad urbem perducunt. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? & si offenderit, subvertent eum. Clamat vim patiens, & nullus exaudit: vociferatur, & non est, qui judicet. Diviti dicunt: tu sede hîc bene; pauperi verò: tu sta illic, vel sede sub scabello pedum meorum.

S. Hieron. ad Pammach. III. Nec bonis Adversariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum: nec Amicorum sunt laudanda vitia, & unumquodque non Personarum, sed rerum pondere judicandum est.

S. Greg. in hom. 4. mor. IV. Personam Hominis accipere est, Hominem, non quia Homo, sed propter aliquid, quod circa ipsum est, honorare.

Fuga.

S. Aug. in serm. V. Absit, Domine, ut in tabernaculo tuo præ Pauperibus accipiantur Personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potiùs infirma Mundi elegisti, ut confunderes fortia.

§. IV.

EXEMPLA.

Fab. conc. 2. in festo S. Magd. I. ANno Christi 568. cùm Justinus Imper. videret, Subditos à suis Dominis graviſsimè opprimi, nec monitis & rescriptis quidquam proficeret, convocatis aliquando in Curiam Potentibus eos hortatus est, ut vel deinceps à simili oppressione pauperum abstinerent, aut alium Imperatorem eligerent. Quo audito Procerum quidam assurgens, sic Imperatorem allocutus est: Constitue me coram omnibus Præfectum urbis, mandáque, ut cujusque rationem potiorem justitiâ non habeam, útque mihi de tuis rebus monituro aditus semper pateat, & recipio, me intra mensem effecturum, ne ulla ampliùs injuria illata audiatur. Quod cùm pergratum fuisset Imperatori, ideóque ipsum Præfectum constituisset, paulò pòst venit vidua, & à Magistratu suo omnibus facultatibus spoliatam se fuisse conquesta est. Unde statim Præfectus eum per hanc viduam primò, dein per aliquem ex Famulis citari jubet, cúmque is non comparuisset, sed à Rege ad convivium invitatus fuisset, eò ipse quoque Præfectus se confert, aitque Imperatori: Si in eo persistis, ô Imperator, quod mihi mandâsti, ne scilicet cuiquam eorum, qui pauperes opprimunt, parcam, scito, me quoque promissis satisfacturum. Sin eos tu pœnitentiâ ductus, amicos ponùs habes, & conviviis adhibes, scito, me quoque detrectare ea, quæ in me recepi. Ad quod cùm Imperator responderet, ut seipsum solio detraheret, si fontem sciret, Præfectus illico Oppressorem abripi, in curiam abduci, & causâ examinatâ, verberibus mulctari, caput radi, nudúmque asino impositum per urbem circumduci jubet, omnes verò opes illius Mulieri viduæ addicit. Quo facto omnes adeò conterruit Magistratus, ut nulla unquam injuria deinceps illata audiretur, ipse verò Præfectus patritiâ dignitate ornatus in officio confirmaretur.

Crantz. in l. 5. Wand. c. 32. apud Fabr. co. 9. in Dom. 22. post. Pent. II. Canutus Wandalorum Rex, cùm plurimos in Latrocinio deprehensos ad mortem damnâsset, & unus ex illis clamaret, se de Principis Canuti cognatione esse, respondit Rex: Ergo Cognato nostro, ut honoratior sit locus, sublimius patibulum præparate.

§. V.

SIMILITUDINES.

Carolus V. apud Fabr. l. c. I. QUemadmodum Sol tam egenis, quàm divitibus æquali modo ac mensura lumen dispensat; sic Principum est, sine ullo Personarum respectu, subditorum causas examinare, & æquali justitiæ temperatione judicare.

Cant. 4. v. 5. II. Sicut Capreà æqualiter lac porrigit gemellis, etsi alter candidus, alter niger sit; ita æ-

qualiter caritas dispensanda est Hominibus, etiamsi alius pauper, alius dives sit; unde de Sponsa dicit Sponsus: Duo ubera tua sicut duo hinnuli Capreæ gemelli.

Vita S. Magd. de Paz. p. 3. §. 6. III. Sicut Verbum ad dexteram Patris sedens, quinque vulneribus suis trahit animas beatas ad se, tanquam ad objectum beatificum, & in terra alias creaturas ad se trahit vi meritorum, & tanquam objectum contemplationis; sic animam in memoriam revocans sibi vulnera Christi à Verbo relicta, trahit ad se quinque ictibus amoris omnes creaturas, desiderando ex caritate accendere omnes amore Verbi, & spargere ubique illum ignem, quem Verbum venit accendere in terra.

§. VI.

ASCETICA.

I. Etsi omnes Homines studiosè vitare debeant acceptionem Personarum, præcipuè tamen Asceta conari debet, ut omnes universali amore complectatur, nec ullum inter Personas ob naturale motivum, sine gravi ratione, faciat discrimen; cùm enim hic supponatur magis illuminatus à DEO, meritò ab eodem quoque requiritur, ut purioribus oculis Proximum suum consideret, & non tam externa corporis aut facultatum bona, sed internam animæ pulchritudinem attendat; id quod breviter & S. Bern. de ord. vit. bene S. Bernardus indicavit, dum dixit: Sunt namque, qui pulchros, despectis deformibus, amant, & laudant, suspiciunt, & honorant. Illi verò, qui sanos habent oculos, solam animi pulchritudinem in homine diligunt, & reverentur. Ut ergo hanc doctrinam tantò perfectiùs observare queat Asceta, tria præcipuè bene nôsse, & considerare debet.

II. Primum est, ut sciat, quid in iis, cum quibus agere solet, considerare debeat, nempe non exteriorem corporis (quod saccus stercorum, sterquilinium nive coopertum, sepulchrum foris dealbatum, intus autem plenum ossibus est) formam, sed internum animæ decorem & dignitatem (quæ ex eo, quòd sit imago & similitudo SS. Trinitatis, vivum Spiritus S. templum, membrum Christi, ejusdem Sanguine pretiosissimo lotum, emptum, & redemptum, hæres regni cœlestis &c. exurgit) attendat; hæc namq; moova cùm in omnibus æqualiter reperiantur, meritò ad æqualem quoque allicere debent amorem.

III. Secundum est, ut diligenter consideret exempla, quæ in hoc genere Christus, SS. Apostoli, aliique viri Sancti & Zelosi reliquerunt. Et Christus quidem perappositum nobis, teste S. Ambrosio, specimen dedit, dum ad curandum Reguli Filium, etsi coràm ab eo, nec obiter rogatus, domum tamen illius pergere noluit, ne in illo curando videretur, divitias & dignitatem respexisse. E contrario verò ad servum Centurionis, licet ipse Centurio non rogaverit, sanitati restituendum mox dixit: Veniam, & curabo eum: ne videretur in Famulo tali conditionem despexisse, & ut formam daret imitandæ humilitatis, quâ humilioribus juxtà ac superioribus deferendum docetet. Sed & Gal. 3. S. Paulus hac in parte præclarum se Magistrum exhibuit; hinc tam sollicitè monuit, ut non sit servus, non masculus, non femina, sed omnes unum in Christo JESU, non ignarus videlicet, 1. Tim. 2. v. 4. Christum *omnes* homines velle salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; sed & dedisse Ibid. v. 6. semetipsum redemptionem pro omnibus. Hinc Dial. 146. & Pater Cælestis aliquando S. Catharinæ Senensi dixit: Recte desiderii sancti sine dubio acceptat omnes, ex eo, quia anima famelica mei honoris, non est contenta particulam habere, sed omnes habere peroptat; bonos habere quærit, ut eam adjuvent in suo reti ponere pisces, & ut sibimet quotidie conservent, & augeant perfectionem; imperfectos verò cordialiter affectuosè desiderat, ut boni sint: infideles quoque tenebrosos exoptat, ut veniant ad lumen Sancti Baptismatis. Omnes ergo peroptat habere, cujuscunque conditionis vel status exstant, ut ex eo, quod omnes in me videt, à mea bonitate creatos, cum tam ignifera caritate, atque pretioso sanguine JESU Christi Filii mei redemptos.

IV. Tertium est, ut, quantùm est ex se, propensiùs ad plebeios, humiles, & egenos, quàm opulentos ac honoratos excolendos, & juvandos inclinet. 1. Quia sic Christus exemplo Matt. 11. v. 5. suo docuit, qui & inter signa adventus sui nuntiari S. Joanni jussit, quòd Pauperes evangelizentur. 2. Quia in pauperibus magis elucet 1. Cor. 8. imago Christi, qui, cùm esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopiâ nos divites essemus. 3. Quia securiores hac ratione sumus, nos purè DEUM, ejusque honorem in procuranda Proximi salute quærere. 4. Quia humilium, abjectorúmque conversatio, humilitatis nostræ conservatio est. 5. Quia constat experientiâ, apud hos utiliùs, quàm apud alios operam nostram collocari, cùm ut plurimùm æquiore animo salutis monita, reprehensiones, ac leges accipiant, quàm divites & honorati, apud quos multa sæpe ex respectu supprimuntur, quæ postea suppressa fuisse, non modicè dolemus. 6. Quia cum magnis Dominis multùm temporis, nullo aut certè perexiguo fructu conteritur; ex turba simplici plerumque plurimùm lucri brevissimo tempore reportatur; quia cum istis statim ad rem veniri potest, quod cum magnatibus non nisi per ambages obtinetur.

§. VII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Non malè hanc Acceptionem Personarum descripsit Ovidius, dum cecinit:
Curia pauperibus clausa est: dat census honores: Ovid. l. 3. amor.
Census amicitias: pauper ubique jacet.

II. Nec ineptè Solon & Anacharsis, leges Laert. & valer. max. l. 7. tit. Sap. dicta. Aranearum telis comparabant; ut enim hæ infirmiora animalia retinent, validiora transmittunt; ita à legibus humiles & pauperes constringuntur, divites & præpotentes liberi relinquuntur.

§. VIII.

§. VIII.
AXIOMATA.

Ioven. I. Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

II. Instar multorum est, quem Juppiter æquus amavit.

Floril. polit. III. Ein krumb Holtz gibt so gute Hitz/ als ein gerades.

IV. Schwartze Trauben seyn so süß/ als die weissen.

Ibid. V. Gleicher Faden/ gleicher Zeug.
Gleiche Brüder/ gleiche Kappen.

VI. Neminem gravat, quod æquo quilibet facit modo.
Gleiche Burd bricht niemand den Rucken.
An gleicher Burd tragt sich niemand müd.
Gleiche Theil machen keinen Krieg.

§. IX.
AUTHORES.

I. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

II. Alphonsus Rodriquez. p. 3. tr. 1. c. 14.

III. Nicolaus Lancizius. opusc. 13. c. 8.

TITVLVS III.
ADULATIO.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.
Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 115. a. 1. S. Aug. sup. psalm.


St, juxta S. Thomam, Excessus in aliis delectandis, verbo vel facto commissus. Vel juxta S. Augustinum, est facta cum fallaci laude seductio.

Divisio.

II. Dividitur à S. Thoma in *mortalem* & *venialem*: Mortalis est, quando quis vel de peccato mortali laudat alterum; vel ut graviter ei noceat in corpore vel anima. Venialis est, cùm exceditur in laude alterius ex sola aviditate delectandi, vel boni alicujus consequendi, vel mali cujuspiam evitandi, idque sine alterius gravi detrimento contingit.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.
Qualitas.

Ier. 9. v. 8. I. IN ore suo pacem loquitur cum Amico suo, & occultè ponit ei insidias.

Osea 7. v. 3. II. In malitia sua lætificaverunt Regem, & mendaciis suis Principes.

Prov. 11. v. 9. III. Simulator ore decipit Amicum suum.

Ibid. 29. v. 5. IV. Homo, qui fictis, blandisque sermonibus loquitur Amico suo, rete expandit gressibus ejus.

Ib. 27. v. 6. V. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.

Fuga.

Prov. 1. v. 10. VI. Fili mi, si te lactaverint Peccatores, ne acquiescas eis:

Ps. 140. v. 5. VII. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Damnum.

Prov. 17. v. 15. VIII. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud DEUM.

IX. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum Amico loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? *Ier. 9. v. 8.*

X. Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis Populi. *Prov. 24. v. 24.*

XI. Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas. *Ezech. 13. v. 18.*

§. III.
EX SS. PATRIBUS.
Qualitas.

I. PRopriè Hæreticorum est, adulari, & eorum, qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones subvertunt corda innocentium. Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio, pulchrèque apud Philosophos definitur blandus inimicus. *S. Hier. l. 1. cont. Pelag.*

II. Collaudare delinquentes longè plùs est, quod ad supplicii pertinet æstimationem, quàm delinquere, idque jure optimo, eò quòd hoc suffragium proficiscatur ab animo planè corrupto, & insanabili morbo laborante, siquidem is, qui; dum peccat, condemnat interim peccatum suum, poterit aliquando ad se redire; at qui laudat malitiam, is se privavit curatione, quam adfert pœnitentia. *S. Chrys. ho. 2. de David & Saul.*

III. Adulatio omnibus applaudit, omnibus salve dicit, prodigos vocat liberales, avaros ait esse parcos, & ad rem attentos: Lascivos appellat urbanos, & aulicos: obstinatis & pervicacibus constantiæ titulum assignat. *S. Greg. l. 30. mor. c. 20.*

IV. Falsa laus adulatio est, falsa laus Adulatoris, hoc est oleum Peccatoris. Propterea & Homines, cùm falsâ laude aliquem irriserint, hoc etiam de illo dicunt: Unxi illi caput. *S. Aug. comm. in Ps. 140.*

V. Tales mendacia diligunt, veritatis destructores, odiorum inventores, Satanæ Mediatores, *Idem in Ps. 119.*

diatores, DEI Persecutores, Fratres Diaboli. Vos verò, Fratres, si verberamini à lingua dolosa, humili & tranquillo animo dicite: Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

S. Greg. l. 4. mor. c. 15. V. Mortui mortuos sepeliunt, cùm peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim est aliud peccare, quàm occumbere? & sepelire, quàm abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.

S. Greg. sup. Ezech. ho. 11. VII. Quisquis malè viventibus adulatur, pulvillum sub capite jacentis ponit, ut, qui corrigi ex culpa debuerat, in ea fultus laude quiescat.

S. Bern. sup. Cant. VIII. Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est.

Cassiod. sup psalm. IX. Oleum peccatoris, est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus & blandimentis nostras mentes (velut olei pinguedo) libenter ingrediens, ngotem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potiùs ostentationis perducit.

Alan. de complanct. natur. X. Quid adulationis unctio, nisi donorum emunctio? quid commendationis allusio, nisi Prælatorum delusio? quid laudis attrisio, nisi eorundem derisio?

Ibid. XI. Adulatores à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam, amplo dissensionis intervallo dissibulant. Plerumque enim exteriùs plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria delusione defraudant. Foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis evomunt tempestates.

Fuga.

S. Hier. in epist. ad Rust. XII. Ne credas tuis Adulatoribus, qui, cùm te adulationibus foverint, asini auriculas post te agitant, aut ciconiarum colla curvant, aut æstuantis canis protendunt linguam.

S. Chrys. ho. 49. in Matt. XIII. Non retineas Amicos mensæ magis, quàm amicitiæ cupidos: qui enim tales sunt, si delicias detraxeris, illi quoque amicitias dissolvent.

S. Aug. in ep. 17. ad Demetr. XIV. Beata mens, quæ perfectè hoc vitium vincit, nec adulatur aliquando, nec adulatori credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur.

Damnum.

S. Bern. s. 63. in Cat. XV. Pessima vulpes occultus detractor, sed non minùs adulator blandus.

S. Chrys. apud Drex. p. 1. Phaeth. c. 3. §. 2. XVI. Hoc est causa omnium malorum, hoc est, quod virtutem maximè evertit, quod retardat, ac reprimit studium multorum ad ea, quæ sunt honesta: quando non solùm non reprehendunt aliqui, sed etiam unà cum iis, qui peccant, se oblectant, eisque gratulantur.

S. Aug. in sentent. 297. XVII. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.

Idem in ps. 50. XVIII. Duo sunt genera Persecutorum, scilicet vituperantium & laudantium; sed plùs persequitur lingua adulatoris, quàm manus persequentis.

S. Hier. ep. 14. XIX. In multis isto maximè tempore regnat hoc vitium, quódque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur: eò fit, ut, qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur.

§. IV.

EXEMPLA CATHOLICA.

Fuga.

S. Hieron. in Matth. I. CHristus, teste S. Hieronymo, etsi pauperrimus, nulli tamen adulari voluit, ideo in urbe hospitium reperire non potuit, foris illud quærere debuit apud pecudes.

Aeneas Silvius l. 1. comm. II. Sigismundus Imperator uni è Proceribus nimias laudes in se congerenti colaphum infregit, dixitque: cur me mordes adulator?

Drex. p. 1. Phaet. c. 3. §. 3. III. Sed & Ladislaus Rex Polonorum simili castigatione Adulatores castigavit, causamque rogatus respondit: Ego percutientes me repercutio.

Ibid. IV. Carolus Quintus Parisiis publica oratione laudatus oratori respondit: Grata mihi est affinis Regis in me benevolentia, sed laudes tuæ, non qualis sim, sed qualis esse debeam, me docent.

Damnum.

Joseph. l. 9. a. nt. c. 8. V. Herodes Agrippa, cùm à Tyriis & Sidoniis apud quos peroràrat, adulatoriè exclamatum audivisset. *DEI voces, & non hominis*; & hâc assentatione elatus, honorem Divinum admisisset, ab Angelo Domini viscerum dolore ac putrefactione percussus dixit: En ego ille vestra appellatione DEUS vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutâstis, ad mortem rapior.

Fab. eme. 1. in Dom. 22. post Pent. VI. Justinianus Imperator, alioqui sagacissimus, quia Triboniano Jurisconsulto cum assentatione dicenti, ipsum non moriturum, sed corpore, animóque ad cælos migraturum, credidit, & inde turgidior factus est, in hæresin postea prolapsus miserè periit.

Ibid. n. 10. VII. Parisiis os cloacæ ostenditur, in quâ sepelini se jussit quidam, quem serò pœnituit mali consilii, & adulationis. Cùm enim Regem propter angustiam rei pecuniaræ tristem & sollicitum videns, ei suasisset, ut ex minimis rebus à rustica turba in urbem importatis, unum, alterúmve obolum per biennium duntaxat, exigeret, Regem autem felici successu consilii comperto, plures & graviores exactiones, atque in longius tempus facere adverteret, nec avertere amplius posset, præ tristitia & desperatione mortuus, in cloacam illam, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliri voluit, ut hâc ratione & de seipso pœnam inconsulti consilii & adulationis sumeret, & alios, ne in idem vitium inciderent, admoneret.

§. V.

§. V.
EXEMPLA PROFANA.
Qualitas.

Ib. n. 1. I. CLisophus tantus Philippi Regis Macedonum assentator fuit, ut cum eodem exoculato & ipse oculo fasciis obligato prodiret, & cum claudicante claudicare inciperet. Si quem acrem cibum Rex ori admoveret, etiam ipsum vultum contraheret, quasi pariter acrimoniam sentiret.

Ibid. n. 2. II. Nicesias Alexandri Magni assentator, cùm Rex à musca se compunctum quereretur, ideóque velut sibi molestas alias quoque muscas abigeret, aliis, profectò muscis, ait, hæ longè præstantiores ac strenuiores futuræ sunt, ut quæ tam generosum sanguinem gustârint. Idem cùm Alexandrum sumpto medicamento cruciari torminibus videret, quid, inquit, ô Rex, nobis fiet, quando vos DEOS hæc tormenta premunt?

Ib. n. 6. III. Antiochus Rex Asiæ, cùm mutatâ veste regiâ, cervum insecutus, â via aberrâsset, & in casam pauperum divertens, quærénsque, quid de Rege homines dicerent? audivisset, Regem quidem esse virum bonum, sed pravis Consiliariis stipatum, quique seria regni negotia ob insanum venandi studium postponeret: manè convolantibus iterum ad se Aulicis dixit, Heri demum veritatem se intellexisse, nec à quoquam illorum ab eo tempore, quo ipsi servirent, liberiorem vocem audivisse.

Fuga.

Ibid. IV. Alexander Magnus Philosophum quendam, quo antea familiariter utebatur, à suo consortio hâc unâ de causa removit, quod nunquam Regem objurgaret: si enim, inquiebat, mala, quæ facio, non intelligit, insipiens est: si intelligit, & non arguit, est malevolus adulator, utro vis nomine dignus, qui à regia familiaritate planè arceatur.

Drex. in Phaet. p. 1. c. 1. §. 3. V. Idem, cùm Aristobulus de rebus ejus gestis librum scripsisset, multáque supra fidem conficta, coram ipso in navigatione recitaret, è manibus ei librum rapuit, & in Hydaspem fluvium projecit dicens: Te sic mergere deberem, tu hoc balneo dignior esses.

Ibid. §. 4. VI. Cùm Antipater à Phocione iniquum aliquid jure amicitiæ peteret, respondit Phocion: Non potes, ô Antipater, Phocionem & amicum habere, & adulatorem.

Ibid. VII. Cùm Aristippus Diogenem olus in fonte lavantem videns dixisset: Si Diogenes vellet uti Regibus, ista non esset; respondit Diogenes: si tu ista comedere velles, Dionysio non adulareris, mallésque homo esse, quàm regius canis.

Fab. l. 6. n. 3. VIII. Augustus Imperator ludos spectans, pronuntiante Mimo: ô Dominum æquum & bonum! mox adulationem populi applaudentis manu vultúque suppressit, & sequenti die edicto vetuit, se Dominum appellari.

Ib. n. 10. IX. Agesilaus Lacedæmoniorum Princeps intelligens, Thasios sibi templa, divinósque honores decrevisse ob beneficia ipsis præstita, quæsivit è Legatis, an Civitas eorum posset homines in Deos convertere? cúmque illi affirmarent, agite, inquit, vos ipsos primùm Deos facite, eo facto credam vobis, posse me quoque à vobis in DEUM mutari.

§. VI.
SIMILITUDINES.
Qualitas.

I. SIcut canicidæ dissimulanter & blandè incedentes, subdolè jaciunt laqueum, & collis canum induunt; ita Adulatores blando sermone sese insinuantes, incautos illaqueant homines. *Ib. exord.*

II. Sicut umbra, quidquid agis, imitatur; ita Adulator, quocunque te vertas, sequitur. *Ib. n. 1.*

III. Sicut Heliotropium se cum Sole circumagit, noctu verò velut desiderio Solis contrahit florem; sic Gnathones se per omnia Principibus accommodant, ubi verò se eisdem displacere viderint, tristitiâ contabescunt. *Ibid.*

IV. Sicut Chamæleontes omnium rerum, quas coram vident, colores induunt, ac mutant cum iisdem solum rubrum & candidum non assumentes; ita Adulatores se omnium moribus conformant, solum animi candorem ac sinceritatem, & rubrum calorem erubescentiæ respuentes, juxta illud Alciati: Et solùm mores imitatur Principis atros, albi & pudici nescius. *Ibid.*

V. Sicut specula intuentium imagines repræsentant inverso ordine; quæ dextra sunt, sinistra: quæ orientem spectant, ad occidentem spectantia; ita Adulatores, quos voce commendant, corde vituperant. quos in faciem laudant, à tergo rident, præsentibus benevoli, absentibus infensi. *Ibid. n. 4.*

VI. Sicut Meretriculæ bona omnia præter mentem Amatoribus suis imprecantur; ita Adulatores iis, quibuscum agunt. *Ib. n. 5.*

VII. Sicut Cervicalia & pulvilli videntur capitibus incumbentium reniti, & tamen cedunt potiùs, séque accommodant; sic Adulator, licèt fucatam dicendi libertatem assumat, & quædam carpere videatur, revera tamen magis se insinuat, & reprehensionem in laudem vertit, quò fortiùs eum irretiat. *Ib. n. 7.*

VIII. Sicut pediculi corpora extincta deserunt statim, atque sanguis, quo alebantur, evanuit; & sicut vermes triticum nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint; sic Adulatores, quamdiu substantia illius, cui adhærent, salva est, manent; hâc perditâ ipsi quoque discedunt. *Ib. n. 10.*

IX. Sicut paupertini fidicines quærere solent, quod chorevma Dominis placeat? ita Adulatores omni horâ serviunt auribus. *Drex. p. 1. Phaet. c. 1. §. 4.*

Damnum.

X. Sicut oleo perunctæ muscæ aut formicæ moriuntur; ita Principes assentatione & obsequio Palponum in exitium trahuntur, & ipsi trahunt rempublicam. *Plin. l. 11. c. 39.*

XI. Sicut Lupi titillando & scalpendo Asinos, prædam sibi eos faciunt; sic Assentatores in perniciem intenti, blanditiis & mendaciis se insinuant, ut eam corrumpant. *Drex. l. c. §. 3.*

Fab. l. c. n. 4. XII. Sicut ancillæ infantibus servientes agitant cunas, & cantum adhibent, ut infantem sopiant; sic Adulatores maligno suo cantu in profundum peccati soporem præcipitant Peccatorem.

§. VII.
ASCETICA.

I. DUo sunt, quæ circa hoc vitium specialiter notare debet Asceta. Primum est, ut certò sibi persuadeat, nihil adeò adversari scopo, quem Asceta præfixum habere debet, quàm hoc vitium; cùm enim præcipuus Ascetæ finis & studium eò duntaxat tendere debeat, ut DEO soli placeat, ejúsque gratiam possideat, facilè apparet, quantopere ab hoc suo scopo aberraret, si per adulationis vitium hominum sibi favorem, gratiámque conaretur conciliare. Hinc sapienter quidam Asceta dixit: Non decet subditum, ut Superiorum (quantò minùs aliorum?) favores ambiat. Qui enim ab his amari velit, debet etiam placere velle; quantæ autem hinc adulationes & simulationes sequentur? sin contraria incurras indicia, quis erit turbationum & offensionum modus? Universorum Domino placere, & ab eo diligi velle oportet, hominum de nobis sensa errabundè vagantur, aliorum invidiam creant, ac plurimùm à spiritualis profectûs libertate impediunt. Securè incedit, qui nunquam sibi amore digna adscribit.

S. Greg. l. 18. mor. c. 3. II. Alterum est, ut solidum sciat modum, etiam se ab aliorum adulationibus innoxium conservandi; quem quidem solidè docuit S. Gregorius sic loquens: Inter verba laudantium sive vituperantium, ad mentem semper recurrendum est: & si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum si in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si non omnes laudant, & conscientia liberos nos demonstret? habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Job quoque dicit: Ecce in cælo testis meus.

§. VIII.
MISCELLANEA.

Qualitas.

Sen. ep. 27. I. QUidam apud Senecam dicebat, Adulatores Dominorum suorum esse Amsores, arrosores, & quod his duobus conjunctum est, derisores.

Drex. p. 1. Phaet. c. 1. §. 1. II. Cùm Alphonsi Regis in Siciliam navigantis Navem Gaviæ aves circumvolitarent, dicebat Rex ad suos: Sicut Aves istæ tam officiosæ non sunt, ut hunc nobis honorem deferant, sed ut aliquid escarum projiciamus, quâ obtentâ mox avolabunt; ita aliqui ex meis tamdiu mihi serviunt, quamdiu munera exspectant; his obtentis obsequio se subducunt.

Ibid. III. Alanus Adulatores, Palatinos canes vocabat, quos pulchrè describens Hugo Victorinus ait: Adulator est amicus in officio, hostis in animo: comptus in verbo, turpis in facto: lætus ad prospera, fragilis inter adversa: inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria: immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta.

Damnum.

Curt. l. 8. IV. Perniciosa adulatio perpetuum Regum malum est, quorum opes sæpius, quàm hostes, evertit.

Apud Fab. conc. 1. in Dom. 22. post Pent. V. Plato Adulatorem vocabat bestiam humano generi pestilentem, similem venefico, imò impuro dæmoni, qui animos incautos funestis epulis fovet, & sordibus noxiis inquinat. Item Præstigiatori, qui judicium & rationem aliis eripiat.

Ibid. VI. Plutarchus Adulatores appellare solebat *Patriæ & Virtutis inimicos.* Epictetus *corvos*, ut qui perinde viventium animos excæcent, ac corvi mortuorum oculos effodiunt. Antisthenes *meretrices.* Anaxilaus *opum vermes.* Constantinus Magnus *tineas & sorices.*

Laert. l. 6. c. 5. VII. Crates eos, qui cum Adulatoribus vivunt, ajebat, non aliter esse desertos, quàm vituli sunt inter lupos. Neque enim illos adesse, quos oportet; neque cum ijs, qui adsunt, habere Societatem, cùm sint insidiatores.

Langius in Polyanth. V. eod. VIII. Pastor quidam cani oves suas custodiendas dederat, ideóque optimis pascebat cibis. Quis tamen his non contentus canis, etiam oves devoravit. Pastor eum occidere voluit. Quod advertens canis dicebat ad illum: Quid me, qui unus ex domesticis tuis sum, perdere cupis, & non potiùs ovibus tuis constanter insidiantem lupum interimis? at respondit Pastor: Hoc ipso tu magis, quàm lupus morte dignus es, nam hic palàm se meum & ovium hostem profitetur; tu verò sub amicitiæ specie quotidie imminuis gregem.

Æsop. & Herodot. c. 5. IX. Cùm Leo quondam graviter febricitaret, ideóque eum in haria fœtida procumbentem reliquæ bestiæ visitarent, ex singulis quæsivit, num fœtoris quid persentiscerent? ad quam quæstionem, cùm ursus veritatem dicere volens, respondisset, intolerabilem se fœtorem sentire, vix ungues Leonis indignantis evasit: Lupus verò hanc indignationem effugere volens, omnia fragrantiùs, quàm balsamum olere dixit, ideóque ut falsus Adulator à Leone discerptus est, unde vulpes priorum damno resipiscens respondit, se gravi catarrho laborare, atque adeò vim discernendi odores amisisse. quo astu Leonis iram evasit.

Tympius p. 1. mensæ, se convers. §. 5. X. Bias interrogatus, quod animal esset omnium ferocissimum, & noxium? respondit: si de feris percunctaris, Tyrannus: si de mitibus, Adulator.

ib. §. 1. XI. Non malè cecinit Seneca: Omne sub regno graviore regnum est: quia licet omnes Reges & Principes Populis suis imperent, ipsi ab Adulatoribus vicissim reguntur.

§. IX.
AUTHORES.

I. Matthias Faber conc. 1. in Dom. 22. post Pent.
II. Hieremias Drex. in Phaëthonte p. 1. c. 1. 2. & 3.
III. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.
IV. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodé.

TITV-

TITULUS IV.

ADULTERIUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 8. 36. q. 1. c. Lex illa.


ST illicitus concubitus conjugati vel conjugatæ, juxta S. Thomam; vel juxta alios, alieni thori violatio. Et dicitur adulterium, quasi ad alienum thorum accessio, uti Gelasius Papa ait.

Divisio.

II. Dividitur in *Simplex*, cùm scilicet alter ex concumbentibus est tantùm conjugatus; & *Duplex*, cùm uterque illorum matrimonio illigatus est.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. 23. v. 32. I. Sic & omnis mulier relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio; primò enim incredibilis fuit in lege Altissimi: Secundò in virum suum deliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro Filios statuit sibi.

Osea 7. v. 4. II. Omnes adulteri, quasi clibanus succensus à coquente.

Prov. 6. v. 30. III. Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam; deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domûs suæ tradet: qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.

Fuga.

Tob. 4. v. 13. IV. Attende tibi, Fili mi, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.

Damnum.

1. Cor. 6. v. 9. V. Nolite errare; neque fornicarij, neque adulteri regnum DEI possidebunt.

Prov. 22. v. 14. VI. Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam.

Iob. 31. v. 11. VII. Hoc nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

Prov. 6. v. 33. VIII. Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.

Sap. 3. v. 16. IX. Filij adulterorum in inconsummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima Senectus illorum. Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem; nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

Eccl. 23. v. 34. X. Hæc in Ecclesiam adducetur, & in Filios ejus respicietur, non tradent Filij ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & decus illius non delebitur.

XI. Si quis tetigerit hominis uxorem, morte moriatur. *Gen. 26. v. 11.*

XII. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores enim & adulteros judicabit Dominus. *Hebr. 13. v. 4.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. QUid in omnibus peccatis adulterio gravius? secundùm enim in pœnis tenet locum, & in prohibitionibus quidem homicidio assimilatur adulterium. *Clemens Pont. apud March. tr. 4. lect. 9. prop. 1.*

Fuga.

II. Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales vultis eas invenire, tales & ipsæ inveniant vos. Quis vivens est, qui non castam velit ducere uxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? purus esto. Non enim illa potest, & tu non potes. *S. Aug. tr. 48. de verb. Domin.*

III. Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam, præter uxorem tuam: tu autem exigis hoc ab uxore, & non vis reddere uxori? cùm debeas in virtute præcedere uxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & tu sub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem esse, & tu victus jaces? & cùm tu caput uxoris sis, præcedit te ad DEUM, cujus caput es. Vis tuam domum capite pendere deorsum? caput enim mulieris vir est; ubi autem meliùs vivit mulier, quàm vir, capite deorsùm pendet domus. Si caput est vir, meliùs debet vivere, quàm mulier, & præcedere in omnibus factis uxorem suam. *Idem de decem chordis.*

IV. Nemo alienum affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate, nec longiore Mariti absentiâ provocetur. Adest Præsul conjugii DEUS, quem nihil latet, nullus evadet. Nemo irrideat vicem absentis Mariti, servat excubias DEUS, imò sine excubiis deprehendet reum, antequam faciat. In animis singulorum crimen agnoscit, & si Maritum fefelleris, eum non falles; si Maritum evaseris & Judicem, non evades Judicem totius Mundi. Ille graviùs ulciscitur injuriam inopis, contumeliam Mariti imprudentis; major est enim injuria Authorem, quàm Custodem thalami sprevisse, & non considerâsse. *S. Ambros. l. de Abrah. c. 2.*

Damnum.

S. Chrys. in ps. 7. V. Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel ad umbram contremiscens, ad nullum liberis respiciens oculis, sed omnes pertimescens, & qui sciunt, & qui nesciunt, acutos videns gladios, impendentes lictores, judicia. In dolore semper est adulter, etiam in tenebris.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

Gen. c. 9. I. Joseph castissimus sollicitatus ab uxore Putipharis ad adulterium, fugit, pallio in manibus ejus relicto.

Dan. 13. II. Susanna maluit cum summa ignominia mortem oppetere absque peccato, quàm adulterii crimen committendo cum senibus, nullius apud homines peccati insimulari.

Marchant tr. 4. in hort. Past. lect. 9. prop. 1. III. B. Genovefa Ducis Brabantiæ Filia, cùm discedente Sifrido Romani Imperii Palatino, Marito suo, commissa Goloni militi, & ab hoc nequicquam ad adulterium sollicitata fuisset, apud redeuntem dein Maritum à Golono velut thori violati rea accusata, & in fluvium cum infante præcipitari jussa est. Sed à Famulis in silva deserta, opéque B. Virginis, cui se specialiter commendârat, sex annis, totidémque mensibus servata, tandem à Marito inter venationem inventa, agnita, magnóque gaudio in thalamum denuo recepta est.

Ibid. IV. Matrona quædam Christiana, cùm Maxentius Tyrannus uxores Christianas passim violaret, & ipsa quoque jam ad eundem abducenda esset, exiguum temporis spatium petiit, ut corpus decenti vestitu ornaret. Et tum cubiculum ingressa gladio pectus transfodit, statímque mortua concidit.

Baron. 998. & Laur. Beirl. V. adult. f. 121. V. Comes Mutinensis, cùm ab Othonis III. uxore Maria ad adulterium primò allectus, & dein, quia consentire noluerat, de oppressione violenta etiam accusatus, ac jussu Imperatoris decollatus esset, uxor illius, Imperatorem in judicio sedentem sic allocuta est: Ecce caput Mariti mei innocenter occisi, cum hoc ignem intrabo, & si quidem illud mecum illæsum mansit, argumentum id innocentiæ Mariti mei erit; sin verò combustum fuerit, debitam iterum sceleris comissi pœnam subibit. Quo dicto ignem ingressa, iterúmque incolumis egressa, Mariti quidem innocentiam, Imperatricis verò falsitatem & nequitiam probavit, effecítque, ut ipsa quoque in rogum conjecta, debitas suorum criminum pœnas lueret.

Ibid. fol. 124. VI. Balduinus Flandriæ Comes, qui & Imperator Bizantinus postea fuit, tantopere ab hoc crimine abhorruit, ut quotidie per Præconem edici jusserit: nemo in palatio meo pernoctato, qui alienam conjugem tetigerit.

Damnum.

2. Reg. 12. VII. Davidi post adulterium cum Bethsabea commissum, jussu DEI dixit Nathan Propheta: Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. Sed & Filius, qui natus est tibi, morte morietur.

Jud. 19. & 20. VIII. Cùm in urbem Gabaa venisset Levita alienigena cum uxore sua, & Gabaonitæ eâdem cum tanta insolentia abusi essent, ut mortua conciderit, Filii Israel tanti sceleris enormitate concitati, arma sumpserunt adversus Filios Benjamin, urbèque succensâ, viginti quinque millia ex illis occiderunt.

March. tr. 4. lect. 9. prop. 2. ex S. Damian. IX. In Parmensi oppido cùm vicinus quidam Maritum summo mane abiisse cognosceret, ad uxoris illius lectum in tenebris accessit, séque Maritum simulans cum eadem congressus est. Quod ubi Maritus rediens cognovit, cum conjuge sua, quæ & ipsa delusam se videns graviter dolebat, templum ingressus, multis lacrymis suum & uxoris casum enarravit, quod dum facit, author sceleris dœmoniaco Spiritu correptus, pariterque Ecclesiam ingressus, tamdiu seipsum discerpsit, & modò ad terram, modò ad parietem allisit, quousque animam exhalavit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Fuga.

Plutarch. in Regum & Imper. apophteg. I. Cùm ad Alexandrum Magnum quondam femella ducta fuisset, ut dormiret cum illo, & hæc interrogata, ubi tamdiu fuisset? respondisset, se exspectâsse, donec Maritus cubitum ivisset, Rex Famulos acriter objurgavit dicens: Reducite eam: parùm enim abfuit, ut vestrâ causâ adulter fierem.

Idem in Lacon. II. Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes uxores pudicitia, ut, cùm Geradas Nobilis Spartanus rogaretur ab Hospite, quas pœnas apud eos adulter daret? respondit, nullas pro hoc leges à Lycurgo præscriptas esse, quia nullus apud eos adulter daretur. Cúmque Hospes ulteriùs instaret: quid si autem exstar? subjecit iterum Geradas: Bovem tantum dabit, ut porrecto ultra Taygetum collo ex Eurota bibat. Dicente autem Hospite, id fieri non posse, Geradas quoque, quo pacto, ajebat, apud Spartanos adulteri esse possunt, ubi divitiæ, deliciæ, & corporis adscititius cultus probro habetur: contrà verecundia, modestia, ac obedientiæ Magistratibus debitæ observatio, decori, laudique dantur.

Beirlinck. in theatr. V. adult. f. 122. III. In Insula Patanæ Indiæ Orientalis, tam sanctè servant conjugium, ut, si quis adulterium commisisse deprehendatur, ad Parentes per virum primarium deductus juguletur ab illis, consors verò similiter ab iisdem pugione confodiatur.

Damnum.

Ibid. IV. Aurelianus Imperator tantopere hoc vitium aversatus est, ut militem in adulterio deprehensum duarum arborum ramis implecti, sicque per eas discerpi voluerit.

March. tr. 4. de castit. lect. 9. prop. 2. V. Saxones adhuc pagani, Adulteram se strangulare cogebant, & super bustum illius incensæ & concrematæ adulterum suspendebant.

VI. Ae-

Ibid. VI. Aegyptii Adulteris virgis mille ictus infligebant, adulteras verò ad perenne dedecus nasis truncabant.

Ibid. VII. Cumani Adulteram in foro ridendam exponebant, deinde Asino per totam urbem circumvehebant, ut tota vita esset infamis, nam propter hanc equitationẽ Onobatis vocabatur.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Fuga.

S. Aug. de bon. conjug. I. SIcut satiùs est fame mori, quàm Idolothytis vesci; ita satiùs est defungi sine liberis, quàm ex illicito concubitu stirpem quærere.

S. Chryf. de verbis Is. ho. 3. II. Sicut Gubernator in portu naufragium faciens, haud quaquam impetratot veniam; sic nec is, cui conjugium concessum est, quo lapsum effugiat, si aliena scrutetur matrimonia, aut quamcunque aliam fœminam curiosis scrutetur oculis.

Qualitas.

S. Chryf. f. de adult. III. Sicut quisque, sive Regis violaverit uxorem, sive pauperis, sive servi, pari ratione adulter est, cùm peccatum non Personarum differentiâ, verùm ex voluntate improba id scelus admittentis judicetur; ita & hîc, imò magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quam qui ipsam Reginam violaverit; illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia, forma, & ejusmodi, quorum hîc nihil invenitur.

§. VII.

ASCETICA.

I. TRia ferè sunt, quæ de hoc vitio bene advertere debet Asceta. Primum est, ut gravitatem illius æstimare discat, aliisque similem æstimationem ingenerare studeat, quam quidem ex triplici injuria, quam facit, concipere poterit; nam 1. grandem injuriam facit ipsi Sacramento Matrimonii, atque effectui illius, cùm enim hoc Sacramentum ideo institutum sit, ut sint duo in carne una, sicque inseparabilis unio Christi cum Ecclesia significetur; hanc utramque rationem, quantùm in se est, conatur tollere adulter. 2. Etiam Conjugi alteri gravem injuriam affert; cùm potestatem corporis sui, quam non ipse, sed consors conjugii habet, eidem auferat; unde Marchantius infert, hoc furtum quovis alio furto gravius esse; nam in illis aliquid à se distinctum, in hoc autem seipsum, qui factus est una caro cum conjuge, eripit. 3. Ipsi etiam Juramento, quo publicè in Ecclesia fidem sibi mutuò dederunt conjuges, injuriam facit; quæ quidem violatio tantò gravior censeri debet, quantò digniores sunt, coram quibus editum est hoc juramentum, nempe Christus in Ven. Sacramento existens; Ecclesia, cujus authoritate & imperio, ac approbatione contrahitur: Sacerdos, à quo benedictio impertitur: Baptismus, super quo juratur: Cælites, qui velut testes & vindices fidei datæ invocantur.

II. Secundum est, ut bene notet, conjugibúsque inculcet memorabilem illam S. Hieronymi sententiam, dum ait: Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, ex quam honesta causa quis insaniat. Unde Xistus Pythagoricus in suis sententiis ait: Adulter est in suam uxorem ardentior amator. In aliena quippe uxore omnis amor turpis, in sua nimius. Sapiens judicio debet amare conjugem, non affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum; nihil enim est fœdius, quàm uxorem amare ut adulteram. Certè qui dicunt, se causâ reipublicæ & generis humani uxoribus conjungi, & Filios procreare, imitentur saltem pecudes; & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant Filios: nec Amatores se uxoribus præbeant, sed Maritos. *S. Hieron. contra Jovin. l. 1.*

III. Tertium est, ut ex gravitate Adulterii corporalis colligat spiritualis adulterii gravitatem; cùm enim in hoc & Persona, cum qua contrahitur, scilicet ipse DEUS, sit infinities dignior; & ipsa conjunctio, utpote quæ voto firmatur, arctior existat; & causæ recedendi longè minores, cùm quidquid ex amore Creaturæ sperari potest, in Creatore infinities perfectiùs habeatur; facilè apparet, ex omnibus his circumstantiis magnopere augeri illius gravitatem, atque adeò sicut innocens Conjunx jure separare se potest à thoro Adulteri, ita meritò timendum esse, ne DEUS quoque ejusmodi animam Adulteram deserat tandem auxiliis suis.

§. VIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. SOcrates dicebat, Adulteros perinde facete, ac si quis nolit ex aqua supernè effluente bibere, sed ex illa, quæ in fundo, & deterior est. *Stob. ser. 6.*

II. Adulteri maximam invidiam contrahunt, & non modò eos, quos lacessunt, in se ultores provocant, verùm Maritos penè omnes qui eandem contumeliam & injuriam formidant. *Franc. Patrit. l. 4. de regno.*

III. Optimum medium pro adulterio vitando præscripsit Plautus, dum cecinit: *Plautus in Sticho.*

Bonas mulieres æquum est facere, ut absentes viros
Perinde habeant, quasi præsentes sint.

§. IX.

AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. 4. de Charitate.

II. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

III. Matthias Faber conc. 4. in Dom. 2. post Epiph.

IV. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eod.

V. Joannes Major in Magno Speculo Exempl. V. eodem.

VI. Antonius Dauroltius in Catechismo historiali. c. 3. tit. 103.

TITULUS V.

ÆTERNITAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Boët. l. 5. de consol. pros. 6.



ST juxta Boëtium, interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Juxta Cornelium à Lapide, Circulus in se recurrens, cujus centrum *semper*, circumferentia *nusquam* est. Juxta Drexelium, *orbis* undique rotundus, in quo nec principium, nec finis est: *Rota*, quæ semper volvitur, & volvetur in omne volubilis ævum: *Annus* jugiter revolutus, qui, ubi moritur & occidit, ibi & renascitur, rursumque oritur: *Fons jugis*, in quo per mæandros aquæ ad suam semper refluunt originem, ut iterum fluant: *Labyrinthus* innumeris se gyris intorquens, qui ingressos perpetuò circumducit: Et *Anguis* orbiculatim in se reflexus, caudam ore complectens, qui in sui fine rursum semper incipit: Est *duratio* semper præsens, & unum perpetuum *hodie*, quod nunquam transit in præteritum aut futurum: Est *principium* sine principio, sine medio, sine fine: Est juxta S. Dionysium, *ævum ævorum*, quod non interit, sed eodem semper modo se habet.

Drexel. consf. 1. de æztern.

S. Dionys. c. 10. de div. nomin.

Divisio.

Matt. 25. v. 46.

II. Dividitur in æternitatem *Beatorum*, & *Damnatorum*: de quibus Christus apud S. Matthæum dixit: Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas.

Eccles. 12. v. 5. I. Ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.

2. Petr. 3. v. 18. II. Ipsi gloria nunc, & in diem æternitatis.

Æternitas Beatorum.

Baruch. 5. v. 2. III. Circumdabit te DEUS diploide justitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni.

2. Cor. 5. v. 1. IV. Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam æternam in cælis.

Dan. 12. v. 3. V. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Joan. 6. v. 40. VI. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.

Gal. 6. v. 8. VII. Quæ seminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.

Æternitas Damnatorum.

VIII. Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Matt. 25. v. 41.*

IX. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. *Deut. 32. v. 22.*

X. Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. *2. Thess. 1. v. 9.*

XI. Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. *Iudæ v. 6.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Utilitas

Æternitatis considerata.

I. ÆTernus inhianti, fastidio sunt transitoria. *S. Bern. ep. 3.*

II. Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. *S. Aug. apud Drex. consid. 6. de ætern.*

III. Si quis intra centum annos unâ solùm nocte suave, lætumque somnium vidisset, & centenis ob id annis puniretur, an appetendum hoc somnium foret? quod autem est somnium ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imò multò minùs, & quod est gutta ad pelagus, hoc anni mille sunt ad futuram æternitatem. *S. Chrys. ho. 20. ad pop.*

IV. Quid appendis cum infinito quantumque finitum? decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. *S. Aug. in ps. 36.*

V. Digiti ejus apprehenderunt fusum, hoc est, rectitudinem intentionis, per quam electi omnia opera, quasi fila in orbem æternitatis retorquent. *Hugo in prov. 31.*

VI. Quis tam insensatæ, támque obstinatæ mentis homo uspiam poterit inveniri, qui non expavescat, & omnino abhorreat, transitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari? si diligenter aspiciat, indesinentérque attendat, quàm sint modica, seu etiam momentanea omnia ista carnis oblectamenta, quæ pertranseunt: & quàm sint immania & atrocia tormenta illa æterna, quæ finem non habent, nec habere possunt. *Rich. de Vict. de stat. inter. hom.*

VII. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *S. Hieron. apud Drex consid. 6.*

VIII. Viri sancti præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, dum illuminatæ mentis oculos in considerationem æternitatis defigunt. *S. Gregor. l. 8. mor. c. 20.*

Qualitas.

IX. Ne putes, quia verbis finitis finitur æterni- *S. Aug. in ps. 145.*

ternitas. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se sine fine est.

S. Greg. l. 27. mor. c. 16. X. Cùm homo de æternitate disserit, cæcus de luce loquitur.

Nazian. orat. 36. in natiu. Christi. XI. Æternitas nec tempus, nec pars ulla temporis est.

S. Gregor. l. 10. XII. Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, affectet, sed totam se in soliditatem æternitatis figat.

S. Bern. s. de SS. Petro & Paulo. XIII. Utinam saperent, ut æternitatis imago reformetur in nobis, videlicet ut præsentia moderemur, præterita per intelligentiam disjudicemus, novissima provideamus ad cautelam.

§. IV.
EXEMPLA CHRISTIANA.

Psal. 76. v. 6. I. S. David de seipso fatetur: Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Brevel. confid. 5. de etern. II. Fulco homo ad Mundi leges factus cùm quâdam nocte dormire non posset, cogitare secum cœpit: si hic in molli lecto jacenti, absque alio dolore, tamen tam molesta est cubatio, quantopere cruciabor, si in lecto igneo æternùm jacere, & cruciari debebo? itaque per hanc cogitationem immutatus est, ut mox sacræ Cisterciensium Congregationi nomen dederit.

Ibid. consid. 4. III. Justus Lipsius, cùm totis viribus se ad instantem mortis horam intrepido animo subeundam præparâsset, tandem in hæc suspiria erupit: O Mater DEI, adsis Famulo tuo cum tota æternitate decertanti, & non me deseras in hac hora, à qua pendet animæ meæ salus æterna.

Idem consid. 5. IV. S. Augustinus assiduò precari solebat: Domine, hîc ure, hîc seca, modò in æternùm parcas.

Ibid. consid. 9. V. Olympius senex in Cœnobio Gerasimi quæsitus, quomodo in tam angusta cavea, tanto æstu, inter cyniphes & muscarum examina durare posset? respondit: Fili, ista tolero, ut cruciatus illos intolerabiles æternos evadam: cyniphes patior, ut vermem effugiam immortalem: hos æstus facile est perferre ei, qui ignem meruit æternum. Hæc mea, etsi molesta, tamen brevia sunt, & finem habebunt, illa nullum.

Ibid. consid. 1. §. 3. VI. Cùm Troilus Episcopus hortatu S. Joannis Eleemosynarij liberalem eleemosynam in pauperes distribui jussisset, deinde verò pœnitentiâ ductus à S. Joanne eandem pecuniam denuò accepisset, paulò pòst in somnis amplissimas ædes vidit, & in earum fronte hunc titulum: Mansio æterna, & requies Troili Episcopi: quo titulo conspecto dum vehementer gaudet, subitò videt quempiam advenientem, & sociis dicentem: tollite hanc inscriptionem, & istam ejus loco suffigite: Mansio æterna, & requies Joannis Episcopi Alexandrini empta libris triginta argenti. Quo somnio correctus Troilus, liberalior in pauperes esse cœpit.

Stapleton. in vit. VII. Cùm Thomam Morum Aloysia uxor in carcere visitans rogaret, ne vitam & bona, quibus longo adhuc tempore frui posset, sibi præcideret, quæsivit ex ea, quot annis putaret, ipsum adhuc vivere posse? cúmque illa viginti responderet, subjecit ipse: næ tu impenta es mercatrix, ô Aloysia, & quasi una de stultis mulieribus locuta es, dum æternitatem viginti annis vis commutari.

Engelgr. embl. 1. §. 4. Luc. Evang. VIII. Alexander Pontifex militi flagitioso omnem medelam respuenti annulum suum tradidit, eâ lege gestandum, ut quoties aspiceret, imminentis mortis, unde pendet æternitas, recordaretur. Vix paucis diebus gestârat, & supplex ad Alexandri pedes se abjecit, atque omni veneno ejecto in novum hominem reformatus est.

Ibid. IX. S. Franciscus Tirones suos identidem his verbis confirmare solebat: Fratres, magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis. Modica hîc voluptas, sed postea pœna immensa: modicus hic labor, sed postea gloria æterna.

Less. l. 4. de perf. c. 4. X. P. Leonardus Lessius S. J. & ipse animo suo æternitatem assiduò volvebat, & alios ad idem faciendum hortabatur, dicere solitus, nullam sibi ad vincendas tentationes ac pericula peccatorum cavenda efficaciorem cogitationem videri.

§. V.
MISCELLANEA.

Qualitas.

Pædag. Christ. p. 1. c. 8. §. 9. I. Quidam percommodè æternitatis magnitudinem sic declaravit: Finge, inquiebat, totum cœlum empyreum membrana obductum & meris numeris novenariis inscriptum, quot annos putas his numeris contineri, cùm Clavius demonstret, unitatem cum quinquaginta duabus cifris, seu *nullis*, ut vocant, longè majorem numerum efficere, ac Mundus totus usque ad concavum firmamenti arenulis repletus grana contineret, licèt decem millia talium arenularum globulum grano papaveris æqualem duntaxat conficerent. Si verò cifræ 70. ponantur, numerum arenarum contineret, qui Mundum millies mille millionibus millionum nostro majorem impleret. Et tamen si post tot annos finitos unica arenula tolleretur, necdum quasi initium factum esset æternitati.

Psal. 76. v. 19. II. Rectè dixit Propheta: Etenim sagittæ tuæ (id est, calamitates hujus temporis) transeunt, vox tonitrui tui (quâ dices: Discedite à me maledicti in ignem æternum) in rota.

Utilitas.

Cicer. 3. Tusc. qq. III. Sapienter pronuntiavit Tullius: Sapienti nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque Mundi nota sit magnitudo.

Drex. consid. 4. de etern. IV. Moysi olim præcepit DEUS; Fac tibi duas tubas argenteas ductiles; si semel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Israël; si autem prolixior atque concisus clamor increpuerit, movebunt castra. Duæ hæ tubæ duas voces *nunc* & *semper* significant; qui priorem tantùm audit, non movebit se; sed si posterior auribus ejus insonet, tunc ad iter æternitatis se accinget.

Idem consid. 8. §. 4. V. Zeuxes quæsitus, cur tantâ diligentiâ sua opera pingeret? Respondit: Diu pingo, quia æternitati

æternitati pingo. Idem facient, qui operum suorum præmium æternum fore credunt.

Ælianus l. 11. hist. c. 21. VI. Ismenias Thebanus ad Regem Persarum Legationis causâ missus, cùm adorare Regem juberetur, annulum in terram labi permisit, séque ad eum tollendum inclinavit, in mente dixit: Non tibi, ô Rex, sed annulo me inclinavi. Simili modo, qui æternitatem considerant, in omnibus adversitatibus & humiliationibus dicunt: non tibi, sed annulo æternitatis.

Engelgr. embl. 1. §. 3. VII. Philosophus quidam in extremis constitutus, cùm rogatus fuisset, ut salutare monitum relinqueret, calamum, quia loqui non poterat, arripiens, duo O O pinxit, quod licet varij variè interpretati sint, rectissimè tamen memoriam duplicis æternitatis, miseræ scilicet & felicis significare dicuntur.

Ibid. VIII. P. Christophoro Caro S. J. Christus apparens, hæc pauca animo verba volvere assiduò hortatus est: O æternum! ô momentaneum! ô longum! ô breve!

S. Greg. in Cant. 2. IX. S. Gregorius illa verba: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem: interpretans, quid, ait, per cellam vinariam congruentius, quàm ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? Et certè quicunque cogitationem hanc altiùs in mentem demiserit, gloriari poterit: Ordinavit in me caritatem.

Engelgr. l. c. §. 2. X. S. Teresia cùm horam indicari audisset, dicere solebat: jam unâ horâ vicinior sum Patriæ & æternitati.

§. VI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ps. 76. v. 6. I. EX occasione thematis: *Annos æternos in mente habui:* possunt Auditoribus duo annuli pro Xenio, aut aliâ occasione offerri, unus ferreus, cui inscriptum sit: *Momentaneum, quod delectat: æternum, quod cruciat:* alter aureus, cui inscriptum sit: *Momentaneum, quod cruciat; æternum, quod delectat.* Et inprimus utriusque hujus annuli usus & praxis in prosperis & adversis casibus per aliquot casus ostendatur. Deinde verò etiam fructus hujus usus ostendatur, quòd scilicet eorum adminiculo quis *abstinere* & *sustinere* discat (in quibus duobus capitibus tota perfectio & sapientia hominis Christiani consistit) uti tum ratione, tum exemplis facilè probari potest.

Eccl. 12. v. 5. II. Ex occasione thematis: *Ibit Homo in domum æternitatis suæ:* potest narrari Parabola Barlaami de civitate, in qua consuetudo erat, ut Rex non nisi per annum regnaret, postea nudus in exilium expelleretur; quod advertens quidam Rex sapiens, toto illo anno suos thesauros occultè in locum, in quem expellendum se sciebat, præmisit, unde postea expulsus, omnia cum gaudio invenit, ac fruitus est. Applicetur postea Parabola cuivis homini Christiano, atque ad thesauros bonorum operum præmittendos excitetur.

III. Ex occasione thematis: *Faciamus & ipsi nobis nomen:* potest narrari, quod supra de Zeuxe dictum est, quòd scilicet ideo tamdiu se pingere dixerit, quia æternitati pingebat: Excitentur proinde Auditores, ut & ipsi firmiter sibi persuadeant, se æternitati laborare, atque adeò cum magna perfectione omnia sua opera perficere studeant. Quod ut tantò alacriùs faciant, ostendatur nominis & præmij æterni, quod sibi per opera sua parare possunt, excellentia & magnitudo. *1. Mach. 5. v. 57.*

IV. Ex occasione thematis: *Reposita est mihi corona justitiæ:* potest dici, vitam nostram esse similem ludo eorũ, qui ad annulum currunt, ubi, qui lanceâ annulum penetrat, & aufert, præmium & laudem acquirit. Dicatur autem hunc annulum esse æternitatem, lanceam esse considerationem & memoriam, quâ quicunque annulum illum penetrabit, præmium optimæ vitæ in hoc sæculo, & gloriæ in futuro auferet, id quod facilè copiosiùs ostendi potest. *2. Tim. 4. v. 8.*

§. VII.

AXIOMATA.

I. MOmentaneum, quod delectat: æternum, quod cruciat.

Was wohl thut / wehrt ein kleine Zeit /
Was weh thut / wehrt in Ewigkeit.

II. Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat.

Was weh thut / wehrt ein kleine Zeit.
Was wohl thut / wehrt in Ewigkeit.

III. Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas. *S. Bern. apud Engelgr. emblem. §. ult.*

Sehr gfährlich man alldorten spilt /
Wo es das lange Ewig gilt.

IV. Nil leve, quod æternum est.

Nichts ring / was Ewig.

V. Si vis beatus esse, hoc primùm cogita, æternorum intuitu contemnere, & contemni.

§. VIII.

AUTHORES.

I. JEremias Drexelius de Ætern.
II. Joan. Baptistæ Manni Circulus Æternitatis.
III. Henricus Engelgrave Embl. 1. Lucis Evangel.
IV. Philippus D'Outreman p. 1. c. 8. §. 9.
V. Daniel Bartoli in germanicam linguam ex Italica 1660. versus.



TITV-

TITVLVS VI.

A M I C I T I A.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 1. *S. August. Epist. 45.*



EST juxta S. Thomam, amor mutuæ benevolentiæ, super aliqua communicatione fundatus. Juxta S. Augustinum, est omnium humanarum, divinarumque rerum cum benevolentia & caritate summa consensio.

Divisio.

S. Thom. l. c. II. Dividitur à S. Thoma in *Naturalem*, quæ inter Patrem & Filium, ceteróſque consanguineos, inter quos communicatio rerum ad naturam pertinentium esse debet, reperitur. *Domesticam* vel *Oeconomicam*, quæ est inter Domesticos in his, quæ ad domus dispensationem pertinent. *Civilem* vel *Politicam*, quæ inter Concives invenitur per operum civilium communicationem. *Divinam*, quâ Homines in uno corpore Ecclesiæ communicant, inter se, & cum DEO.

Actus.

S. Ambros. l. 3. de offic. III. Primus est *Benevolentia in affectu*, per quam Amicus propter se, & non propter sua bona diligitur; nam, teste S. Ambrosio, virtus est amicitia, non quæstus, quia non pecuniâ paratur, sed gratiâ.

S. Hier. ad Demetriad. IV. *Concordia in sensu*: nam in Amicis non res quæritur, sed voluntas, ut sapienter S. Hieronymus dixit; eadem velle, & eadem nolle, firma amicitia est.

Arist. l. 8. Eth. c. 9. V. *Beneficentia in effectu*: seu communicatio bonorum; quam ob causam amicorum omnia bona communia dicuntur.

S. Aug. l. 12. qq. *Cassiod. in epist.* VI. *Fides & Constantia in adversis*: nam, ut S. Augustinus rectè pronunciavit: nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio; &, ut Cassiodor ait, qui verè Amicus est, omni tempore diligit; nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Prov. 17. v. 17. I. OMni tempore diligit, qui Amicus est: & Frater in angustiis comprobatur.

Eccl. 22. v. 28. II. Fidem posside cum Amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hæreditate illius cohæres sis.

III. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget: si humiliaverit se contra te, & à facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam. *Eccl. 6. v. 11.*

Utilitas.

IV. Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est ponderatio digna auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum. *Ib. v. 14.*

V. Unguento & variis doloribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur. *Prov. 27. v. 9.*

VI. Beatus, qui invenit amicum verum. *Eccl. 25. v. 12.*

Falsitas.

VII. Est Amicus secundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. *Eccl. 6. v. 8. & 10.*

VIII. Sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lanceas in mortem: ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, &, cùm fuerit deprehensus dicit: Ludens feci. *Prov. 26. v. 18.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. VEra illa amicitia est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantùm, non subdola & palpans adulatio, sed DEI timor, & divinarum Scripturarum conciliant studia. *S. Hier. in epist. ad Paulinũ.*

II. Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera. *S. Ambr. de offic.*

III. Amicitia parem aut facit, aut accipit. Ubi inæqualitas, & alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quàm adulatio est. *S. Hieron. sup. Mich.*

IV. Necessitas amicum probat, & intimæ caritatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. *Cassiod. in quad. epist.*

V. Amicitia tantò certior est, quantò vetustior; quia facilè mutari non potest, quod per longa secula custoditur. *Idem.*

VI. Non potest homo homini esse amicus, qui DEO fuerit inimicus. *S. Ambros. apud Engelg. embl. 19. Luc. Evang. p. 2.*

VII. Quid est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis fieri è duobus: cui te tanquam alteri tibi committas, *S. Ambr. l. 3. de off. c. ult.*

mittas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui inhonestum petas? non enim vectigalis amicitia, non quæstus, quia non pecunia quæritur, sed gratiâ; nec licitatione pretiorum, sed benevolentiæ.

Necessitas.

Cassiod. in epist. VIII. Sine Amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio vivere, esset mori.

Utilitas.

S. Ambros. l.3. de offic. IX. Solatium hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur; facilis vox, & communis: totus sum tuus: sed paucioris est effectus.

Ibid. l. 3. de fam. bono. X. Amicitia & prosperas res dulciores facit, & adversas communione temperat, & leviores reddit; quia, dum in tribulatione Amici consolatio adjungitur, nec animus frangitur, & minùs eadem patitur.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

1. Reg. 18. v. 1. I. Jonathas dilexit David quasi animam suam, quia anima illius erat conglutinata animæ David; hinc & expoliavit se Jonathas tunicâ suâ, quâ erat indutus, & dedit eum David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balteum.

Ribadeneyr. l. 4. c. 4. §. 15. II. Cùm in navigatione Indica, fractâ navi, plerique in Lembum adhærentem insilijssent, & propter periculum submersionis decretum esset, aliquot homines in mare ejicere, & præter alios etiam sors Gasparem Ximenium tetigisset, Ferdinandus Frater ipsius junior dixit, non passurum se, ut Gaspar ejiceretur, sed se ponùs Vicarium caput offerre; atque adeò nequicquam urgente Fratre, ut ipse velut sorte destinatus in aquas produceretur, persuasit, ut in undas abjiceretur. Sed quia à DEO roboratus, totum penè diem per 360. passuum millia natando Lembum secutus est, tandem placato mari à vectoribus iterum in Lembum receptus est.

Engelgr. p. 2. Luc. Evang. symbl. 13. §. 3. III. In Belgio cùm vir quidam insignis in extrema luctà, inprimis uxorem, deinde Filios & Filias, & demum servos & ancillas rogâsset, ut opem ferrent, & singuli respondèrent, non esse hoc in sua potestate, in has voces & gemitus erupit: O vanas hominum curas! O quantum est in rebus inane! Ecce ego tibi Uxor, vobis, ô Filij & Filiæ, laboravi, sudavi, vires & valetudinem impendi, quin & animam meam fortè oppignoravi, & ecce hæc est merces mea, ut in hora novissima implorem opem vestram, & non inveniam. O quàm satius fuisset, si DEO servijssem! Si amicos in terra & in cœlis mihi comparâssem, qui in hoc articulo mihi adessent! O si vivere liceret, quàm sapetem!

Ibid. IV. Quidam moribundus cùm calicem amaræ potionis tremulâ manu teneret, & quidam ex adstantibus eum hortaretur, ut amicissimo calicem hunc propinaret, Christum è cruce pendentem intuitus dixit: Tibi Amicorum meorum dilectissimo hunc calicem propino, qui salutis meæ causâ calicem passionis epotâsti.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Plutarch. in apoph. I. Pericles Amico roganti, ut pro se falsum testimonium diceret, se quidem Amicum esse dixit, sed ad aras usque.

Val. Max. l. 6. c. 4. II. Rutilius, cùm amico injustum quid petenti negâsset, & is diceret: quid ergo tuâ mihi opus est amicitiâ, si, quæ peto, non impetrem? respondit: quin imò quid tua mihi prodest amicitia, si inhonesta propter te facere cogar?

Plutarch. in apopht. III. Scipio dabat operam, ne aliquando à foro rediret domum, priusquam aliquem eorum, in quos incidisset, sibi familiarem & amicum effecisset, sentiens, nullam esse homini possessionem meliorem.

Erasm. l. 5. apopht. IV. Dionysius Senior admiratus egregiam fidem Damonis & Pythiæ, (quòd scilicet Damon ad mortem damnatus, cùm facultatem impetrâsset, domum priùs eundi, & res suas componendi, & Pythias interea vadem se obtulisset, ad constitutum tempus redierit) rogo, inquiebat, ut me quoque in amicitiam vestram recipiatis; simùlque vitam damnato donavit.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Man. f. 6. I. Sicut equi virtutem in bello exploramus; ita amicum in calamitate & infortunio probamus.

Plutarch. in moral. II. Sicut diligenter compingitur navis, quæ varijs in tempestatibus usui est futura; ita diligenter priùs probandus est amicus, quo quis constantet est usurus.

Seneca in simil. III. Sicut suavius est Antiphonum, quàm si vox eadem semper audiatur; ita jucundior est Amicus ita concordans, ut tamen interdum, ubi opus est, dissideat, quàm Adulator per omnia semper assentiens.

S. Cyprian. de singular. Cleric. IV. Sicut oculus unus verti non potest, nisi & alter ad idem objectum vertatur; ita inter Amicos, quidquid unus voluerit, idem & alter volet.

S. Aug. s. 2. de verb. Apost. V. Sicut Cervi per fluvium natantes capita tergo antecedentis imponunt; ita & Amici, ut commodiùs per mare hujus Mundi transeant, onera sua Amicorum humeris imponunt.

Vulg-

Utilitas

Plutarch. in moral. VI. Sicut Medicus ægrum etiam non sentientem sanat; ita Amicus, etiamsi ignoretur, amicum juvat.

Cato apud Man. f. 6. VII. Sicut apem propter aculeum non odio habemus, sed potiùs propter fructum toleramus; ita amicum propter amicam objurgationem non aversari, sed potiùs propter benevolentiam amare oportet.

Falsitas.

Cicero l. 4. ad Herenn. VIII. Sicut hirundines æstivo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt; sic amici falsi sereno tempore præstò sunt; at simul ubi fortunæ hyemem viderint, aufugiunt.

Fab. conc. 14. in fer. reg. IX. Sicut baculi arundinei, dum eis inniti volumus, franguntur; ita amici falsi, dum opem eorum expetimus, non juvant.

Ibid. X. Sicut argentum vivum, licet auro sit arctissimè copulatum, in igne tamen id deserit; ita Amici falsi, etsi viventi amico fortissimè adhæserint, morientem deserunt.

§. VII.

MEDIA.

Eccl. 6. v. 17. I. Timor DEI: juxta illud Siracidis: Qui timet DEUM, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundùm illum erit amicus illius.

Ibid. v. 5. II. *Mansuetudo & affabilitas*; juxta illud ejusdem Siracidis: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.

Plut. in Lacon. III. *Communicatio bonorum*: sic Antalcidas docuit, qui interrogatus, quo pacto quis amicos sibi facere posset? respondit: Si loquatur illis jucundissima, & utilissima præstet. Hinc & communis persuasio orta, amicitiam tribus foveri, pileo (obvium amicè salutando) chartâ (literas scribendo) & vitro (haustum amico offerendo; uti olim Alphonsus Rex Aragoniæ dicere solebat.

Engelgr. embl. 13. §. 1.

IV. *Tolerantia malorum pro Amico susceptorum*: hinc de SS. Martyribus canit Ecclesia: Calicem Domini biberunt, & amici DEI facti sunt.

Joan 15. v. 14. V. *Consensio voluntatum*: hinc Christus dixit Apostolis: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.

§. VIII.

ASCETICA.

Thom. Kemp. l. 2. c. 8. I. Duo sunt, quæ Asceta specialiter circa Amicitiam observare debet. Primum est, ut sciat, quænam potissimùm Amicitia quærenda & conservanda sit, ea scilicet, de qua pius Asceta sic loquitur: Sine Amico non potes bene vivere, & si JESUS non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Ob binam autem causam hic præ cæteris in amicum est eligendus. Priorem idem

l. c. c. 7.

Author libr. c. indicat, dum ait: Dilectio creaturæ fallax & instabilis; dilectio JESU fidelis & perseverabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui amplectitur JESUM, firmabitur in ævum. Illum dilige, & amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus te non relinquet, nec patietur in fine perire. Teneas te apud JESUM vivus & moriens, & illius fidelitati te committe, qui, omnibus deficientibus, solus te potest juvare. Posteriorem S. Augustinus his verbis indicavit: Nihil delectabilius DEO; nam in homine sunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam. DEI amicitia, quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te, non invenies. Et non est DEUS, qui te offendat, si tu eum non offendas; nihil eo pulchriùs, nihil dulciùs. Hine alibi idem Author sic animam alloquitur: O anima mea, dilige eum, à quo tantùm dilecta es. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ, cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam. Quanti verò æstimanda sit hæc amicitia, paucis, sed efficacibus verbis indicavit Sanctus Gregorius, dum exclamavit: O mira divinæ bonitatis dignatio! Servi digni non sumus, & amici vocamur: Quanta dignitas est hominum, esse amicos DEI; Porro quibus mediis hæc amicitia procuranda & conservanda sit, pulchrè indicavit libellus de imit. Christi, dum ait: Magna ars est, scire cum JESU conversari, & scire JESUM tenere, magna prudentia. Esto humilis & pacificus, & erit tecum JESUS. Sis devotus & quietus, & manebit tecum JESUS. Potes citò fugare JESUM, & gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaveris, & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Nónne hoc est majus damnum, quàm si totum perderes Mundum? quid potest tibi Mundus conferre sine JESU?

S. Aug. l. 50. hom. 36.

Idem in manual. c. 24.

S. Greg. apud Eng. embl. 13. §. ult.

Lib. 2. c. 8.

II. Alterum est, ut nôrit discernere & fugere particulares & noxias amicitias, quod ut tantò certiùs præstet. Primò, nôsse in genere debet, quænam particulares & noxiæ amicitiæ dicendæ sint, scilicet omnis illa, cujus causa & fundamentum non est DEUS. De qua clariùs locutus S. Basilius, Caritatem quidem, inquit, habere inter se mutuam debent Fratres, non ita tamen, ut duo, tresve seorsim à cæteris Sodalitatem ineant. Quandoquidem hoc non caritas, sed carnalitas, sed seditio & divisio foret, & eorum, qui sic coëunt, improbitatis judicium. Secundò, nôsse debet species harum amicitiarum, quarum tres enumerat Alphonsus Rodriquez, quarum prima est eorum, qui ob similitudinem naturæ, aut amabilita-

S. Basil. c. 30. constit. Mon.

Rodr. p. 3. tr. 4. c. 13. & seq.

bilitatem, formámque corporis se mutuò plùs, quàm alios diligunt. Altera eorum, qui certis quibusdam Personis, à quibus promotionem ad honorata officia sperant, adhærent, eorúmque gratiam & favorem variis obsequiis aucupantur. Tertia & pessima est eorum, qui inter se coeunt ad novitates in Religionem inducendas, & constitutiones ejusdem convellendas, de quibus proin jure dicatur illud Canticorum: Filij Matris meæ pugnaverunt contra me. 3. Nôsse debet indicia, per quæ cognosci possunt ejusmodi amicitiæ, quæ quidem clarè S. Laurentius Justin. sequentibus verbis indicavit: Hic amor, cùm in corde imprudentis exortus radices mittere ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem habitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentiâ contristatur. Solus vult cum eo, quem diligit sensualiter, loqui: solus cum eo conversari, quia in illius mente habitare jam cœpit; livore quippe invidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conversari perspexerit. Absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis jacturam æstimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult, atque cæco seductus errore ignorat, se vesano amore percussum. 4. Nôsse debet damna, quæ ex talibus amicitiis oriri solent, & ad tria ferè capita revocari possunt, dum scilicet *DEO* subtrahitur debitus amor, aut certè in creaturas dividitur; quam ob causam, ut observavit S. Chrysostomus, Christus post Resurrectionem suam non est versatus cum Dicipulis, quadraginta diebus, sed per quadraginta dies, advolabat enim, ac devolabat rursum. Cur ita tandem? subducebat animos illorum ad altiora, nec patiebatur illos similiter erga ipsum sic affectos esse, quemadmodum priùs fuerant. Siquidem sic erant affecti, ut admodum ægrè ab illo divellerentur. Unde & consolans illos dicit: Expedit vobis, ut ego vadam. Deinde ipsi quoque *Communitati* seu *Religioni* graviter nocent; nam inducunt varias divisiones, clancularios congressus, conspirationes, odia, suspiciones, invidias, inimicitias, atque adeò deterrima pestis Religionum meritò vocantur. Denique ijs ipsis, qui eos fovent, nocent gravissimè, dum & omni merito eos privant (nam, teste D. Thoma, dilectio amicorũ apud DEUM mercedem non habet, quando propter hoc solùm amantur, quia amici sunt) & gratiarum divinarum influxum impediunt; nam si, ut bene discurrit S. Bernardus, Apostoli carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta erat, Spiritu Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ (& carnalibus sociis) adstrictus & conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te putas posse suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Id quod bene advertit S. Gertrudis, hinc cavebat maximè in verbis, ne cujusquam hominis cor sibi attraheret, néve in ejus se amicitiam insinuaret, unde quâvis pôst occasione retraheretur. Omnem enim amicitiam humanam, cujus advertere potuit causam, fundamentúmque non esse DEUM, ut virus lethale abhorrebat, malebátque obsequiis ac beneficiis cujuscunque carere, quàm admittere, ut humano secum favore cor cujusquam esset occupatum. Ejusdem animi Joannes de Luca ex Ordine S. Francisci erat, qui, cùm à quodam interrogatus fuisset, cur tantopere Fratrum consortium vitaret? Respondit, id se ob ipsorum bonum facere; quantò enim ipse DEO unitus foret, tantò plùs eorum commodis se prospecturum; teneriores verò cum ijs amicitias à DEO retrahere, adeóque sibi & ipsis officere.

Cant. 5. v. 6. — *S. Laur. Justin. de disc. monast. c. 22.* — *S. Chrysost. ho. 1. in Acta Apost.* — *S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 7. ad 1.* — *S. Bern s. de ascens.* — *L. 1. insin. c. 7.* — *Rodriq. p. 1. tr. 4. c. 18.*

§. IX.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. VEra amicitia tria requirit maximè, virtutem tanquam honestam; familiaritatem ut jucundam, & usum tanquam necessarium; nam ubi judicâtis amore dignum, recipere debes, & congressu lætari, & uti, si eges. *Man. f. de amic.*

II. Si aliquem Amicum existimas, cui non tantùm credis, quantùm tibi, vehementer erras, & non satis nôsti vim veræ amicitiæ, inquiebat olim Seneca. *Senec. ep. 3.*

III. Tarquinius Superbus exul factus dixit, se tum denique cognovisse, quos fidos Amicos haberet, quos infidos, cùm neutris gratiam referre posset. *Erasm. l. 6. apopht.*

IV. Rectè cecinit Poëta: *Ovidius.*

Donec eris felix, multos numerabis Amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

V. Cùm quondam Hirundo ad Matrem dixisset, se Turdum perquam commodum amicum reperisse, respondit Mater: Erras, ô Filia, nam malè tecum convenier, cùm tu calorem, ille frigus amet: tu ver sequaris, ille brumam petat. *Langius in polyanth.*

VI. Cùm Carbonarius quondam Fullonem ad ædes spatiosas secum inhabitandas invitaret, negavit id Fullo dicens: quid commercij nobis esse potest, cùm, quæ ego eluendo nitida effeci, tu fuligine obfusces? *Ibid.*

VII. Cato Censorius in annulo hoc symbolum gestabat: Esto amicus unius, & inimicus nullius: *Plin. in epist.*

VIII. Verè Ovidius cecinit: *Ovid. l. 2. de pont.*

Turpe quidẽ dictu, sed si modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

IX. Non malè gemini illi Aulici, teste S. Augustino, discurrerunt, qui considerantes, quanto molimine gratia Principum acquiratur, & conservetur, ad se mutuò dixerunt: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? majórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenúmque periculis? amicus autem DEI si voluero, ecce jam fio. *S. Aug. Conf. c. 24.*

X. Lilius Giraldus sic amicitiam depinxit: Juvenis stabat detecto capite, rudi tunica indutus, in cujus fimbria scriptum erat *vita* & *mors*, in fronte *æstas* & *hyems*, habebátque latus apertum, digitum verò cordi intentum cum hac epigraphe: *longè & propè*. Cujus figuræ hæc erat exposi- *Engelgr. embl. 45. p. 2. §. 2.*

expositio: Juvenis significabat amicitiam semper florentem esse debere: nudum caput indicabat, nihil aliud, quàm amici bonum quærendum: rude indumentum, tolerantiam laborum; vita & mors, Societatem perpetuam; æstas & hyems, prospera & adversa; latus apertum, candorem & simplicitatem; nudum cor, sinceri amoris exhibitionem; longè & propè, ejusdem in omni loco constantiam significabat.

Ibid. XI. Interrogatus quidam, quid esset amicus? respondit, alter ego. Unde & Cicero dixit: Est is amicus quidem, qui est tanquam alter idem, alterum enim acquirit, cujus animum ita cum suo commisceat, ut efficiat penè unum ex duobus. Hinc Sysigambi Darii Uxori, Hephestionem pro Alexando salutanti, & cognitum errorem depreeanti, respondit Alexander: non errâsti, nam & hic Alexander est.

Necessitas.

Salust. in Iugurt. XII. Rectè dixit Sallustius: non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt, sed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur.

Dignitas.

Apud Engelgr embl. 13. §. 2. XIII. Nec malè S. Gregorius Nazianz.

Fidis amicis nil puta præstantius,
Quos casus asper parturit, non pocula.

Jucunditas.

Cicero de amicitia. XIV. Exceptâ Sapientiâ, inquit Cicero, nihil melius datum est homini à Dijs immortalibus, quàm amicitia. Quid enim dulcius, quàm habere, cum quo omnia audeas sic loqui, ut tecum? quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æquè, ac tu ipse gauderet? adversa etiam ferre difficile esset sine eo, qui illa gravius etiam, quàm tu ferret.

Senec. ep. 79. XV. Nihil æquè ægrum reficit, quàm amicorum affectus: non judico me mori, cùm illos superstites reliquero; puto, inquam, me victurum non cum illis, sed per illos.

Falsitas.

XVI. Verè de falso amico cecinit Martialis:

Mart. L. 2. Hunc, quem vina tibi, quem mensa parârit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & cyathos, & sumina, & ostrea, non te:
Sublato vino nullus amicus erit.

Maxim. s. de amicit. XVII. Antigonus Dijs sacrificans precabatur, ut se à simulatis servarent amicis; cùmque quis interrogaret, cur hoc peteret? respondit: Quia hostes, cùm cognosco, caveo.

Vita Barlaam c. 13 XVIII. Pulchrè falsos Amicos à veris discernere docuit Barlaam, dum dixit, fuisse quempiam, qui ex tribus, quos habebat, amicis, duos omni benevolentiâ prosequebatur, tertium nihili faciebat. Quem tamen, ubi ad Judicem citatus opem petijt, solum fidelem patronum & Comitem expertus est, cùm primus non nisi vestem obtulerit, secundus ad parvum duntaxat intervallum comitatus est. Es his autem amicis Barlaam primum divitias, secundum uxorem & reliquos consanguineos, tertium opera bona significare dixit.

§. X.

AXIOMATA.

I. AMicorum omnia sunt communia. *Pythag. apud Gellium.*

II. Mores amici noveris, non oderis. *Langius in polyanth. V. eod.*

Der Freund Gebrechen soll man kennen / aber nicht nennen.

III. Novos parans amicos, ne obliviscere veterum. *Ibid.*

IV. Neque nulli sis amicus, neque multis. *Ibid.*

Zuwenig Freund / und auch zuvil / Verderben dir allbeyd das Spil.

V. Amicus certus in re incerta cernitur. *Tullius.*

Noth und Unglück / entdecken falscher Freunden Dück.

VI. Tempore felici multi numerantur amici, *Buchlerus V. eod.*
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

In Elend / in Gefahr / und in Noth / Gehn der Freund tausend auff ein Loth.

VII. Alt Wein / alt Freund / alt Gelt / Führen den Preyß in aller Welt. *Florileg. polit.*

VIII. Freund in der Noth / Freund in dem Tode / Freund hinder ruck / seynd drey starcke Bruck.

IX. Ubi opes, ibi amici. *Ibid.*

Wo Gelt / da die Welt.

§. XI.

AUTHORES.

I. ARistoteles in magnis moralibus.

II. Cicero in Lælio.

III. Josephus Langius in Polyanthea. V. eodem.

IV. Franciscus Petrarcha l. 1. Dial. 50. & seq.

V. Matthæus Tympius in Mensa Theolo-Philosophica.

VI. Henricus Engelgrave p. 2. Lucis Evang. embl. 13. & 45.

VII. Alphonsus Rodriquez de particularibus amicitijs. p. 1. tr. 4. c. 18. 19. & 20.

VIII. Hadrianus Lyræus l. 3. Apopht. t. de part. amic. ubi hoc axioma S. J. Ignatij explicat: Ut inter homines tutò verseris, æquus sis omnibus, nemini obnoxius.

IX. S. Franciscus Salesius in Introd. ad devotam vitam. p. 3. c. 17. 19. 20. 21. & 22. ubi totam hanc materiam egregiè pertractat, &, quomodo vera Amicitia à falsa discernenda sit, solidè ostendit.

X. Bernardinus Rosignolius de discipl. Christ. perf. l. 4. c. 27.



TITVLVS VII.

AMOR SUI.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Est inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum; unde alio nomine amor concupiscentiæ vocatur, ad distinctionem amoris amicitiæ, quo bonum voluntas appetit, non ut proprio, sed alieno subjecto bonum & conveniens est.

Divisio.

Inlius Fat. c. 6. confid. 5. II. Dividitur in *bonum* & *malum*, seu *communem* & *proprium*. Communis & bonus est, quando homo seipsum & alia propter DEUM amat; atque ideò communis vocatur, quia idem est cum amore, quo DEUS ejusmodi objecta amat. Proprius & malus est, quando homo in se, aliisque rebus amandis, seipsum finem amoris statuit; hinc amor iste *proprius* vocatur, quia in propriam Personam desinit: *malus* verò seu *perversus* appellatur, quia, quantùm est in se, pervertit ordinem, quem DEUS secundùm divinam suam providentiam homini, cæterisque creaturis præscripsit, ut nimirum ad se tanquam ultimum finem omnia tendant, & in se desinant. *S. Aug. in medit.* De quo amore S. Augustinus sic loquitur: Duo amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt peccatore; & ideo si quis præter te aliud diligit, non est caritas tua DEUS in eo, amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans.

S. Thom. in 3. dist. 27. q. 1. a. 6. III. S. Thomas post Aristotelem dividit amorem sui in *exteriorem*, seu secundùm partem irrationalem & sensitivam (qualis est bonorum corporalium, & temporalium, puta divitiarum, honorum, voluptatum corporis &c. amor) & *interiorem*, seu secundùm partem rationalem, quo bona æterna & spiritualia appetuntur; unde dicit S. Doctor, amare seipsum, quantùm ad exteriorem hominem, est vituperabile: sed quantùm ad interiorem est laudabile.

Actus Amoris sui vitiosi.

Th. Kemp. l. 3. c. 54. I. Se pro fine habere.

II. Nolle premi, aut subesse.

III. Pro suo commodo semper laborare.

IV. Honorem & reverentiam desiderare, confusionem verò & contemptum timere.

V. Otium & quietem corporalem amare.

VI. Appetere curiosa & pulchra, abhorrere à vilibus & grossis.

VII. Gaudere ad lucra terrena, tristari de damno.

VIII. Amare propria & privata, inclinare ad vanitates & discursus.

IX. Solatia sensibilia venari.

X. Gaudere de multis amicis & propinquis, gloriari de nobili loco & ortu generis.

XI. Arridere potentibus, blandiri divitibus, applaudere sibi similibus.

XII. De defectu & molestia citò queri.

XIII. Appetere scire secreta, & nova audire: velle exteriùs apparere, & multa per sensus experiri.

XIV. Desiderare agnosci, & agere, unde laus & admiratio procedit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI. *1. Cor. 2. v. 14.*

II. Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. *7. Rom. v. 18.*

III. Condelector enim legi DEI secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. *Ib. v. 22.*

IV. Ego ipse mente servio legi DEI, carne autem servio peccato. *Ib. v. 25.*

V. Sensus & cogitatio hominis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. *Gen. 8. v. 21.*

Damnum.

VI. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Io. 12. v. 25.*

VII. In novissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, voluptatum amatores magis, quàm DEI. *2. Tim. 3. v. 2.*

VIII. Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum (amorem proprium, aut carnem suam) postea sentiet eum contumacem. *Prov. 29. v. 21.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. Sic condita est mens humana, ut nunquam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligat. *S. Aug. l. 14. de SS. Trin.*

Fuga.

II. Dominus communi disciplina, communi vita, communibus studiis delectatur. Usquequò miser diverticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas? tanto *S. Bern. in serm.*

rubore

rubore mendicas? & quid faciam, inquis? ejice Ancillam & Filium ejus.

S. Aug. tr. 51. in Ioan. III. Magna sanè ac mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat: odium, ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amâsti. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices, qui oderunt custodiendo, ne pereant amando.

Tho. Kemp. l. 4. c. 5. IV. Melior ac sanctior nostri amor locum in nobis accipiat; nec enim fuerit, quò intret ad te amor DEI, nisi exulet amor tui. Ubi se ipsum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit, solus namque hic dominari vult, qui præcepit, ut feraris in DEUM ex toto corde, ex tota anima. Partem non accipit, gloriosæ indolis est; totum deposcit, ut totum tibi largiatur.

Damnum.

S. Basil. ap. Lyraum l. 2. apoph. 1. V. Stipendium amoris proprii mors est, initium omnis mali.

Maxim. ap. Gran. loc. com. f. 617. VI. Amor sui, est corporis ratione carens amicitia, ex qua quidem nascitur gulositatis ratio, & inanis gloriæ cupiditas. Ex his autem nascitur universus malorum numerus.

S. Greg. hom. 4. in Ezech. VII. Valde claudit oculum cordis amor privatus.

S. Aug. s. 47. in c. 17. Matth. VIII. Prima hominis perditio fuit amor sui; si enim se non amaret, & DEUM sibi præponeret, DEO semper esse subditus vellet: non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Præpone his voluntatem DEI, disce amare te, non amando te.

S. Aug. s. 16. Mat. IX. Si totum hominis bonum est, amare DEUM, totum hominis malum erit amare se ipsum.

S. Leo apud Lyraum l. 2. apophthegm. 2. X. Tantò ampliùs se quisque amat, quantò ampliùs se pro DEI amore non amat.

§. IV.
EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

l. 3. c. 27. I. Scito, quòd amor tui ipsius magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi. Secundùm amorem & affectum, quem geris, quælibet res plùs vel minùs adhæret.

Ibid. II. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum & proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber à sollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit, qui adversetur.

l. 3. c. 53. III. Ex hoc vitio, quòd homo semetipsum nimis inordinatè diligit, penè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est: quo devicto & subacto malo, pax magna & tranquillitas erit continuò.

Ibid. IV. Qui liberè mecum ambulare desiderat, necesse est, ut omnes pravas & inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ privato amore concupiscenter inhæreat.

l. 2. c. 11. V. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc longè est. Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multùm sibi deest, scilicet unum, quod summè sibi necessarium est, quid illud? ut omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat.

VI. Fili, oportet te adhuc multa discere, quæ necdum bene didicisti. Quæ sunt hæc, Domine? Ut desiderium tuum ponas totaliter secundùm beneplacitum meum, & tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator. l. 3. c. 11.

VII. Si temetipsum perfectè viceris, cætera faciliùs subjugabis. Perfecta victoria est, de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, & Dominus mundi. l. 3. c. 53.

§. V.
EXEMPLA SACRA.

I. S. Franciscus Salesius, ut de ipso Confessarius testabatur, usque adeò omnem commodi & incommodi rationem negligebat, ut dicere solitus sit, se, si vel levem aliquam amoris proprii festucam in corde suo residuam nôsset, illico eam ferro, flammâque persecuturum. Vit. l. 4. c. 5.

II. B. Angela de Fulginio plùs ab amore proprio, quàm ab ipso Dæmone sibi metuebat, ut qui, nisi per eum, nihil in nos potestatis habeat; per eam verò quasi vulpeculam semper è grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripit. Hinc dicere solebat: Filii carissimi, nihil est in hoc mundo, nec homo, nec diabolus, nec aliqua res alia, quam tantopere habeam suspectam, quantùm hunc amorem. Mentem namque penetrabilior omni gladio ancipite transit, ac cor totum pervadit, &, nisi coërceatur, animam millenis calamitatibus invadit. Vit. c. 64.

III. Fridericus Imperator victis in Ungaria Gunziensibus, magnum, inquiebat, actum est opus, nunc autem majus restat, ut scilicet vincamus nos ipsos, atque avaritiæ, & ulciscendi nos cupiditati frenos injiciamus, quo fiat, ut de privato publicus, de falso verus nostri amor triumphet. Lyraeus l. 2. apopht. 1.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius adeò puram in se caritatem alui, ut omnem sui ipsius amorem prorsus à se amandaverit. Hinc sciscitanti cuipiam, quæ optima esset via in studio virtutum proficiendi? respondit: Hoc unusquisque persuasum habeat, tantùm se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantùm ab amore sui ipsius & commodi proprii affectione sese abstraxerit. Propterea in Constitutionibus gravissimum & capitalem omnis ordinis & unionis hostem appellabat. Relat. pro canon. p. 2. pag. 16. Bartolus l. 4. vit. §. 17. Const. p. 8. §. 9.

II. S. Fran-

Lyraeus l. 2. apoph. 11. II. S. Franciscus Xaverius constanter bellum proprio amori indixit; hinc omnis cibi, potionisque modus naturali necessitate, non voluptate finitus, ita ut ne pane quidem expleret famem. Hinc assiduò in ore habebat, fuisque inculcabat: Vince teipsum; causámque tam frequentis repetitionis rogatus respondit: Quia hoc praeceptum S.P.Ignatii est; & si fiat, sufficit.

Ibid. III. S. Franciscus Borgia, quidquid amori proprio contrarium erat, sive in victu, sive in habitatione, sive in officiis, avidè desiderabat, sollicitè exquirebat, & cum gaudio amplectebatur, ex quo studio maximos ad omnem virtutem progressus fecit.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Lyraeus l. c. I. Sicut vulpes mortuam se simulat, ut gallinas occupet: canis latratum imitatur, ut custos pecoris, non hostis existimetur; sic Philautia affectus suos sopit, & caritatis vocem ac larvam mentitur. Hinc Sponsa air: Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas nostras. *Cant. 2. v. 15.*

Damnum.

Ibid. II. Sicut apes, quia mel suum summopere amant, ad alvearia propiùs accedentes efferatae invadunt, & aculeo figunt; ita qui sibi, suísque voluptatibus serviunt, omnes, qui in earum fruitione obsistunt, impetunt, ac vulnerant.

Ibid. III. Sicut Caecias ventus nubes ad se cogit, nec tamen depluere sinit; sic amor proprius omnia ad se rapit, nec tamen quidquam aliis impertitur.

Julius Fat. c. 6. de mord. conscio. fid. 5. IV. Sicut ferrum nulla re magis atteritur, & destruitur, quàm rubigine, quàm producit ex seipso, & fovet: ita nihil est, quod ita animam debilitet, enervétque in via spirituali, ac rubigo proprii amoris, quam ipsa ex se producit, & in se fovet ac nutrit.

§. VIII.

MOTIVA

Ad amorem sui exuendum.

Stapl. conc. 10. in Dom. 1. Quadr. I. *Quia amor sui impedit cultum DEI:* nam quantùm est in se, adimit ei Divinitatem, utpote cujus solius est, omnia ad se tanquam finem dirigere. Hinc ab aliquibus Philautia species Idololatriae appellatur.

l. 3. c. 53. II. *Quia impedit proprium profectum:* Hinc Thomas Kemp. monet: Si ad hunc apicem (perfectionis) scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, ut evellas & destruas occultam inordinatam inclinationem ad teipsum, & ad omne privatum & materiale bonum.

S. Thom. 1. 2. q. 77. a. 14. III. *Quia impedit Religionis augmentum & pacem:* cùm nihil adeò caritatem & unionem dissolvat, quàm proprii & privati commodi amor. Hinc S. Thomas amorem proprium fontem omnis mali vocabat, ex quo, quamdiu fluxerit, nihil aliud, quàm exitium ac pestis timenda sint.

§. IX.

MEDIA

Ad eundem finem.

I. *Radicis extirpatio:* juvat enim, ut rectè notat Thomas Kemp. non qualibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potiùs contempta, & decisa ex corde radicitus. *l. 3. c. 27.*

II. *Resignatio sui perfecta:* sic enim idem Author indicavit, dum dixit: Hoc desidera, ut ab omni proprietate possis exspoliari, & nudus nudum JESUM sequi, tibi mori, & illi aeternaliter vivere. Tunc recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur. *l. 3. c. 37.*

Id quod confirmans S. Augustinus exemplo Filii prodigi, Quid, ait, de illo dicitur? Et reversus est ad seipsum. Si ergo reversus est ad se, exierat à se. Quia ceciderat à se, & exierat à se, redit priùs ad se, ut redeat in illo, unde ceciderat à se. Sicut enim cadendo à se, remansit in se, sic redeundo ad se, non debet remanere in se, ne iterum exeat à se. Surgam, & ibo ad Patrem meum; ecce unde ceciderat à se, ceciderat à Patre suo. Redit ad se, & pergit ad Patrem, ubi tutissimè servet se. Si ergo exierat à se, redeundo ad se, ut eat ad Patrem, neget se, subducat se sibi, ut haereat DEO. *S. Aug. f. 47. in c. 17. Matt.*

III. *Oratio & mortificatio assidua ac fervens:* sicut enim ferrum ignis ardore & ictibus malleorum, excussâ rubigine renovatur; sic igne ferventis orationis, & mortificationis ictibus assiduus, amoris proprii rubigo excutitur. *Iul. Fat. c. 6. confid. 6.*

IV. *Amor DEI:* ut enim clavus clavo pellitur; ita per DEI amorem omnis amor proprius effugatur.

§. X.

ASCETICA.

Ibid. I. Tria sunt praecipua, quae Asceta de Amore sui inordinato nôsse debet. Primum est, ut bene cognoscat indicia proprii amoris, quae quidem Julius Fatius sequentibus verbis indicat: Sicut ex effectibus cognoscuntur causae; ita ex nimia sollicitudine, quam plerumque habes de tua existimatione, tuis commodis, & teipso, ex nimio etiam dolore ob adversa, quae tibi solent accidere, facillimè colligere poteris amorem hunc, qui in te regnat, esse amorem turpissimum.

Lyraeus l. 2. apoph. 11. II. Alterum est, ut bene cognoscat modum extirpandi amorem proprium, quem quidem Lyraeus pulchrè ostendit, dum ait, quemlibet in se duos homines continere, animalem scilicet, & rationalem, quorum prior discolo & arroganti Esau, posterior probo ac miti Jacob non immeritò comparetur; unde sicut

Rebecca

Rebecca Jacobum dilexit, Esau autem odio habuit; ita voluntas quoque humana animalem hominem odisse & persequi; rationalem autem diligere, eique obsequi debet. Quod idem alius ingenioso emblemate explicavit, dum amoris proprii naturam exprimere volens Titionem pinxit unâ sui parte ignitum, alterâ frigentem, hoc lemmata adjecto: quà non nocet, arripe. Unde more suo sapienter Seneca, Fateor, inquit, insitam esse nobis corporis nostri caritatem. Fateor, nos hujus gerere tutelam, nec nego indulgendum illi, serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori servit; qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam sine corpore non possimus. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumeliis objicit, honestum ei vila est, cui corpus nimis carum est. Agatur ejus diligentissima cura, ita tamen, ut cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendum in ignem sit. *Senec. ep. 14.*

III. Tertium est, ut bene cognoscat, quàm noxius sit amor proprius, omni quidem Homini, sed maximè Religioso, & perfectionis studioso; id quod sequenti discursu sapienter Julius Fatius declarat: Considera, inquit, si ea est conditio boni, ut sese diffundat, & propaget; non posse non magnum esse malum, amorem proprium; quippe qui efficiat, ut homo illud, quod in aliis cernit, bonum, ad se totum pertrahat, nec de suo vel minimùm quid cum aliis communicet. Quòd si tantò majus aliquod malum est, quantò majori privat bono, erit certè amor proprius malum maximum; privat enim hominem bono, quo majus in hac vita haberi nequit, hoc est, amore DEI. *Julius Fat. c. 6. de mort. consid. 5.*

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Magnetem, ajunt, duas inter ferri lacinias positum, magno naturæ miraculo alteram attrahere; ex eo scilicet latere, quo Septentrionem respicit; alteram repellere, videlicet quæ ex latere meridionali ab eo respicitur. Idem cor humanum facere debet, attrahere scilicet ea, quæ divino beneplacito & rationi consona sunt; repellere verò, quæ sensualem vitam sapiunt. *Lyraus l. 1. apoph. 11. 3*

II. Cometæ quidam adeò stellis sunt similes, ut ipse Ptolemæus stellas secundas nominaverit, cùm tamen peritiores Astronomi eos è terra natos, & in tertia regione aëris consistere, & pestilentes effectus producere deprehenderint. Simili modo amor sui quibusdam verus & ordinatus amor videtur, cùm tamen ex effectibus pestiferis colligatur ex vitio ortus, & non nisi terrenas affectiones sapere.

Utilitas.

III. Hanc breviter & bene Horatius explicavit, dum dixit: *Horat. l. 3. oda 16.*

Quantò quisque sibi plura negaverit,
A Diis plura feret.

Damnum.

IV. Re vera usuvenit, ut omnium malorum, quibus hominum vita involvitur, nimius sui amor causa existat. Is enim, qui amat, circa id, quod amat, sanè obcæcatur: ac proinde de rebus justis, bonis, honestis malè judicat, cùm in ea est sententia, ut opinetur majorem sibi, quàm veritati honorem tribuendum. Non tamen decet, eum, qui vir magnus sit evasurus, in suis rebus acquiescere, sed ea potiùs complecti, quæ vel apud seipsum, vel apud alium quempiam justè fieri videantur. Itaque unusquisque à cæco illo sui amore abhorrere debet, & seipso meliores sequi, ut hujusmodi quidem in re nullam verecundiam prætexat, quâ à rebus præclarè agendis impediatur. *Plato l. 5. de legib.*

V. S. Maria Magdalena de Pazzis dicere solebat, duos asse oculos amoris proprii, alterum, propriam reputationem; alterum, proprium commodum; ab his, nisi eruantur, omnem fascinationem amoris proprii oriri. *Vit. p. 4. c. 14.*

§. XII.

AXIOMATA.

I. Tantùm quisque vivit DEO, quantùm moritur sibi. *S. Cath. Sen. in Dial.*

II. Tantò quis se ampliùs amat, quantò ampliùs se pro DEI amore non amat. *S. Leo apud Lyr. apoph. 11. l. 1.*

III. Tantùm in DEUM transit homo, quantùm à se exit. *Thó. Kemp. l. 3. c. 56.*

IV. Caritas incipit à seipso. *Anonym.*

V. Proximus quisque sibi.

VI. Qui sibi nequam, cui bonus? *Eccl. 14. v. 5.*

§. XIII.

AUTHORES.

I. Julius Fatius de mortif. c. 6. consid. 5.

II. Hadrianus Lyræus l. 1. apophtegm. S. Ignat. apopht. 7.

III. Bernardinus Rosignolius de discipl. Christ. perf.

IV. Ludovicus Granatensis in locis commun. f. 626.

V. Thomas Stapletonus concio. 10. in Dom. 1. Quadr.

VI. Nicolaus Lancizius opusc. 10. c. 13.

VII. Joannes Busæus in Panario V. eodem.

VIII. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.



TITVLVS VIII.

BACCHANALIA.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Faber. cōc. 4 an Quinquag. SUnt tempus jejunium Quadragesimale antecedens, quo Homines Genio suo liberalius solent indulgere. Quorum originem Matthias Faber Ægyptiis adscribit, & ab his Orpheo Magistro ad Græcos, inde ad Romanos, & tandem ex Italia trans Alpes in Germaniam translata, totum denique orbem pervasisse ait. Celebrabantur autem apud Romanos noctu à nudis Feminis ac Viris, nisi quòd circa caput & femoralia pampinis & vuarum racemis cingebantur. Sicque tumultuario invicem commixti cœtu, in sublime saltantes, variaque gesticulatione caput & brachia moventes, carmen inconditum Baccho cantabant, nec priùs à saltatione cessabant, quàm defatigati, & toto corpore vacillantes, aut in proximum sibi socium resupinarentur, aut in pavimentum velut fanatici & amentes prorruerent.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Exod. 32. v. 6. I. SEdit Populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

Ps. 81. v. 2. II. Usquequò facies peccatorum sumitis?

Eccl. 9. v. 20. III. In medio laqueorum ingrediens, & super dolentium arma ambulabis.

Fuga.

Eph. 5. v. 15. IV. Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (sicut S. Remig. in cit. loc. enim dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet, ita dicuntur dies mali, in quibus mala fiunt à malis hominibus, ait rectè S. Remigius.)

Rom. 13. v. 12. V. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum JESUM Christum.

Damnum.

Luc. 11. v. 24. VI. Cùm immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa (id est, voluptatibus carentia) quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

VII. Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus, & vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus. Osee 2. v. 10.

VIII. Absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium; omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultra locus. Isaia 28. v. 7.

IX. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis. Num. 11. v. 33.

X. Violabant me propter pugillum hordei & panis fragmentum, ut interficerent animas, quæ non moriuntur. Ezech. 13. v. 19.

XI. Irretivit eum (Bacchus) multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eum sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus. Prov. 7. v. 21.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Fuga.

I. SI Medici pharmaca dare volentes jubent interea temperanter agere, ne minùs pharmaca operentur; multo magis jejunium suscepturos tenuitate victûs mentem expurgare, & leviorem reddere oportet. S. Chrys. hom. 1. in Gen.

II. Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantiâ præparatur, ne velut ulciscens veniat dies jejunii. S. Basil. hom. 1. de laude jejun.

III. Non est per temulentiam aditus ad jejunium; nec ad justitiam iter per fraudem; nec ad sobrietatem per lasciviam; nec per malitiam ad virtutem. Crapula & ebrietas ad lasciviam inducunt, ad jejunium frugalitas. Ibid.

IV. Quis cras pudicam uxorem legitimè ducturus, hodie scorta & concubinas inducat in ædes? aut quæ uxor legitima tale pateretur connubium? Idem ho. 2. de jejun.

V. Nullus servus Hero suo reconciliari cupiens, hostem illius Patronum adhibet. Ebrietas inimica est DEO. Itaque si cupis per confessionem reverti ad DEUM, fuge temulentiam, ne magis etiam abs te DEUM alienes. Idem.

§. IV.
EXEMPLA.

Fuga.

I. ROmanorum Senatus ea sacra aut sacrilegia potiùs ad extremum per totam Italiam abolevit, ita ut ne nomen quidem Bacchanalium audire ampliùs voluerit. S. Aug. l. 7. de Civit.

II. Re-

Manriquez de pass. l. 9. p. 668. II. Regina Galliæ, & uxor Ludovici XIII. post gravem morbum superatum, quindecim aureorum millia, quæ in larvarum tripudium destinaverat, voto, quod in extremis fecerat, exolvendo, in piam causam impendit, restitutæ vitæ pretium.

L. 2. insin. c. 14. & 16. III. S. Gertrudis, quia viderat Christum triduo Bacchanaliorum ad similitudinem languentis supra pectus suum recumbere, per totum illud tempus nihil aliud investigavit, quàm ut orationibus, silentio, & cæteris afflictionibus pro emundatione mundanorum hominum insudaret. Quod obsequium quàm gratum illi fuerit, ostendit illi per aliam visionem, quando eidem in throno gloriæ sedens, cum S. Joanne Evangelista scribente apparuit, &, cùm ipsa, quid S. Joannes scriberet? quæsiisset, respondit, omnia opera & obsequia per hoc tempus Bacchanaliorum ab hominibus sibi impensa eum scribere, ut ipse quidem (Christus) eis mensuram bonam post mortem reddat, postea verò cum hac charta etiam ad Patrem æternum eos ducat, & mensuram coagitatam & supereffluentem gratiæ ac gloriæ ipsis impetret.

Vita p. 4. c. 24. IV. S. Maria Magdalena de Pazzis sæpe noctu se proripiebat è lecto, & ibat ad SS. Sacramentum, ibique prostrata in terra amarè deflebat DEI offensas, & petebat salutem animarum, præsertim Bacchanaliorum tempore, quo DEUS magis offenditur, quo & augebat pœnitentias & preces pro Peccatoribus, aliasque Monìales ad hoc excitabat.

Damnum.

Num. 25. V. Cùm Bacchi (qui Num. 25. Beelphegor nominatur) festum celebrarent, & cum Filiabus Moab fornicarentur Israëlitæ, præcepit DEUS Moysi, ut tolleret cunctos Principes Populi, & contra Solem in patibulis suspenderet, & præterea unusquisque occideret Proximos suos, qui Beelphegor initiati sunt.

Exod. 32. VI. Cùm Populus Israëliticus sedisset manducare & bibere, & surrexisset ludere, mandatum est Moysi, ut occidat unusquisque Fratrem, & Proximum, & Amicum suum, sicque viginti tria millia hominum occisa sunt.

Fab. conc. 4. in Quinquag. VII. Dum Carolus VI. Rex Galliæ in nuptiis Nobilis cujusdam, leonis vestem & larvam cum aliis quinque assumpsisset, saltibúsque jucundè, spectante totâ aulâ vacaret, Ludovicus Aurelianensis Regis Frater studio clariùs videndi correptam facem admovens, & Regem, & socios ita accendit, ut quatuor miserè statim perirent, unus in cellam properans, & aquæ vinóque se immergens servaret, Rex ipse uxoris Biturigis caudatâ veste involutus difficulter ab interitu vindicaretur.

Ibid. VIII. In Germania anno 1570. cùm Comites aliquot Hohenloenses Eberhardum Consanguineum suum in arce Waldenberga visitâssent, &, ut Bacchanalium tempus invitabat, Faunorum Personis & vestibus assumptis spectaculum jucundum Matronis facere voluissent, ex aleis quibus Hospites ad lusum incitabant, unâ in terram cecidit, quam, dum Puer personatus attollere conatur, funalis incautiùs adhibiti flammam concipit, cui, dum Eberhardus succurrere parat, etiam ipse, ac paulò pòst & socii juvare volentes flammâ corripiuntur. Concurritur ergo ad labrum vicinum, quod Comes in hunc eventum aquâ impleri jusserat; at illud jam exaruerat. Alius, qui vas plenum aquâ attulerat, in ipso limine offendens concidit, aquámque effudit: alterius aquam ferentis cadus fatiscens, auxilii desperatione calamitatem auxit. Sic ergo intra tres horas tres Comites miserè exustulati perierunt.

IX. Quidam, ut tempore Bacchanalium liberius insaniret, Pictorem, qui faciem ei personatam pingeret, vocari jussit. Sed Pictor aquis tantùm coloratis eum illinebat potiùs, quàm pingebat. Unde is Personatum se putans, cùm plurimas ineptias peregisset, omnium ludibrio se exposuit, & magno tandem cum dolore fraudem Pictoris agnovit. Ib. conc. 5.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. P. Oliverius Manaræus, dum Laureti degens intelligeret, tempore Bacchanaliorum comœdiam publicam & infamem apparari, & frustra aliis mediis impedire conatus esset, orationem quadraginta horarum in Sacello Lauretano magnificè ad hunc finem adornato instituit, sicque omnes homines à comœdia abstraxit, atque ad celebritatem sacræ ædis attraxit. Barry in devot. anteciner. c. 7.

II. Gandiæ pridie Cinerum sex è nostris, vertice ac pedibus nudi, longo fune à cervicibus pendente, duo etiam flagellis terga cruentantes, ceteri cum cruce & calvaria in manibus, concionabundi celeberrimas urbis vias obivêre. Imago 1. sæc. l. 3. c. 9.

III. Anno 1653. Bononiæ, feriâ quintâ pinguiore, Sodales propè quingenti, facies, horridi, quinque partitam aciem instruxêre: præibant in primo agmine centum sub crucis vexillo, trabali cruce onusti. Secunda centuria mortis Calvarias portabat. Tertia sub extremi judicii signis processit. Quarta sub inferni labaro flammeis faccis ardens & minax. Quintam Beatorum Cælestis Archistrategus ducebat. Quo spectaculo mirè spectatores commoverunt, & ad pœnitentiam ac compunctionem incitârunt. Lit. ann. Venet. 1653.

IV. Anno 1640. Sodales Parthenii primariæ Congregationis Assumptæ Virginis, ut Feriis antecineralibus Populum à profana licentia ad pietatem & devotionem avocarent, novem florenorum millia in extemporaneam tridui solemnitatem expenderunt. Nam molem centum viginti palmis altam, octoginta latam pulcherrimis statuis, imaginibus, historiis, emblematis ad stuporem exornârunt, & quatuor mille luminibus illustrârunt, ubi res divina solemnissimè ab Archiepiscopo Rodiensi, præsentibus septendecim Cardinalibus, & omnibus propè Romanæ Curiæ Prælatis, Principúmque oratoribus celebrata, magnóque Populi concursu per totum triduum celebrata fuit. Imago 1. sæc. l. c.

§. VI.
SIMILITUDINES.

Fuga.

Anonym. I. SIcut morigeri Filii, dum Patrem à Fratribus vehementer irritatum advertunt, diligenter cavent, ne aliquid committant, quo Patrem ampliùs offendant; ita boni Christiani, dum tempore Bacchanaliorum vident, Patrem cœlestem gravissimis peccatis ad justissimâ iram concitatum, sedulò ab ulterioribus offensis abstinent, & potiùs pro se & Fratribus placare piis obsequiis & precibus student.

l. 4. insin. c. 16. II. Sicut à quolibet magis acceptatur beneficium exhibitum in adversitate, quàm in prosperitate; sic & ego (dicebat Christus ad S. Gertrudem) magis accepto fidelitatem illam, quæ mihi hoc tempore (Bacchanaliorum) exhibetur, quo mundus plùs peccando me infestat.

Stapl. text. 1. in Quinquag. III. Sicut Mulier videns Filios suos cum Occisoribus Patris sui fœdera pepigisse, ludere, convivari &c. subuculam viri sui sanguine conspersam profert, ut eâ ostensâ Filios à consortio Homicidarum abstineat; ita Ecclesia hoc tempore Bacchanaliorum Passionem Christi in Evangelio proponit, ut per ejus considerationem à peccatis absterreat homines.

Ibid. IV. Sicut meritò reprehendimus eos homines, qui equos conductitios, quando finis itineris appropinquat, tam improbè agitant, & vexant, ut ad longum tempus inutiles existant; ita non minùs carpendi sunt, qui ita per Bacchanalia gulæ & ebrietatis peccatis se onerant, ac gravant, ut postea ad quadragesimale jejunium ac pœnitentiam inhabiles existant.

§. VII.
CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Luc. 18. v. 41. I. EX occasione thematis: *Domine, ut videam:* potest ostendi fraus Dœmonis, quâ hoc tempore decipere solet; eum in finem narrari potest historia supra §. 4. indicata de Pictore, qui Personam affingere vultui jussus, non nisi aquâ coloratâ falsas lineas duxit. Huic ergo Pictori similis Diabolus dicatur, qui & ipse falsas lineas ducit, id est, falsa axiomata & principia hoc tempore dictat, qualia sunt: 1. Nemo nos agnoscit. 2. Hoc tempore omnia licent. 3. In Quadragesima velut tempore pœnitentiæ omnia peccata facilè expiari possunt. Quorum proin dogmatum falsitas paulò fusiùs ostendatur.

Ibid. II. Ex occasione thematis: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis:* potest ostendi, quomodo Passio Christi hoc tempore renovetur. Et 1. quidem, quomodo agonia renovetur, offerendo illi calicem amarum per immoderatas compotationes. 2. Quomodo iterum flagelletur per denudationes corporum, & vitia luxuriæ. 3. Quomodo coronetur per assumptionem larvarum hominibus illudendo. 4. Quomodo crux gravis ei per peccatorum hoc tempore commissorum onus imponatur. 5. Quomodo omnino crucifigatur contrahendo consuetudinem in istis peccatis, & emendationem sibi ac pœnitentiam quasi impossibilem efficiendo. Introducatur proin Christus illis S. Bernardi verbis Auditores alloquens: Nónne satis propter te vulneratus sum? numquid pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflicto? magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Pro qua materia videri potest Henricus Engelgrav. in Cælo Empyreo. *S. Bern. in quod. serm.*

III. Ex occasione thematis: *Stultorum infinitus est numerus:* potest dicere Concionator, infinitum quidem esse numerum stultorum larvatorum per plateas discurrentium, sed multò majorem esse numerum occultorum stultorum, qui, cùm videantur sapientes, revera tamen stultissimi sint, quorum proin aliquos breviter se producturum, larvásque detracturum, ut vel pudore obruti deinceps à tali stultitia abstineãt. Fingatur ergo sapientem quendam audivisse de quodam loco & urbe, quòd stultis abundet, proinde illuc iter suscepisse, ut sapientiâ suâ illos corrigere, & erudire posset. 1. autem obvium habuisse Nuntium vehementer festinantem, sed, cùm quæsitus fuisset, quò tenderet? respondentem, se non quæsivisse, quò ire debeat? rediturum itaque & quæsiturum. Per hunc Nuntium dicat significari eos Christianos, qui magnum ætatis spatium in hoc mundo confecerunt, nec tamen unquam indagârunt, cur creati sint? cur in hunc mundum missi? Ostendatur proin, quomodo hanc stultitiam corrigere debeant, id quod in posterioribus quoque stultis observandum. 2. Obvium habuisse Adolescentem generoso & petulanti equo insidentem, & sarcinam gravem propriis humeris portantem, qui quæsitus, cur non equi tergo sarcinam imponat? respondit, timere se, ne equus nimiùm prægravetur. Significat eos, qui, ne corpus, velut equum animæ castigare, aut appetitas delicias negare illi cogantur, animæ sarcinam peccati imponere non verentur, non considerantes, quòd hoc onus nihilominus & corpus premat, & omnino in infernum depressurum sit. 3. Obvios habuisse Juvenes per avia & devia in curru vectos, & cum curru perpetuo eversos; quos, cùm accedens advertisset, cæcum aurigam habere, & causam hujus cæci electi quæsiisset, responderunt, se ideo eum elegisse ut liberiùs per avia & devia vehi possent (quod ipsos summè delectaret) etsi verò hoc modo sæpe cum curru caderent, & vulnera gravia acciperent, habere tamen se bonos chirurgos, qui curarent. Significant eos, qui memoriam præsentiæ DEI deponunt, ut liberiùs viam mandatorum declinent; vulnera peccati verò non curant, eò quòd Confessarios sufficientes habeant. 4. Obvium habuisse Gigantem, tenui filo à formosa & tenella Muliercula ad Carnificem tractum, qui quæsitus, cur non abrumperet filum, & se à periculo mortis liberaret? respondit: non possum. Significat eos, qui à voluptate ad interitum trahuntur, & ad eandem repellendam excitati respon- *Eccl. 1. v. 15.*

ſpondent, ſe filum conſuetudinis rumpere non poſſe. 5. Urbem ipſam ingreſſum, vidiſſe muros deſtructos, cujus deſtructionis cauſam cùm quæſiſſet, reſponſum eſt, id factum juſſu Magiſtratûs, eò quòd difficile nimis eſſet muros conſervare. Magiſtratum autem hunc conſtare centum Senatoribus, & hanc conſuetudinem habere, ut, quod ultimus & maximè Juvenis Senator faciendum diceret, hoc ratum, licet omnes reliqui contradicerent, habeatur. Significant, qui Mandata DEI gravia nimis æſtimantes, violando deſtruunt, eò quòd Amor proprius, nequiquam DEO, Sanctis, ratione contrarium ſuadentibus, ſic ſuaſerit. 6. Ulterius progreſſum vidiſſe duos cum oblonga trabe domum ingredi volentes, ſed quia nullus alteri præceſſionis honorem concedere volebat, ab eadem excluſos. Significat eos, qui ex ambitione primatum ubique affectantes, malunt cælo excludi, quàm alteri cedere. 7. Ingreſſum hoſpitium vidiſſe Famulos & Ancillas ſplendidiſſimè veſtitos & paſtos, Hoſpitem ipſum cum Uxore Laceris veſtibus indutos, & vix mucido pane refectos. Significat eos, qui omnem curam in ornandum & recreandum corpus impendunt, nullâ animæ ratione habita. 8. Cum Hoſpite cellam ingreſſum vidiſſe Cellarium in terra jacentem, & aſpicientem, quomodo vinum nobiliſſimum aperto epiſtomio in terram effluat, & ridentem eos, qui ad claudendum epiſtomium hortabantur. Significat eos, qui tempus nobiliſſimum ſine fructu perire ſinunt, fruſtra admoniti, ut modico labore illud conſervare ſtudeant. 9. Urbe egreſſum vidiſſe imaginem fœdiſſimam, & membris ſine omni proportione pictis conſtantem, ante ædes Pictoris proſtare; ubi, cùm quæreret, qualis Pictor ibi habitaret? reſponſum eſt eſſe hujus propoſiti, ut in pingendis imaginibus non artis ſuæ dictamina, ſed vulgi judicium ſequatur; hinc ob diverſitatem judiciorum tam fœdas imagines prodire. Significat eos, qui hominibus placere cupientes, illorum potiùs judicio, quàm rationis dictamini, & Sanctorum, Chriſtique exemplis actiones ſuas conformare ſtudent. 10. Macellum prætergreſſum vidiſſe Lanionem cultro ſibi digitum abſcindentem, cauſámque quæſitum reſpondiſſe, accepiſſe ſe ex caſu fortuito modicum vulnus in digito, ideóque ut juſtiorem habeat cauſam Chirurgum vocandi, voluiſſe omnino digitum abſcindere. Significat eos, qui commiſſo uno peccato, plura admittunt, ut copioſiorem habeant confeſſionis materiem, & eâdem operâ ſingula confiteantur. 11. Ulteriùs progreſſum vidiſſe duos ſibi ultro pedes porrigentes, & gladio abſcindentes, & cùm cauſam facti quærerentur, reſpondentes, pro Philippei lucro ortum inter illos certamen eſſe, quis meliorem gladium haberet? & ideo in pedum abſciſſione probare eos voluiſſe. Significat eos, qui, ut ſuas & militum ſuorum vites, animóſque oſtendant, bella ſuſcipere, & plurima, utiliſſimáque membra à Republica abſcindere non verentur. 12. Denique vidiſſe turbam cum magno furore tela in aëra rectâ ſurſum jacientem, iterúmque in ſua capita non ſine gravi læſione recipientem, eò quòd de Sole, qui æſtu fruges impediſſet, vindicare ſe voluerint. Significat eos, qui ob infortunia exorta de DEO per blaſphemias & maledicta, & murmurationes ulciſci ſe volunt, faciúntque, ut omnia hæc tela iterum in capita eorum recidentia, duplicatum damnum inferant.

Nota ex his ſtultitiis tres conciones fieri poſſe, ita ut in prima Stulti, quos ante urbem: in ſecunda, quos intra urbem: in tertia, quos urbe egreſſus invenerit, explicentur.

IV. Ex occaſione thematis: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo:* *Cant. 2. v. 5.* narrari poteſt, quòd S. Gertrudis, ut ſupra §. 4. dictum eſt, viderit Chriſtum tempore Bacchanaliorum ad ſimilitudinem languentis & infirmi ſuper ipſius pectus recumbere; quo viſo ſignificare videtur voluiſſe, quòd hoc tempore cupiat à dilectis ſuis Amicis velut infirmus tractari. Et 1. quidem Medicinam confeſſionis ſalutaris accipere. 2. Cibo graſſimo ſui SS. Corporis refici. 3. Blandiſſimo alloquio orationis ferventis recreari. 4. In lectulo molliſſimo contriti, & in omne DEI beneplacitum reſignati animi collocari. Quæ omnia paulò fuſiùs explicari poſſunt, ſimul oſtendendo, quàm grata Chriſto hæc obſequia ſint futura.

V. Ex occaſione thematis: *Domine, ut videam:* *Luc. 18. v. 41.* dici poteſt, rectè hoc tempore Evangelium hoc de cæco curato legi, quia nihil magis nunc neceſſarium eſt, quàm ut homines videant. 1. quidem *Vanitatem* gaudiorum, quæ ſectantur, & de quibus olim cum Salomone dicent: Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole. *Eccleſ. 2. v. 11.* Ita vanitatem agnovit fructuosè, qui, cùm poſt diem totum inter epulas, aliáque gaudia traductum, noctu nihil aliud ſibi, quàm oneratum corpus & animam relictam adverteret, reſipuit, & Religionem ingreſſus, meliora & veriora gaudia quærere ſtatuit. 2. *Stultitiam*, quæ nunc committitur, dum omni licentiæ frenum permittitur, ut poſtea pœnitentia agatur; quis enim ſeipſum fœdat, aut vulnerat propterea, ut occaſionem habeat ſe lavandi, aut curari poſſit? 3. *Infelicitatem* ob damna ſecuta in opibus, famâ, pace, virtutibus, meritis, gratiâ, & gloriâ, ut meritò quidam dixerit, ejuſmodi voluptates ſimiles eſſe pomo à Fenella Regina præparato, quod qui tangebat, à telis erumpentibus petebatur, & occidebatur.

§. VIII.
MISCELLANEA.

I. Machometanus quidam Legatus ad Chriſtianos miſſus, cùm quæſitum ex eo fuiſſet, quid apud eos notatu dignum vidiſſet? reſpondit, nihil ſibi mirabilibus viſum, quàm quòd certo tempore per integrum triduum (Bacchanalia intelligebat) omnes propemodum inſanirent, & quarto die, modicâ quantitate cineris capiti impoſitâ ad ſe redirent. *Buſqueck. in ſua relat.*

II. Quod olim Seneca ſuis dixit, hoc Chriſtianis non malè accommodatur: His, inquit, *Senec. ep. 18.*

maximè diebus animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cùm in illas omnis turba procubuit. Certissimum argumentum fortitudinis suæ capit, si ad blanda, & ad luxuriem trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multò fortius est, ebrio ac vomitante Populo siccum ac sobrium esse: eadem, sed non eodem modo facere. Licet enim sine luxuria agere festum diem.

S. Chrysolog. s. 155. III. Nec minùs huic tempori quadrant illa S. Chrysologi verba: Erras homo, non sunt hæc ludicra, sed crimina. Quis de impietate ludit? de Sacrilegio quis jocatur? piaculum quis dicit risum? fatus se decipit, qui sic sentit. Qui jocari voluerit cum Diabolo, non potest gaudere cum Christo. Nemo cum Diabolo jocatur impunè.

Bellarm. c. 10. Dom. IV. Olim, inquit Bellarminus, hoc festum simplex erat, quia Homines simpliciter sine larvis, ac choreis moderatè & Christianè lætabantur; pòst brevì evasit Semiduplex, & sic tandem erevit, ut etiam Duplex primæ classis evaserit, & cum Octava celebretur.

Virg. l. 3. Æneid. V. Olim Polyphemo Ulysses titione ardente unum, quem in fronte habebat, oculum extinxit; nunc Bacchus thyrso suo, rationis lumen Huminibus adimit tempore Bacchanaliorum.

Seneca ep. 94. VI. Sapienter Seneca, magna pars sanitatis est, inquit, hortatores insaniæ reliquisse. Hoc, ut esse verum scias, aspice, quantò aliter unusquisque sibi, aliter Populo vivat. Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem, & familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator & conscius.

Vit. 30. April. VII. S. Catharina Senensis quia feriis his antecineralibus se in conclave abdiderat, apparuit ei Christus cum Matre & Angelis, dixitque: Quia tu sprevisti vanitates mundi, amplexa crucem & pœnitentiam, quærens summum & æternum bonum his diebus, dum mundani vacant gulæ & luxuriæ, ideo ego te desponsabo mihi, annulóque digito inserto adoptavit in Sponsam.

§. IX.

AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius Opusc. 11. c. 21.
II. Mathias Faber conc. 4. 5. & 6. in Domin. Quinquag.
III. Henricus Engelgrav. in Parth. Dominica, & Fer. 2. ac 3. Quinquag. Item p. 2. Lucis Evang. Dom. Quinquag.
IV. Thomas Stapletonus text. 1. in Quinquag.

TITULUS IX.

CHRISTIANUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 124. a. 5. JUxta S. Thomam est, qui fidem Christi habet, qui Spiritu Christi virtuosè operatur, & ad imitationem Christi peccatis moritur. Aut, ut Canisius eum describit, qui Baptismatis Sacramento initiatus, totam JESU Christi doctrinam salutarem in ejus Ecclesia profitetur. Huc etiam pertinet, quod de S. Pacomio legitur, quòd scilicet, cùm adhuc Gentilis esset,

Sur. 14. Maij. & multis militibus fame pereuntibus, ad Christianam civitatem venisset, ibique victum magna caritate subministrari advertisset, quæsiverit, quænam hæc gens foret ad benefaciendum tam prona? cúmque intellexisset, Christianos vocari; hoc responso non contentus, iterum quæsierit, quid sit esse Christianum? cui cùm iterum responsum esset, esse Homines pios, DEUM colentes, & credentes in JESUM Filium DEI, & sperantes ab eo mercedem omnibus benefacere, Religionis hujus amore incensus, paululùm secessit, & manibus in cœlum levatis, se Christo in perpetuum devovit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. DIscedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. *2. Tim. 2. v. 19.*

II. Labora sicut bonus miles Christi, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, vel, ut alij interpretantur, Filium DEI. *1. Tim. 6. v. 12.*

III. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matt. 7. v. 21.*

IV. Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? 14. *Iac. 2. v.*

V. Qui dicit, se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare. *1. Ioan. 2. v. 6.*

VI. Meliùs erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti. *2. Petr. 2. v. 21.*

VII. Quapropter, Fratres mei, satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. *2. Petr. 1. v. 10.*

Dignitas.

VIII. Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. *1. Petr. 2. v. 9.*

IX. Gratias agentes DEO, qui nos fecit dignos in partem sortis Sanctorum in lumine. *Coloss. 1. v. 12.*

§. III. Ex

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Gregor. Nyss. de nomine & prof. Christ. I. Christianismus est imitatio divinæ Naturæ. Si igitur Christianus es, Christum DEUM imitare: Noli vacuum ferre nomen, atque inane, sed plenum: tanti mensuram nominis imple, imple, inquam, operibus nomine dignis.

S. Cypr. de 12. abus. II. Nemo Christianus verè dicitur, nisi qui Christo moribus, prout valet, coæquatur.

S. Aug. de vita Christian. III. Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt, gere, & meritò tibi Christiani nomen assume.

Ibid. IV. Ille verè Christianus est, qui omnibus misericordiam facit: qui nulla movetur injuria: qui alienum dolorem tanquam proprium sentit: cujus mensam nullus pauper ignorat: qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram DEO & Angelis glorietur: qui terrena contemnit, ut possit habere cælestia: qui opprimi pauperem se præsente non patitur: qui miseris subvenit: qui ad fletum fletibus provocatur alienis, quod bene faciebat Paulus: quis infirmatur, & ego non infirmor?

Idem sup. psal. 32. V. Ipse est Christianus, qui & in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi Hospites non erimus.

S. Max. in serm. VI. Tota vita Hominis Christiani, si secundùm Evangelium vivat, crux est atque Martyrium.

S. Aug. de vit. Christ. VII. Christi ille non Famulus, sed Subsannator & irrisor est, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat.

Ibid. VIII. Non in hoc nobis nomine tantùm, quòd Christiani dicimur, non blandiamur: sed propter hoc etiam nos judicandos credamus, si nomen nobis frustra vendicemus alienum.

S. Cyprian. IX. Nos, Fratres Carissimi, Philosophi non verbis, sed factis sumus: nec vestitu Sapientiam, sed veritate præferimus: virtutum magis conscientiam, quàm jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed facimus.

S. Salvian. Gent. X. Quamvis legem sanctissimam habeamus; si tamen ea, qoæ Barbari, faciamus, Barbaris etiam deteriores sumus. Quòd enim lex bona sit, nostrum non est, muneris Christi est. Quare nihil in hac vita lex Christi nos adjuvat, quin potiùs accusat, quòd sub lege positi contra legem omnia facimus.

Dignitas.

S. Leo s. de nat. Christi. XI. Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis sis membrum, quódque erutus de potestate tenebrarum, translatus es in DEI lumen & regnum. Noli te iterum Diaboli subjicere servituti, quia pretium tuum Sanguis Christi est.

* *
*

§. IV.

EXEMPLA.

Qualitas.

I. S. Paulus quàm bene Christiani nomen impleverit, de seipso testatur dicens: Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi: in reliquo reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. *2. Tim. 4. v. 7.*

II. S. Sebastianus pectori hanc inscriptionem velut pretiosam gemmam affixit: *Quia Christianus sum*: ut hâc ratione suæ vocationis meminisset, & ad quælibet ardua pro Christo patienda animaret. *Sur. 20. Jan. c. 48.*

III. S. Calliopius, cùm ad convivium in Deorum celebritatem paratum invitaretur, intrepidè respondit: Christianus sum, & Christum jejuniis colo, & Idolis immolata non licet in os eorum, qui Christum colunt, ingredi. Cùm itaque immaniter cæsus esset, & Præses, nisi resipisceret, in crucem se, ut Magistrum, suffixurum minaretur, iterum respondit: Admiror impudentiam tuam, qui, cùm sæpe ex me audiens, Christianum me esse, & Christianum esse morirurum, & in Christo victurum, tam impudenter pergis veritatem oppugnare. Ob quas voces cùm Præses eum in crucem suffigi imperâsset, Mater id intelligens, Ministris quinque hommos dedit, ut eum, sicut S. Petrum, inversâ ratione crucifigerent. Quod ubi ipso die Parasceves factum est, vox de cælo allapsa dixit: Veni civis Christi, & cohæres SS. Angelorum. *Sur. 7. April.*

IV. Alius quidam à Tyranno interrogatus, quòd ipsi nomen esset? respondit, Christianus sum. Quâ natus domo? Christianus sum. Sicque ad omnes alias quæstiones respondit, ratus, hoc uno nomine omnes honores titulos comprehendi. *Euseb. l. 4. hist. Eccl. c. 1.*

V. S. Polycarpus Proconsuli Rogum minitanti, nisi Christo malediceret, respondit: Octoginta & sex annis servio Christo, & nihil me læsit unquam, quomodo ei maledicam? *Idem c. 15.*

Utilitas.

VI. Blandina Virgo, dum clamat in tormentis: Christiana sum: immanes cruciatus non superavit modò, sed & risit, & velut inter epulas exultavit. *Ib. c. 1.*

VII. Celsus Puer Visâ coronâ aureâ, quam Angelus supra S. Juliani verticem tenebat, dum flagris cederetur, abjectis libris Christianum se exclamat, & martyrium subit. *Sur. 9. Martij.*

Dignitas.

VIII. Cùm Quintilianus Siciliæ Prætor ad S. Agatham diceret: Nónne te pudet nobili genere natam humilem & servilem Christianorum vitam agere? respondit illa: Multò præstantior est Christiana humilitas, & servitus, Regum opibus & superbiâ. *Sur. 5. Feb.*

IX. S. Ludovicus Rex Galliæ nullibi libentius, quàm Passiaci agebat, eò quòd in ea urbe baptizatus Christiani nominis titulum & hono- *Pudag. Christ. p. 1. c. 1 §. 1. n. 6.*

tem

rem accepisset, quem ipse omnibus aliis honoribus longissimè præferebat.

§. V.
ASCETICA.

I. Tria sunt, quæ Asceta de hoc nomine specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat officium veri Christiani, videlicet ut Christum non ore duntaxat, sed opere etiam, per imitationem vitæ illius profiteatur; atque adeò contra concupiscentiam triplicem, oculorum, carnis, & superbiæ fortiter militet; nam, ut S. Paulus rectè dixit, nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Hinc aliqui distinctius tria ad Christianum officium requirunt, scilicet caritatem in corde, veritatem in ore, castitatem in corpore. Alioqui enim timere debebit, ne impleatur comminatio S. Augustini dicentis: Detegeris, & deprehenderis, ô Christiane, quando aliud agis, aliud profiteris. Fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere. Renunciâsti Diabolo & operibus ejus, non Hominibus, sed DEO & Angelis conscribentibus, tenetur in cælo chirographum tuum. Renunciato non solùm vocibus, sed etiam moribus; non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ.

2. Tim. 2. v. 4.

Gal. 5. v. 24.

S. August. tr. de symb.

II. Alterum est, ut dignè æstimet hunc titulum, & frequenter meminerit, se ejus beneficio, in medio eorum esse positum, qui sunt gens sancta, populus acquisitionis: habere DEUM Patrem, Christum Salvatorem, Verbum DEI pro alimonia vitæ, Sacramenta pro medicina animæ, gremium Ecclesiæ tanquam sinum Matris, quæ ipsum peperit, fovet, lactat, ac protegit; Atque adeò hâc consideratione ad vitam Christiano homine dignam excitet, semper seipsum illis cujusdam ferventis Religiosi verbis excitans: Ne degeneremus ab excelsis cogitationibus Filiorum DEI.

III. Tertium est, ut nôrit, quàm turpe sit, vitam tali nomini difformem vivere; id quod præclarè olim S. Cyprianus Fortunato ostendit, dum eum sic alloquitur: Tu tam vili mercedula sollicitatus sponte deficis ad eum, à cujus Tyrannide te Christus suo sanguine redemit? cujus jam totus es factus? Hujus militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, hujus Sacramentis initiatus es, accepisti donativum, & pignus Spiritûs, ne quid dubitares de promisso stipendio, simùlque Diabolo denunciâsti perpetuas inimicitias, renunciâsti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exsufflâsti, exsibilâsti, jurâsti in verba Redemptoris &c. Idem sapienter Beniamin Diaconus Isdegerdi Persarum Regi ostendit, dum eidem ad fidem negandam allicienti dixit: Quo tu, Rex, supplicio dignum arbitrareris eum, qui è castris tuis fugitivus hostibus se tuis jungeret? cùmque Rex morte crudelissimâ dignum esse respondisset, subjecit Beniamin: Quàm crudeli ergo morte dignus videri debet is, qui DEUM suum ac Universorum Dominum ausus fuerit negare, tantùm ut ne vili creaturæ displiceat?

S. Cyprian. de dupl. martyrio ad Fortun.

Theodoret. l. 5. c. 38.

§. VI.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut exigit militaris Ordo, ut, cùm Imperator, quemcunque in Militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum; ita in baptizato benedictio illa (confirmationis) munitio est.

S. Melchiad. ad episc. Hisp. Epist.

II. Sicut Oleum, quo unctus fuit Aaron, non solùm à capite in faciem, sed etiam in oram vestimenti defluebat; ita gratia spiritualis, quâ Christus à Patre unctus fuit, etiam ad minimum quemque fidelem defluit, eùmque Christianum nominari facit.

Marck. in hort. past. tr. 1. §. 1.

III. Sicut Procuratores, quibus supellex pretiosa, vel ampla cellaria creduntur fideles dici nequeunt, si res traditas absumant; sic nec mali Christiani, qui legem ac Prophetas, Apostolicas doctrinas, Sacramenta & similia, per quæ Christiani sumus, violant, hoc nomine digni censendi sunt.

Salvian. contra Gent.

IV. Sicut non meretur dici Franciscanus, aut Benedictinus, qui S. Francisci, aut S. Benedicti Regulam non servat; ita nec Christianus dici meretur, qui Christi legem & exempla non curat.

Fab. conc. in festo S. Andreæ.

V. Sicut ficus, quæ folia tantùm habuit, & non fructus, Domini voce arefacta est; ita indignus Christi gratiâ & influxu censendus est, qui nomeo Christiani, & non opera habet.

Idem conc. 4. in Dom. 7. post Pent.

VI. Sicut Operarij, si per totam hebdomadem sibi, & non Conductori laborent, nullam ab eo mercedem sperare possunt; ita Christiani sibi, & non DEO viventes remunerationem ab hoc nullam impetrabunt.

Ibid. n. 24.

Dignitas.

VII. Sicut, si quis Demostheni operam dederit, eum faciet Oratorem: si Platoni Philosophum; ita qui paret Domino, efficitur ad Magistri similitudinem DEUS, qui in carne versatur.

S. Clem. Alex. l. 7. Strom.

§. VII.
MISCELLANEA.

Qualitas.

I. S. Franciscus Borgias, cùm audivisset, eum, qui se Borgiam simulâsset, triremibus addictum, cum suspirio exclamavit: Si triremibus addicitur, qui meum nomen sibi vendicat; quid de me fieri par est, qui nomen Christi falsò mihi assumpsi?

Vit. l. 4. c. 15.

II. Rectè dixit Ecclesiasticus: Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè invenies; nam & Christianum, cujus cor & externum opus concordent, non facilè est reperire.

Eccl. c. 13. v. 32.

III. Mulier illa fortis & sapiens quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum; non ergo sufficit externum opus perficere, sed ipsa etiam cordis intentio requiritur ad verum Christianum.

Prov. 31. v. 13.

IV. Romani Cives & Censores, si viderunt quempiam otiosum, interrogabant, quâ arte uteretur, manusque, an callosæ forent, considerabant;

Fab. conc. 4. in Dom. 7. post Pent.

rabant; quas fi delicatas & nitidas reperiebant, velut mutilem reipublicæ expulerunt.

S. Hier. in regul. Monach. c. 15. V. S. Hieronymus, cùm plùs æquo se lectione Ciceronis & Platonis delectaret, raptus aliquando ad tribunal, &, quis esset, interrogatus est; cúmque se Christianum esse dixisset, audivit à Judice: Mentiris, nam Ciceronianus, non Christianus es; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Simile quid continget aliis etiam Christianis alia, quàm Christum amantibus & sequentibus.

Fab. c. 7. in Circumcis. n. 5. VI. Alexander Militi cuipiam suum nomen sustinenti, & ignavo dixit: Aut nomen hoc depone, aut digna Alexandro gere. Idem Christus Christianis dicit.

§. VIII.
AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Past. tr. 1. lect. 1.

II. Philippus D'Outreman in Pœdag. Christiano. p. 1. c. 1. §. 1. & 2.

III. Matthias Faber conc. 5. in festo S. Andreæ. & in Festo Circumc. conc. 7.

IV. Ludovicus Granatensis loc. com. f. 103.

V. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

TITVLVS X.
CONCUPISCENTIA.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.
Definitio.

I.

Fab. conc. 3. in Dom. 5. post Epiph. EST appetitus inordinatus rerum caducarum & terrenarum. Per hoc enim à Concupiscentia in genere distinguitur, quæ simplex appetitus boni cujusdã definitur.

Divisio.

1. Jo. 2. v. 16. II. Dividitur in concupiscentiam *divitiarum*, *voluptatum carnis*, & *honorum* juxta illud Joannis: Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

S. Thom. 1. 2. q. 30. a. 3. III. Dividitur etiam à S. Thoma & Aristotele in *naturalem*, & *innaturalem*. Prior est, per quam appetuntur naturæ necessaria aut convenientia, uti sunt cibus, potus, aliáque sensuum oblectamenta. Posterior est, per quam concupiscuntur objecta secundùm apprehensionem duntaxat convenientia, qualia sunt pecuniæ, honores, exquisitus cibus & deliciæ.

IV. Denique dividitur ab aliis in concupiscentiam *Intellectus* (qualis est curiositas, vanitas, & inflans superbia) *Voluntatis* (quâ honor, gloria, divitiæ appetuntur) & *Sensuum*, (quâ objecta sensibilia desiderantur, uti esculenta, poculenta & similia.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.
Qualitas.

Gen. 8. v. 21. I. Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua.

Rom. 7. v. 18. II. Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hóc ago.

Ibid. v. 22. III. Condelector legi DEI secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

IV. Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur; DEUS enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. *Iac. 1. v. 13.*

V. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI; stultitia enim est illi, & non potest intelligere. *1. Cor. 2. v. 14.*

Fuga.

VI. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præstas animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. *Eccl. 18. v. 30.*

VII. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ non apprehendant me. *Ib. 23. v. 6.*

VIII. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Rom. 7. v. 24.*

IX. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis. *Gal. 5. v. 24.*

Damnum.

X. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. *Iac. 1. v. 14*

XI. Unde bella & litea in vobis? nónne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? *Iac. 4. v. 1.*

XII. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. *1. Tim. 6. v. 10.*

§. III.
EX SS. PATRIBUS.
Qualitas.

I. Semper cupidi solliciti sunt, acquirere non habita, & habita custodire. *S. Thom. opusc. 7.*

II. Omnia reliquit, qui voluntatem habendi deseruit. Apostoli, quantùm ad divitias nihil; quantùm ad voluntatem, totum Mundum reliquerunt. *S. Hier. sup. Matth.*

III. Multùm reliquit, qui sibi nihil retinuit. Multum reliquit, qui, quantumlibet parùm, totum deseruit. Multùm dimisit, *S. Greg. in hom. 5.*

dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciavit.

Ibid. IV. Multa, Fratres, relinquitis, si terrenis desideriis renunciatis; exteriora enim nostra quantumvis parva, Domino sufficiunt: cor namque, & non substantiam pensat, nec perpendit, quantùm in ejus Sacrificio, sed ex quanto proferatur.

S. Bern. in serm. V. Age, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento; imò verò maximè & principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum.

Cassian. l. 7. c. 27. VI. Nemo est, qui non habeat, quod dimittat. Universis renunciavit facultatibus Mundi, quicunque affectum possidendi eas radicitus amputârit.

Idem collat. 4. c. 21. VII. Quid refert, utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas & magnificas, an erga viliores exerceat species, nisi quòd in eo reprehensibilior judicandus est, quòd qui maxima spreverit, in minimis obligetur, ideòque perfectionem cordis abrenunciatio ista non obtinet, quia cùm censum habeat pauperis, non abjecit divitis voluntatem.

Fuga.

S. Greg. in hom. VIII. Bonorum Authori aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus.

S. Bern. s. 3. de ascens. IX. Ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri nequiverant, quia carni Dominicæ, etsi Sanctæ, inhærebant.

S. Bern. apud Rodr. p. 2. tr. 1. c. 4. X. Exurgat DEUS, cadat armatus iste: cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor DEI, amator sui, amicus Mundi, servus Diaboli. Quid tibi videtur? Certè si rectè sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.

S. August. de vera relig. XI. Nemo potest perfectè diligere, quò vocatur; nisi oderit, unde revocatur.

Damnum.

S. Greg. ho. 15. mor. XII. Cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis omnibus demonstratur.

S. Ambr. l. de Virg. XIII. Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis, volvitur, laniatur, affligitur.

S. Greg. l. 7. epist. 16. XIV. Quantò actiore cura inardescit ad infima; tanto tempore damnabili refrigescit à summis; utraque enim simul & æqualiter amari non possunt.

Idem. XV. Quisquis defluere devitat, fugiat, ne per hoc, quod amat, in hoc cogatur devenire, quod vitat.

Petrus Ravenn. in serm. XVI. Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, aurigа malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum.



§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. TOtum & maximum impedimentum est, quòd non sumus à passionibus ex concupiscentiis liberi, nec Sanctorum perfectam viam conamur ingredi. *L. 1. c. 11. §. 3.*

II. Si veraciter vis delectari, & abundantius consolari, ecce in contemptu omnium infimarum delectationum erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio. Et quantò plùs te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tantò in me suaviores & potentiores consolationes invenies. *L. 3. c. 12. §. 5.*

III. Noli concupiscere, quod non licet habere. Juvat enim non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potiùs contempta & decisa ex corde radicitus. *L. 3. c. 27. §. 3.*

IV. Tene breve, & consummatum verbum. Dimitte omnia, & invenies omnia. Relinque cupidinem, & invenies requiem. *L. 3. c. 32. §. 1.*

V. Nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere divinis. *L. 3. c. 31. §. 1.*

VI. Nisi homo sit in spiritu elevatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac DEO totus unitus, quidquid scit, quidquid etiam habet, non est magni ponderis. *Ibid. §. 2.*

VII. Pauperem verum spiritu, & ab omni creatura nudum quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus. *L. 2. c. 11. §. 4.*

§. V.

EXEMPLA.

I. S. Augustinus de seipso fatetur: Primò concupiscentia carnis sequentes duxit nos, postea renitentes traxit nos, deinde acceptâ gratiâ cœpit nos nec ducere, nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum, post contentionem erit & victoria, modò te, etsi oppugnat, non expugnet. *S. Aug. in Ps. 64.*

II. Cuidam Religioso Ordinis S. Dominici, cùm gravissimas carnis concupiscentias Dœmon immisisset, & ijs non minùs fortiter ille restitisset, acclamavit victus Diabolus: Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, & non arsisti. *Fab. conc. 3. in Dom. 5. post Epiph.*

III. Cùm quidam Frater Abbati suo quereretur, se variis cogitationibus & desideriis plurimùm turbari, Abbas eductum in publicum jubet ventos aperto sinu excipere, cùmque Frater responderet, hoc sibi possibile non esse, dixit illi: Hoc si nequis, nec cogitationes & desideria tua coërcere poteris, quò minùs tibi incidant. Sed hoc tui est muneris, ut ardenti & magno spiritu eis resistas. *Vit. PP. l. 5. libel. 10. n. 55.*

IV. Cùm Ursinus Presbyter separatus ab uxore castè vixisset, & hæc ad morituri nares aurem applicaret, ut indagaret, num adhuc spiraret? ipse, quanto potuit, nisu vocem collegit, dixitque: Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. *S. Greg. l. 4. dial. c. 11.*

V. Cùm quidam B. Mariæ Oegniacensis familiaris, ex nimio spiritualis affectionis excessu, manum ejus strinxisset, & primos motus *Jacob. de Vitriac. in vita.*

con-

concupiscentiæ oriri in se advertisset, vox de cælo lapsa dixit: Noli me tangere. Unde cautior factus, ab ejusmodi sensualitate abstinuit.

Taulerus apud Drex. in Heliotrop. VI. Mendicus quidam à quodam Theologo (cui priùs viam ad veram quietem atque perfectionem ostenderat,) interrogatus, ubi DEUM reperisset? respondit, ubi omnem concupiscentiam creaturarum reliqui.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA

Ribad. in vit. I. S. Ignatius adeò omnem affectum erga creaturas deposuerat, ut sæpe & cum gemitu diceret: O quàm sordet mihi terra, cùm cælum aspicio!

Vita c. 4. §. 2. II. P. Balthasar Alvarez cùm aliquando per aliquot dies continuè cogitabundus esset, causam rogatus, respondit, contendo in meipso efficere, ut ita vivam, quasi essem in Africæ desertis, & ut cor meum sit ita ab omnibus creaturis expeditum, atque si ipsum in locis desertis habitaret. Atque hoc revera etiam obtinuit, ut vita testatur.

Vita p. 139. III. Joannes Berchmannus ita omni rerum terrenarum cupiditate vacabat, ut de seipso fateretur: Nulli rei sum affectus, nihil habeo, cui afficiar.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Fuga.

Nierenb. in l. de ador. I. Sicut famelicus ille stultus reputaretur, qui oblato sibi cibo picto & vero, pictum arriperet; ita & homo, qui veram & infinitam DEI bonitatem relinquit, & bonitatem Creaturæ, quæ est umbra tantùm & imago divinæ bonitatis, appetit, insanus meritò existimabitur.

S. Chryʃ. ho. 21. in Matt. II. Sicut nemo optaret oculos suos auro ornari, & serica veste circumdari, sicque visum impediri, sed oculorum libertatem, & videndi potentiam omnibus rebus desiderabiliorem judicat, quia, si hæc depereat, nihil jam ipsum in hac vita delectat; ita multò magis creaturæ omnes, quæ oculum mentis impediunt, removendæ, & libertas mentis omnibus rebus creatis præferenda est.

Anonym. III. Sicut is, qui in domo sua omnes delicias haberet, stultè faceret, si illas anxiè extra domum quæreret; ita non minùs insipienter agit, qui extra se in creaturis delectationes quærit, cùm intra se omnium deliciarum fontem habeat.

Idem. IV. Sicut Confessarij neminem absolvunt, & gratiâ divinâ impleri faciunt, qui concubinam suam non vult ejicere; ita nec DEUS gratiam & veniam largitur ijs, qui concubinas suas, id est, creaturas, quas inordinato amore dilexit, non vult ejicere.

Sap. 14. v. 11. V. Sicuti si mus aliquis sciret in aliquo loco latere muscipulam, haud dubiè illam studiosè declinaret; ita & quivis homo, cùm sciat, teste S. Scriptura, creaturas in muscipulam pedibus insipientium factas esse, meritò eas, quantùm potest, declinare debet.

Nierenb. de adorat. VI. Sicut nullus Princeps in aurea suppellectile pateretur vas luteum immisceri, ne vi-dentes offenderentur, & factum carperent; ita neque cum DEO ulla in corde creatura collocanda est, ne Sancti & ipse DEUS id advertentes justam displicentiam inde concipiant.

Glossa. VII. Sicut ij, qui thesauros effodiunt, terram rejiciunt, foveam profundam faciunt, & sedulò insistunt, donec inveniant, quod quærunt; sic qui thesaurum veræ perfectionis & Sapientiæ cælestis reperire desiderat, omne pondus terreorum rerum à se rejicere, fossam humilitatis in se fodere, nec, donec invenerit, quiescere debet.

Damnum.

S. Chryʃ. serm. in Oziam. VIII. Sicut ignis mox, ut stupam apprehendit, flammâ suâ incendit; ita & concupiscentiæ ignis, quamprimum venustatem visu attigerit, animam accendit.

Idem ho. 2. in Matt. IX. Sicut cerva telum corpore fixum gerens, licet Venatorum manus effugiat, denique perit tamen; sic & anima telo concupiscentiæ ob intemperantem & curiosum aspectum sauciа, tametsi discedat, non tamen periculo vitæ spiritualis amittendæ caret.

Ibid. X. Sicut ignis materialis humidam nactus materiam plurimum, eúmque admodum molestum fumum excitat; ita concupiscentia; si animam ad terrenas voluptates inclinatam occupaverit, non nisi crassissimos amoris sensualis fumos progenerat.

Arnobius apud Lang. XI. Sicut in hamo esca quidem aspectu dulcis, sed lethalis in gustu est; ita concupiscentiæ fructus dulcis videtur, dum appetitur: sed amarus, dum percipitur.

Fab. conc. 1. in Dom. 7. post Pentec. XII. Sicut Scorpius vivens necat, occisus sanat; ita concupiscentia, dum in nobis viget, perdit nos: suppressa verò & mortificata mirum quantum prodest.

Auctor op. imperf. ho. 8. XIII. Sicut herbæ suffocant triticum; sic & concupiscentiæ carnales suffocant disciplinam.

Orig. ho. 8. in num. XIV. Sicut hi, qui dæmone repleti, vel mente alienati sunt, non sentiunt, si vulnerentur, quia naturalibus sensibus carent; ita & nos vel cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitiis inebriati, sentire non possumus, quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando acquirimus.

Drex. hor. & noct. in horolog. XV. Sicut Lusores, ubi peciniolam omnem lusu perdiderunt, eò aguntur ludendi libidine, ut etiam vestes denique committant aleæ; ita quicunque concupiscentiam in Societatem lusus admittit, & semel pudicitiæ jacturam fecit, non cessabit varias oblectationes quærere, donec ipsam etiam animam perditionis periculo exponat.



§. VIII.

MOTIVA

Ad resistendum concupiscentiæ.

1. Tim. 6. I. **Q**Uia *Radix omnium malorum est*; nam omne peccatum, teste S. Paulo, ex concupiscentia inordinata boni creati oritur.

Osea 9. v. 10. II. Quia *hominem valde deprimit*: juxta illud Oseæ: facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.

Senec. ep. 13. III. Quia *pacem animæ & quietem tollit*: id quod pulchrè Seneca ostendit, dum ait: Vidisti aliquando canem missa frusta panis aperto ore captantem? quidquid accepit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis; quidquid exspectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attoniti in Epicureum illud chaos incidimus, inane sine termino est.

l. 1. c. 21. §. 3. IV. Quia *veris & cælestibus consolationibus privat*: nam, ut rectè notavit pius Asceta: Quòd divinas (consolationes) non habemus, aut rariùs sentimus, nos in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas omnino abjicimus.

S. Bern. in serm. V. Quia *vano labore consumunt*: cùm enim anima ad imaginem DEI facta, cæteris rebus occupari, non autem repleri possit; meritò frustra satietatem in particularibus creaturis quærit, quam omnes simul sumptæ præstare non possunt.

Anonym. VI. Quia *gravis stultitia arguit*: quæ enim major stultitia inveniri queat, quàm si quis umbram boni pro ipso bono eligat? si in gravissima siti guttam lacunæ fordidæ haurire, quàm ex ipso fonte recentissimas & purissimas aquas bibere velit?

§. IX.

MEDIA.

S. Thom. opusc. 7. I. **O**Ratio: quod medium S. Thomas sequentibus verbis suasit: si duo pugnarent, & velles unum juvare, alterum non, oporteret primo auxilium dare, secundò verò subtrahere. Inter spiritum autem & carnem est continuum prœlium. Unde oportet, quòd si vis, ut spiritus vincat, des ei auxilium, & hoc fit per orationem: carni verò subtrahas, & hoc fit per jejunium.

Anonym. II. *Amor DEI*: sicut enim, qui æstuant, facilè omnes vestes sibi adhærentes abjiciant; ita qui amore divino exæstuat, omnem facilè aliorum objectorum concupiscentiam deponet. Certè ubi DEUS mari turbulento cordis nostri imperat, continuò cessabunt fluctus concupiscentiarum, & fiet tranquillitas magna.

Epict. c. 56. III. *Consideratio exitus*, quem habituræ sunt concupiscentiæ inordinatæ: ita Epictetus suasit his verbis: Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis. Sed & rem examina, & tibi ipsi præbe deliberandi spatium. Deinde utriusque temporis memento, tum ejus, quo voluptate perfrueris: tum ejus, quo voluptate jam perceptâ dolebis, téque ipse objurgabis. Atque his illa confer, si abstinueris, fore ut gaudeas, téque ipse collaudes. Sed & S. Gregorius idem suasit dicens: Caro cùm concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis: intelligetur, quid ametur. Hinc etiam Aristoteles voluit, ut circa concupiscentiam voluptatum nos perinde, ut Proceres Trojani circa Helenam, geramus, qui eam dimittendam censuerunt, ne belli damna & excidium incurrerent. (S. Greg. l. 18. moral. — Arist. 2. Eth. c. ult.)

IV. *Generosa resistentia*: nam, teste Sancto Chrysostomo, cani similis est voluptas, si pellas, fugit: si nutrias, permanet. Quod idem etiam S. Augustinus suasit dicens: Pugnat? repugna; noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare. (S. Chrys. ho. 62. ad pop. — S. Aug. s. 45. de temp.)

V. *Contemptus*: juxta consilium Jobi: Clamorem exactoris non audit. Super quæ verba S. Gregorius, clamorem exactoris non audire est, violentis tentationum motibus minimè consentire. Hinc aliqui suadent ejusmodi concupiscentias perinde non curandas, sicut magni Molossi catellos latrantes despiciunt. Hinc & pius Asceta ait: Juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exteriùs, sed potiùs decisa ex corde radicitus. (S. Greg. l. 30. moral. c. 15. — l. 3. c. 27. §. 3.)

VI. *Cælestium bonorum desiderium*: qui enim, ut S. Gregorius sapienter dixit, cælestis vitæ dulcedinem, in quantùm possibilitas admiserit, perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit; in comparatione enim illius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus; nihil de terrenis liber, deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ Margaritæ claritas fulget in mente. (S. Greg. in moral.)

§. X.

ASCETICA.

I. **Q**Uatuor sunt, quæ de Concupiscentia præcipuè nôsse, benéque advertere debet Asceta. Primum est, ut bene apprehendat, quantopere referat, hanc concupiscentiam rectè moderari; id quod S. Leo sequentibus verbis expressit: Virum Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem, sicut nullo implicari errore; ita nullâ oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ avida (aut cujuscunque alterius rei terrenæ) nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Certè miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, inquit S. Bernardus, si pro tam exiguis tanta patiamur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imò quid insaniæ est, ut, qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? quis stultum, inquit alius, non judicaret Mercatorem, qui, ut unionem inæstimabilis pretij compararet, jam multa millia florenorum expendisset, & postea, ne unum adhuc obolum dare deberet, totum contractum rescinderet? (S. Leo in serm. — S. Bern. ad Monachos S. Bertini. — Nieremb. de adorat.)

II. Se-

S. Aug. lib. contra Julian. II. Secundum est, ut bene cognoscat, quonamque concupiscentiam debellare possit & debeat; nam, ut rectè dixit S. Augustinus, concupiscentia minui potest, consumi non potest in hac vita. Unde bene inter passionem & propassionem distinguere oportet, nam passio sola in vitio est, quando scilicet consensus præbetur inordinatæ concupiscentiæ; propassio verò, quâ animus ad consensum incitatur, licet initium culpæ habeat, tamen non tenetur in crimine, ut rectè S. Hieronymus dixit. Et hoe videlicet est, quod DEUS olim Caino dixit: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

S. Hieron. sup. Matth. l. 1. c. 14.

Gen. 4. v. 7.

S. Aug. in c. 3. Gen. III. Tertium est, ut solidum sciat modum moderandi & vincendi hanc concupiscentiam, qualem quidem efficaciter S. Augustinus sequentibus verbis suggessit: O Ecclesia, caput serpentis observa. Quid est caput serpentis? prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem aliquid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc, quod venit in mentem, caput serpentis est, caput calca, & evades cæteros motus. Quid est, caput calca? ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit, magnum ibi lucrum, magnum aurum, dives eris, si hanc fraudem feceris. Sed pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Hæc dicens observâsti caput serpentis, & calcâsti. Ille autem Diabolus calcaneum tuum observat. Quid est, observat calcaneum tuum? quando labans à via DEI. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum: si cecideris, possidebit.

IV. Quartum est, ut non difficilem sibi, sed facilem potiùs imaginetur hanc luctam & victoriam; id quod nonnemo pulchrè hâc similitudine ostendit. Finge, ajebat, Juvenem ad amores pronissimum turpissimæ Æthiopissæ adhæsisse, & ex illius consortio gravissimos morbos contraxisse, sed & totius substantiæ ac famæ suæ jacturam fecisse; hujus autem misertum Regem, aliam ei formosissimam Virginem Æthiopissæ loco offerre, promittereque, se & à morbis eum curaturum, & omnem substantiam ac famam restituturum, quin & millecuplo plùs adjecturum; an prudenter judicari posset, difficilem fore huic Juveni Æthiopissæ repulsam, & Virginis speciosissimæ electionem? atqui similiter se res habet cum eo, qui inordinatam rei alicujus concupiscentiam fovebat, & cui loco talis creaturæ ipsa Divinitas amanda offertur; hine meritò S. Bernardus dixit: Nihil in hac vita laboriosiùs, quàm desideriis terrenis æstuare: & nihil hîc quietiùs, quàm hujus sæculi nihil appetere.

S. Bern. in serm. 6.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

B. Alcuinus. I. Cor humanum mari simile est, teste B. Alcuino, quod semper æstuat; in quod omnia flumina intrant, & aqua dulcis in amaram convertitur, quia oblectamentum in fastidium vertitur, & omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur; neque flumina in mari quiescunt, sed revertuntur, ut iterum fluant; eandem inquietudinem experiuntur Filii hujus sæculi.

II. Cùm Adolescens quidam furibundum equum conscendisset, & ab eo, quia cohibere non valebat, per avia & devia abreptus fuisset, quæsitus ab aliquo familiari casu transeunte, quo ferretur? respondit, quò quidem equo huic placuerit. Simili modo cum concupiscentia res se habet, si debilem sessorem, & regendi imperitum inveniat. Langius in Polyant. V. Cupiditas.

III. Abbas Achilles concupiscentiam manubrium Dæmonis appellat, eò quòd sine illa nihil possit efficere, omne autem damnum per illam inserat. Fab. conc. 1. in Dom. 7. post Pentecost. n. 11.

Fuga.

IV. Corvus etiam sitiens abstinet aquâ pluviâ, quam noxiam sibi novit ob ventris profluvium: quantò magis homo abstinere debet ab iis, quæ animo noxia novit. Ibid.

Damnum.

V. Columba siti propè enecta cùm vidisset in tabula craterem pictum, concitato impetu in illam allisa, alas fregit, sicque in terram lapsa à Pueris capta fuit. Idem contingit illis, qui nimiâ concupiscentiâ impulsi, magno impetu in amorem & fruitionem rerum illicitarum feruntur. Langius l. c.

VI. Mulier quædam, cùm gallina singulis diebus ovum unum peperisset, rata quòd plura esset paritura, si meliùs saginaretur, cibo superfluo pastam omninò non ampliùs parere fecit. Sic nempe dum futuris concupiscentia inhiat, etiam præsentia amittit. Ibid.

VII. Dicebat Senex quidam: Quia tres virtutes Sathanæ præcedunt universa peccata. Prima, oblivionis: Secunda, negligentiæ: Tertia, concupiscentiæ. Etenim si oblivio venerit, generat negligentiam, de negligentia verò concupiscentia nascitur, de concupiscentia verò corruit homo. Si enim ita sobria est mens, ut oblivionem respuat, ad negligentiam non venit; & si non neglexerit, concupiscentiam non recipit, nunquam cadet opitulante Christi gratiâ.

§. XII.

AUTHORES.

I. Matthias Faber conc. 2. in Dom. 4. post Epiph. & conc. 3. in Dom. 5. post Epiph.

II. Jeremias Drexelius in Zodiaco signo 4.

III. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. 4. lect. 18.

IV. Thomas Kempensis de imit. Christi l. 3. c. 31. & 32.

V. Josephus Langius V. eodem, & V. Cupiditas.

TITVLVS XI.

CONSILIUM.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2 q. 12. a. 3. *S. Damasc. l. 3. c. 33.* *Lyranus l. 1. apopht. 16.*

EST juxta S. Thomam inquisitio eorum tantùm, quæ sunt ad finem, operabilium à nobis, non minimorum, nec determinatorum. Juxta S. Damascenum verò est appetitus inquisitivus de rebus utilibus. Unde quia frequenter ejusmodi consilia considendo & conferendo concipiuntur, aliqui *consilium* quasi *considium* dictum volunt.

Divisio.

II. Dividitur in *divinum* & *humanum*; illud est, quod à DEO inspiratur; istud quod ab Hominibus suggeritur, & subdividitur in *bonum* seu ad finem præfixum consequendum utile; & *malum*, quod potiùs abducit à fine, quem intendimus, quàm juvat.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Consilii divini qualitas.

Isaia 46. v. 10. I. COnsilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.

Act. 5. v. 38. II. Si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissolvetur: sin ex DEO est, non potestis dissolvere, ne fortè & DEO repugnare inveniamini.

Ps. 32. v. 11. III. Consilium autem Domini in æternum manet.

Ps. 565. v. 5. IV. Terribilis in consiliis super Filios hominum.

Consilii humani necessitas.

Prov. 15. v. 22. V. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi verò sunt plures consiliarii, confirmantur.

Eccl. 6. v. 6. VI. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.

Tob. 4. v. 19. VII. Consilium semper à sapiente require.

Eccl. 37. v. 20. VIII. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.

Ib. 32. v. 24. IX. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.

Utilitas.

Prov. 11. v. 14. X. Salus, ubi multa consilia.

Eccl. 37. v. 18. XI. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso.

XII. Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ. *Prov. 13. v. 10.*

XIII. Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. *Prov. 19. v. 20.*

XIV. Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella. *Ib. c. 20. v. 18.*

XV. Unguento & variis odoribus delectatur cor; & bonis amici consiliis anima dulcoratur. *Ib. c. 27. v. 9.*

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. ADvertendum, quòd in acquirendis consiliis plurimùm valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? quomodo enim potero judicare consilio Superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. Anne eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat? cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat? *S. Ambr. l. 2. de offic.*

II. Talis esse debet, qui consilium dat, ut seipsum formam aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate, ut sit ejus sermo salubris & irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora. *Ibid.*

III. Nullus fidelior tibi ad consilium potest esse, quàm qui non tua, sed te diligit. *S. Greg. l. 1. registri.*

IV. Omnes, juxta Domini præceptum, etiam inimici diligendi sunt; sed ad consilium soli eligantur, qui & prudentes esse videantur, & benevoli; absque benevolentia & prudentia non sunt perfecta consilia. *S. Bern. in ep. ad Henric. Senonens. Archiep.*

Necessitas.

V. Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur; quia quò plùs se posse conspicit, eò virtus sine moderatione deteriùs in præceps ruit. Mens, quæ intus sedem consilii perdidit, foràs se per desideria innumerabiliter spargit. *S. Greg. in Moral.*

VI. O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione præcedente, eodémque pacto cælum, quibus duobus nihil potest esse par creatis in rebus. Ad solius Hominis fabricationem Creator ille rerum quâdam cum consideratione accedit; nam naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum, quasi diceret: creatus est homo *S. Gregor. Nyss. c. 3. de opif. hom.*

ano cum consilio, ut cum consilio gubernaret, & ex sui molitione disceret, quo pacto & ipse reliqua moliretur. Ne postea neglexisse pœniteat, quod DEUM fecisse non puduit.

S. Aug. l. 14. de Civ. c. 14. VII. Ubi dixisti: Meus sensus sufficit mihi, ibi defecisti: Ubi tuo consilio placuisti, ibi periisti.

Utilitas.

S. Aug. enarr. in Psal. VIII. Bonus est Israël DEUS, sed quibus? rectis corde. Et qui sunt recti corde? qui voluntatem suam ad DEI voluntatem, eâ priùs consultâ, dirigunt.

S. Ambr. l. 2. de offic. IX. Quantò utiliùs Regem Pharaonem Joseph consilio providentiæ juvit, quàm si pecuniam contulisset. Pecunia enim unius civitatis ubertatem non redimeret; at prospicientia Joseph totius Ægypti per septennium famem pepulit. Facilè autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt; hæc usu augentur, pecunia minuitur, & citò deficit.

S. Basil. orat. de falso. X. Profectò divina quædam res est consilium; est namque animi conjunctio, caritatis fructus, mentis demissæ demonstratio.

§. IV.

EXEMPLA.

Jo. 6. v. 5. I. Christus ipse, cùm turba multa eum sequeretur, consilium de iisdem pascendis ab Apostolis expetiit, dicens: Unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem fecit, teste S. Hieronymo, ut Magistris exemplum tribueret, cum Minoribus & Discipulis consilia communicandi. S. Hier. in c. 15. Matt.

Lyraeus in apopht. 16. l. 1. II. S. Ignatius Lojola suos identidem admonere solebat, ne quid inconsulto DEO aggrederentur, subjungens: nunquam se ausum esse ullum cujusque ponderis aut momenti negotium auspicari, nisi priùs recursum faceret ad DEUM, & hic erat solemnis ejus sermo.

Drex. in Heliotr. l. 2. c. 5. §. 1. III. Pambo Abbas, quoties consilium rogaretur, spatium petebat tantisper rem DEO commendandi; nec enim responsi quidquam dare instituit, quin priùs os Domini interrogâsset.

Panorm. l. 3. de gest. Alph. IV. Alphonsus Rex interrogatus, quibus consiliariis maximè uteretur, & delectaretur? respondit: à quibus sine metu, sine gratia, quæ nôsse cuperet, fideliter audiret.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Liv. l. 9. dec. 4. I. Livius Salinator in consilio primus rogatus sententiam, neminem fideliùs posse dare consilium dixit, quàm eum, qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus esset.

Pulgos. l. 7. c. 2. II. Homulius potiùs optabat Malum Principem, qui bonos haberet Consiliarios & Amicos, quàm bonum, qui malos haberet, quibus rerum administrationem committeret; putabat enim faciliùs fore, ut à multis bonis unus malus ad saniora duceretur, quàm ab uno bono multi à malitia averterentur.

III. Antoninus Pius nihil solitus est agere in belli negotiis aut in civilibus, de quo non priùs conferret cum gravibus viris, dicens: Æquiùs est, ut ego tot, taliúmque amicorum consilium sequar, quàm ut tot, talésque amici meam unius sequantur voluntatem. Langius in Polyanth. V. eodem.

IV. Scipio Africanus non ante ad negotia publica vel privata perrexit, quàm in cella Jovis Capitolini aliquamdin constitit, & vota Diis pro consilio & sapientia impetranda fecit. Lyraeus in apoph. 16. c.

V. Cyrus Rex Cambysen Filium adhortatus est, ne quid publicè aut privatim inconsulto Numine ageret. Ibid.

VI. Alexander Severus Imperator, re Consiliariis proposita, spatium ad disquirendum, cogitandúmque dedit, ne de rebus sæpe ingentibus incogitati sententias dicere cogerentur. Drex. in Phaeth. c. 9. §. 3.

VII. Leo Imperator Filio suo hoc monitum sapienter reliquit: Delibera tardè, nisi aliqua necessitas celeritatem requirat: at ubi consulueris, festinanter exequere. Ibid.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut Lamiæ cæcutientes domi, foris nihil non vident; ita quidam in alienis negotiis plùs satis oculati, in suis parùm perspiciunt. Erasm. in simil.

II. Sicut Aquilo initio vehemens, desinit lenior; contrà Auster initio lenior, desinit vehementior; ita qui præcipites magno impetu rem aggrediuntur, frigescunt in progressu; contrà qui cum consilio suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu. Idem.

Necessitas.

III. Sicut Civitas, cujus diruta sunt mœnia; ita vir se habet, qui non omnia cum consilio agit. Langius in Polyanth. V. eod.

IV. Sicut Vespertilionum oculi se habent ad lucem & splendorem diei; ita mentis nostræ aciem ad ea, quæ alioqui per se clarissima sunt, se habere compertum est. Aristot. l. 2. Met. c. 1.

V. Sicut per ignota loca peregrinanti nil magis necessarium est, quàm ducem itineris peritum habere; ita cùm ob naturæ corruptæ statum & vulnus, frequenter viam ad rectè vivendum & agendum ignoremus, meritò aliorum auxilium & consilium implorare debemus. Lyraeus apopht. 16. l. 1.

Consilii mali damnum.

VI. Sicut Polypus, dum conchæ carnem captat, ipse capitur, & perit; ita sæpe, dum aliis nocere per mala consilia studemus, nos ipsos in periculum adducimus. Plin. l. 9. c. 30.

VII. Sicut Perillus Phalaridi bovem æneum donans, suo invento periit, primúsque illud tormentum experiri debuit; ita plerumque malum consilium in Authoris caput redundat. Idem l. 34. c. 8.

§. VII.

§. VII.

MOTIVA.

Prov. 24. v. 5. I. *Necessitas*: Quia nemo sibi sapiens satis: hinc meritò monet Salomon: ne innitaris prudentiæ tuæ.

Prov. 11. v. 14. II. *Utilitas*: Quia salus, ubi multa consilia; ubi verò non est Gubernator, qui cum consilio omnia administret, corruet Populus.

Prov. 27. v. 9. III. *Jucunditas*: Quia sicut odoribus delectatur cor, ita bonis amici consiliis anima dulcoratur.

Eccl. 32. v. 42. IV. *Securitas*: Quia, si quis sine consilio nihil faciat, post factum non pœnitebit, teste Siracide.

§. VIII.

MEDIA.

Tob. 4. v. 20. I. *Oratio*: Sic enim Tobias Filio suasit: Pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

Prov. 1. v. 5. II. *Alios libenter audire*: Nam audiens Sapiens sapientior erit, teste Salomone. Hinc S. Hieronymus ait; Græci Poëtæ laudabilis illa & admiranda sententia est, primum esse beatum, qui per se sapiat; secundum, qui sapientem audiat. (S. Hieron. in c. 3. Isaiæ.)

Basil. c. 56. monit. III. *Historiarum lectio frequens & accurata*: Ita jam olim Basilius Imperator Leoni Filio suasit, dicens: Per historias veteres ire ne recusa; ibi enim repenes sine labore, quæ alii cum labore collegerunt: illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, & vitæ humanæ varias mutationes, mundi hujus instabilitatem, & Imperiorum præcipites casus. Et, ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in Divinæ Justitiæ manus incidas: hæc amplectêris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

Sallustius in bello Catilin. IV. *Libertas ab inordinatis affectibus*: Ita jam olim Sallustius judicavit, omnes, qui de rebus dubiis consultant, vacuos esse debere affectibus; haud facilè enim animum pervidere verum, ubi illi officiunt.

Tacitus lib. 1. Livius l. 31. V. *Fuga præcipitantiæ*: Nam, teste Tacito, scelera impetu, consilia morâ valescunt. Et, ut Livius rectè advertit, omnia non properanti clara, certáque sunt, festinatio verò improvida & cœca est.

§. IX.

ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ Ascetæ præcipuè de hoc Consilio notanda sunt. Primum est, ut certò sibi persuadeat, unum ex præcipuis mediis ad perfectionem conducentibus esse, ut frequenter à Viris & Patribus spiritualibus Consilium petatur, id quod S. Climacus sequentibus verbis fat claré ostendit: Quicunque revera voluntatem Christi addiscere vult, suam priùs voluntatem studio mortificare debet: deinde verò fide atque innocua simplicitate orantes Patrum sive Fratrum animas, summa cordis humilitate, ac fine cordis hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex DEI ore suscipiunt, etsi contraria intentioni suæ sint, quæ ab illis fuerint dicta: etiamsi hi, qui interrogantur, non valde spirituales fuerint. Neque enim est injustus DEUS, ut animas decipiat, quæ semper fidem & innocentiam proximi consilio atque judicio humiliter submiserint. (S. Climac. grad. 26.) Hadrianus Lyræus alia tria commoda refert, quæ ex frequenti petitione consiliorum reportantur, videlicet 1. Quòd is, qui petit consilium, si alius idem sentiat, quod ipse, securior sit, quòd non decipiatur. 2. Quòd, si evenerit aliquid contrarium, minùs ei imputari possit, quàm si ex suo sensu id egisset. 3. Quòd sæpe in meritum talis humilitatis DEUS daturus sit illi per se, vel per alium agnoscere, quod antè non intellexit. (Lyræus apopht. 16. l. 1.) Sed & ipse Seneca ejusmodi plures utilitates enarravit, dicens: Proderit Sapiens aliquando Sapienti, suadebit enim, impetum dabit illi, occasiones actionum honestarum commonstrabit. Præter hæc aliquas suas cogitationes exprimet; docebit, quæ invenerit, & quò animus ejus excurrat. Præterea quarundam illi notitiam tradet; non enim omnia Sapiens scit: etiamsi sciret, breviores vias rerum aliquis excogitare possit, & has indicare, per quas faciliùs totum opus circumfertur: atque ita incipiet alter sapere securior, & extra metum positus feriari: plùs enim homines in alieno negotio vident, quàm in suo. (Senec. l. 19. ep. 110.)

II. Alterum est, ut sciat, quid potissimùm observandum sit in consilio dando, videlicet illa tria, quæ Gregorius Theologus sequentibus versibus indicavit: (Gregorius Theol. in carm.)

Nam trina cùm sint, ut vetus sensit cohors,
Pollere debet optimus Monitor quibus,
Rerum usus, ingens caritas, os liberum,
In me requires prorsus ex tribus nihil.

Alii nòn malè conditiones boni Consilii in viginti quatuor Senioribus à S. Joanne olim conspectis adumbratas putant. Nam 1. erant *Senes* propter experientiam & usum rerum commendabiles; quod vel maximè requiri ad Consilium jam olim Plutarchus significavit, dum dixit: Maximè salvam esse civitatem, ubi consilia Senum, & Juvenum arma obtinent. 2. *Vestiti albis vestibus erant*: id est, ab omni cupiditate & metu liberi. 3. *Coronas in capite gerebant*: quibus *libertas* in consilio dando indicatur, de qua rectè S. Ambrosius Theodosio Imperatori scripsit: Clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere: nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. (S. Ambros. l. 5. ep. 29.) 4. *Cum libro signato in manibus*: quo secreti tenacitas & fides indicatur; hinc jam olim Valerius Maximus dicere solitus erat, Taciturnitatem optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum esse.

esse. 5. *Procidebant, & coronas suas ad pedes DEI mittebant:* ut indicetur, omnia consilia ad gloriam DEI primariò referenda; alioqui enim nullam vim & efficaciam habebunt, cùm non sit Sapientia, nec prudentia, nec consilium contra Dominum, Salomone teste.

Prov. 21. v. 30.

III. Tertium est, ut sciat, quas doctrinas & regulas in ipsa consultatione observare debeat, nempe 1. Ut ante omnia curetur, ut finis semper integer & illæsus servetur. 2. Ut in electione mediorum ad ea media maximè respiciatur, quæ ad finem appositissimè ducunt; item ad ea, quæ practicè magis parabilia sunt, relictis incertis, licet ex se forent meliora. 3. Ut, cùm consultatio tantò melior sit, quò firmioribus ex fundamentis procedit, in ea rationes æternæ magis, quàm temporales curentur. 4. Ut res, de qua consultatur, non obiter perspiciatur, sed bene quoad omnia penetretur, atque adeò diligenter perpendatur, quid ex re tali suscepta vel neglecta non tantùm proximè, sed etiam per aliquot sequelas sequi possit. 5. Ut etiam circumstantiæ temporis, locorum, & Personarum benè examinentur; ex his enim plerumque ultimatum judicium, consiliúmque formandum est. 6. Ut pariter etiam attendatur, in quod affectus magis propendeat; huic enim ut plurimùm contra nitendum, aut certè minus fidendum est, eò quòd plurimùm impediat sinceritatem judicij.

IV. Quartum est, ut diligenter attendat, caveátque, ne, si advertat consilium à se conceptum, vel ab aliis suggestum, minùs felicem exitum sortiri, pertinaciter nimis eidem adhæreat; etsi enim meritò inter alias virtutes Consiliariorum etiam constantia numeretur, atque adeò meritò reprehendantur à Salustio ij, qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur, & alia ac alia consulunt, prout eorum, quibus placere cupiunt, simultas & arrogantia exigere videtur; superbæ tamen stultitiæ perseverantia est, teste Seneca, dicere: quodcunque semel dixi, fixum, ratúmque sit: non enim est turpe cum re mutare consilium: nec levitas censeri debet, à cognito & damnato errore discedere. Oportet enim, ut Plato sapienter dixit, tanquam in telorum jactu, ad id, quod ceciderit, res suas aptare, quocunque modo ratio id optimum esse duxerit.

Seneca de benef. c. 38.

Plato l. 10. de Republ.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Stobæus. I. Bias interrogatus, quis esset optimus Consiliarius? tempus, inquit.

Æn. Silvius l. 3. II. Fridericus Cæsar dicere solebat: Utinam Consiliarij mei in palatij vestibulo duas res deponerent; sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi etiam inter consilia dijudicare facillimum esset. Interrogatus, quænam res illæ forent? Simulatio, & Dissimulatio, respondit.

III. Mithridates Rex de seipso fatebatur: Mihi fortuna multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi. Hinc & Joannes Cockier bonum consilium ex imagine lætorum & tristium procedere dicebat.

Drex. in Joseph. c. 9. §. 1.

IV. Interrogavit hominem aulicum unus ex Purpuratis Patribus: cujusnam Consiliarij fidelissimum esset consilium? respondit alter: Contemnenti aurum.

Idem in Phæt. c. 9. §. 6.

V. Leo Imperator Filium suum instructurus sic eum alloquebatur: Consultores adhibe experientes rerum, providos, perspicaces, ærumnarum ac prosperitatis tuæ socios: ad cogitandum solertes, fideles, qui tibi neque ad gratiam obtemperabunt, neque illi, qui susceptor rei extitit, neque sibi mutuò; sed qui, quod cogitant, dicunt; qui simplici animo & incorrupto sunt, nullúmque ex iis rebus lucrum quærunt, sed in eo ipso tempore, quid maximè utile sit, explorant. Sunt enim, qui, cùm lucrum aliquod vel compendium aut ad se, aut ad eos, quos caros habent atque diligunt, pertinere posse vident, totam judicationem rei eò transferunt: &, quia pertinaces sunt, universum consilium ab utilitate communi ad id, quod ipsi volunt, devehunt.

Ibid.

VI. Rectè monuit nonnemo:

Beyrl. V. eodem.

O Consultores, rectos assumite mores,
Publica privatis præponite commoda gratis,
Ne damnet vestras animas divina potestas.

VII. Ratisbonenses Curiæ suæ hos versus in tabula marmorea inscribi curârunt:

Quisquis Senator Curiam officij causâ ingrederis,
Ante hoc ostium privatos affectus abjicito;
Iram, vim, odium, amicitiam, adulationem,
Reipublicæ Personam, & curam subjicito,
Nam ut aliis æquus aut iniquus fueris,
Ita quoque DEI judicium exspectabis, & sustinebis.

Necessitas.

VIII. Impossibile est, ut salubriter disponat principatum, qui non agit consilio Sapientium.

fr. Sarisbur. l. 5. polit. c. 5.

IX. Monstrabo tibi, cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadétque, sed adulandi certamen est, & unum amicorum officium, una contentio, quis blandissimè fallat.

Seneca l. 6. de benefic. c. 30.

Cicero l. 1. de offic. X. Parva sunt arma foris, nisi consilium sit domi.

Ovid. l. 4. de Pont. eleg. 12. XI. Non malè cecinit Ovidius:

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re, consiliúmque fugit.

Lang. in Polyanth. XII. Hirundo cùm semel, iterúmque monuisset aves, ut semina lini, de quibus herba avibus nocentissima germinatura esset, eruerent, aves verò consilium sequi noluissent, ipsa in oppida & civitates fugit, reliquæ verò aves retibus de lino contextis captæ, vel damno suo docuerunt, quàm nocivum sit, bona consilia non sequi.

Horat. l. 3. od. 4. XIII. Vis consilij expers, mole ruit sua.

Epict. c. 36. Enchir. XIV. Prudenter suasit Epictetus: Magno animo Deos, ut consiliarios, accedito: deinde si quid consilij datum fuerit, memento, quos in consilium adhibueris.

Utilitas.

Cod. de re-publ. l. 3. XV. Dubium non est, omnia omnino, quæ divino consilio rectè geruntur, jure, meritóque effectu, & firmitate niti.

S. Aug. in Psal. 31. XVI. S. Augustinus in illud psalmi: Firmabo super te oculos meos: pulchrè ait: Non à te auferam oculos meos, quia & tu non aufers à me oculos tuos.

Lyram l. 1. apopht. 16. XVII. In summa fortuna magis consilia, quàm manus & tela valent; id quod sequenti distycho non malè expressit nonnemo:

Varinus. Consilio utiliùs, quàm viribus arma geruntur;
Militis est robor, consiliúmque Ducis.

Cicero l. 1. offic. XVIII. Non minorem utilitatem, ait Cicero, Reipublicæ afferunt, qui præsunt, quàm qui bellum gerunt; itaque eorum consilio sæpe, aut suscepta, aut confecta bella sunt. Quare expetenda est magis decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo; temerè enim in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam est, & belluarum simile.

Cicero in Catone major. XIX. Maximæ Respublicæ per Adolescentulos labefactatæ, à senibus sustentatæ & restitutæ sunt. Cùm enim ad gubernacula Reipublicæ temerarij atque audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt.

§. XI.

AXIOMATA.

I. Consilium bonum multas vincit manus. *Euripid.*

II. Consilium prudens lætos habet exitus. *Drex. in Ioseph. c. 9.*

III. Malum Consilium Consultori pessimum.

Untreuer Rath trifft seinen aigenen Herrn.

IV. Argue consultum, te diliget: argue stultum, *Buchler. V. eod.*
Avertet vultum, nec te dimittet inultum.

Weiser Rath gehört für gscheide Leuth.

V. Wäg/ ehe du wagst: bsinn/ ehe du sagst: *Anonym.*
Damit du nicht Reue tragst.

VI. Bill/ ehe du abschiessest: *Idem.*
Bsinn/ ehe du beschliessest:
Thues willig/ ehe d'müssest:
Sonst vilmal einbüssest.

VII. Vorgethan/ und nach bedacht/ *Buchler. l. c.*
Hat schon vil in groß Leyd gebracht.

VIII. That ohne Rath/ kein guten Außgang hat.

§. XII.

AUTHORES.

I. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.


II. Laurentius Beyrlinck. in theatro Vitæ hum. V. eod.

III. Hadrianus Lyræus in apopht. S. Ignatij. l. 1. apopht. 16.

IV. Ludovicus Granatensis in locis comm. f. 405.

V. Hieremias Drexelius in Phaëth. c. 9. Item in Joseph. c. 9.

VI Joannes Busæus de Statibus Hominum V. Consiliarius.



TITULUS

TITULUS XII.

CONSOLATIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

St medium quoddam ad suum vel alterius animum excitandum vel recreandum à consolante ordinatum; Neque enim aliqui rectè doloris levamen definiuntur, cùm sæpe aliquæ consolationes immittantur à DEO, nullâ tristitiâ vel dolore supposito.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *propriam*, & *alienam*; illa est, quâ quis seipsum; hæc, quâ quis alium consolatur.

III. Dividitur in *internam* & *externam*: illa est, quæ à propria conscientia, & virtutibus ac meritis percipitur; ista est, quæ extra se ex rebus creatis emendicatur.

IV. Dividitur quoque in *spiritualem* & *corporalem*; illa est, quæ ex objectis spiritualibus hauritur; ista, quæ ex rebus appetitui sensitivo gratis colligitur. S. Ignatius Lojola in regula tertia ad spiritus cognoscendos ait, quòd spiritualis coosolatio tunc esse noscitur, quando per internam quandam motionem anima exardescit in amorem sui Creatoris, nec jam creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere. Item lætitia omnis ad studium salutis, quietem & pacem cum DEO habendam incitare solita.

V. Dividitur denique in *rationalem* & *sensibilem*: illa est, quæ tota intra rationem consistit; ista, quæ etiam in ipso corpore sensibiliter percipitur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Consolationes cælestes.

2. Cor. 1. v. 3. I. BEnedictus DEUS, & Pater Domini nostri JESU Christi, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis.

Ps. 93. v. 19. II. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Jer. 31. v. 13. III. Convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.

Isaia 66. v. 12. IV. Ad ubera mea portabimini, & super genua blandientur vobis: quomodo si cui Mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini.

V. Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. *Osea 2. v. 14.*

VI. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. *Ps. 125. v. 6.*

VII. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. *Isaia 54. v. 7.*

VIII. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. *Ps. 65. v. 12.*

IX. In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. *Ps. 56. v. 2.*

X. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra: sicut Socii passioonum estis, sic eritis & consolationis *2. Cor. 1. v. 5. & 7.*

Consolationes humanæ.

XI. Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs. *Prov. 31. v. 6.*

XII. Gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus, idipsum invicem sentientes. *Rom. 12. v. 15.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. COnsolatio mitis debet esse, non aspera, quæ magis dolorem leniat, & furorem mitiget, quàm commotionem excitet. *S. Ambr. in l. de Joseph.*

II. Cùm volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, ordo consolationis est, ut studeamus priùs mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori: quia eo ipso, quòd à mœrentis afflictione discrepat, minùs ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. *S. Greg. in Moral.*

III. Facilior erit consolatio, si inter flagella, quæ patimur, quæ fecimus, ad memoriam delicta revocemus, atque hæc non jam flagella, sed dona esse conspicimus, si, quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. *Idem in Registro.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. NOn est grave, humanum contemnere solatium, cùm adest divinum. Magnum est, & valde magnum, tam humano, quàm divino posse carere solatio, & pro honore DEI libenter exilium cordis velle sustinere. *l. 2. c. 9. §. 1.*

II. Verus amator Christi, & studiosus sectator virtutum, non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines, sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores. *Ib. §. 5.*

Ib. §. 6. III. Cùm igitur spiritualis à DEO consolatio datur, cum gratiarum actione accipe eam, sed DEI munus intellige esse, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimiùm gaudere, nec inaniter præsumere, sed esto humilior ex dono, cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis, quoniam transibit hora illa, & sequetur tentatio.

Ibid. IV. Cùm ablata fuerit consolatio, non statim desperes, sed cum humilitate & patientia exspecta cælestem visitationem, quoniam potens est DEUS ampliorem tibi redonare consolationem.

Ib. §. 7. V. Solet sequentis consolationis, tentatio præcedens esse signum.

Ib. §. 8. VI. Datur consolatio divina, ut homo fortior sit ad sustinendum adversa. Sequitur etiam tentatio, ne se elevet de bono.

L. 2. c. 10. §. 1. VII. Excedunt spirituales consolationes omnes mundi delicias, & carnis voluptates; nam omnes deliciæ mundanæ aut vanæ sunt, aut turpes: spirituales verò deliciæ solæ jucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à DEO puris mentibus infusæ.

Ib. §. 2. VIII. DEUS benè facit consolationis gratiam dando: sed homo malè agit, non totum DEO cum gratiarum actione retribuendo.

L. 1. c. 21. §. 3. IX. Utiliùs est sæpe & securiùs, quòd homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundùm carnem præcipuè. Tamen quòd divinas non habemus, aut rariùs sentimus, nos in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas omnino abjicimus.

Ibid. X. Cognosce te indignum divina consolatione, sed magis dignum multa tribulatione.

L. 3. c. 7. §. 1. XI. Non est in eo tantùm vitæ spiritualis profectus, cùm consolationis habueris gratiam; sed cùm humiliter & abnegatè, patientérque tuleris ejus subtractionem.

L. 3. c. 16. §. 1. XII. Quidquid desiderare possum, vel cogitare ad solatium meum, non hîc exspecto, sed in posterum.

Ibid. XIII. Non poteris, anima mea, plenè consolari, nec perfectè recreari, nisi in DEO Consolatore pauperum, ac Susceptore humilium.

Ibid. §. 2. XIV. Vanum est, & breve omne humanum solatium: beatum & verum solatium, quod intus à veritate percipitur.

Ibid. XV. Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum JESUM, & dicit ad eum: Adesto mihi, Domine JESU, in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Etsi tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & justa probatio pro summo solatio.

L. 3. c. 30. §. 1. XVI. Fili, ego Dominus confortans in die tribulationis. Venias ad me, cùm tibi non fuerit bene.

Ibid. XVII. Hoc est, quòd maximè consolationem impedit cælestem, quia tardiùs te convertis ad orationem; nam antequam me intentè roges, multa interim solatia quæris, & recreas te in externis.

XVIII. Putas tu, quòd semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non semper habuerunt tales, sed multas gravitates, & tentationes varias, magnásque desolationes. Vis tu statim habere, quòd multi post multas lacrymas & magnos labores vix obtinuerunt? *L. 3. c. 35. §. 3.*

XIX. Si bene scirem, omnem humanam consolationem abjicere, sive propter devotionem adipiscendam, sive propter necessitatem, quâ compellor te quærere, quia non est homo, qui me consoletur, tunc possem meritò de gratia tua sperare, & de dono novæ consolationis exultare. *L. 3. c. 40. §. 3.*

XX. Consolatio tibi interdum dabitur, sed copiosa satietas non concedetur. Confortare igitur, & esto robustus tam in agendo, quàm in patiendo contraria. *L. 3. c. 49. §. 4.*

XXI. Domine, non sum dignus consolatione tua, nec aliquâ spirituali visitatione, & ideo justè mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis: Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. *L. 3. c. 52. §. 1.*

XXII. Natura libenter aliquod solatium habet externum, in quo delectetur ad sensum; sed gratia in solo DEO quærit consolari, & in summo bono super omnia visibilia delectari. *L. 3. c. 54. §. 4.*

§. V.

EXEMPLA.

I. QUòd Christus ipse consolationem admiserit, testatur S. Lucas Evangelista, dicens: Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. *Luc. 22. v. 43.*

II. S. Paulus de seipso fassus est: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. *2. Cor. 7. v. 4.*

III. S. Magdalena de Pazzis fel purum sitiebat, nullo medicatum gustu spiritûs, aut ulla etiam cælesti dulcedine temperatum. Hinc & voti compos facta, per quinque annos ab inferis & superis sic cruciata est, ut in frusta discerpi videretur: Cúmque Confessarius ei solatium aliquod polliceretur, aut præsagiret, id longiùs à se removebat, déque DEO querebatur, quòd à pactis inter se conventis discederet. *Engelgr. in Dom. 4. post Pasch. §. 2.*

IV. Quidam Famulus DEI, revelationibus & visionibus admirandus, cùm crebris consolationibus etiam à DEO recrearetur, indignum se illis arbitratus, rogavit DEUM, ut auferret illas; quod per quinque annos ita factum est, ut vix jam respirare, & quietem animi tenere posset. Quare DEUS ipsius misertus, duos Angelos eum consolaturos misit, quorum tamen ille solatium respuens dixit: Non peto, Domine, ullum solatium, sed satis mihi est, custodire locum, ubi in anima habitas, ut in eum præter te nihil introëat. Qui affectus adeò DEO placuit, ut ad eum illas voces diceret: Tu es Filius meus, in quo mihi complacui. *Nieremb. c. 20. vit. devot.*

Drex. l. 1. c. 9. Rhet. cal. §. 2. V. Alius quidam eximius DEI servus dicere de seipso solebat: Quadraginta jam annis servio DEO in multa oratione sine ulla interna consolatione, eo tamen die, quo eam facio, suave mihi esse experior & expeditum virtutum exercitium; hócque sibi unicum solatium esse, quod propriis expensis DEO serviret, sciens scilicet, quòd olim DEUS S. Gertrudi dixerit: Vellem, electis meis persuasum esset, quòd eorum bona exercitia placeant, quando serviunt propriis expensis.

S. Hieron. in Epitaph. VI. Paula sanctissima Matrona Romana in mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in DEO, quoniam adhuc confitebor ei: salutare vultus mei, & DEUS meus: mòxque consolatam se sensit.

Vita eius. VII. S. Lydwina Batava tanto consolationum cumulo recreabatur à DEO, ut earum pondere se opprimendam diceret, nisi etiam aliquando à Domino humiliaretur. Hinc bona, inquiebat, est consolatio, quam non tumor inflat, sed timor consolidat.

Sanderus in vit. VIII. Thomas Morus carceri mancipatus nullum mœrori locum dabat, sed alios potiùs ad se accedentes etiam solabatur, dicens, hunc Mundum carceri similem esse, ex quo ad causam dicendam suis singuli diebus evocantur. Quòd autem meus carcer aliorum carcere sit minor, beneficij loco habeo, cùm è malis minimum sit eligendum.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 5. c. 6. I. S. Ignatius adeò affluebat consolationibus spiritualibus, Psalmodiæ maximè tempore, ut præ copia lacrymarum, quas illæ exprimebant, oculos propemodum perdiderit.

Vita. II. S. Franciscus adeò obruebatur cælestibus consolationibus, ut in has voces: Satis est, Domine, satis est: non semel erumpere coactus sit.

Vita. III. B. Stanislaus Koska usque adeò amore divino & consolationibus eum comitantibus incaluerat, ut strophiolis aquâ madefactis ardorem pectoris temperare necesse fuerit.

Vita l. 2. c. 9. IV. P. Petrus Faber cùm toto plùs anno in præcipuis festivitatibus mirè aridus fuisset, tandem hæc incidit consolatio, id singulari DEI dispositione & bonitate evenire, ut Cælites, quorum festa celebrantur, perspectâ ipsius miseriâ vehementius pro ipso orarent. Idem nunquam in majore aliqua molestia fuit, quam non continuò sequeretur DEI lætificans consolatio. Semel tristitiâ oppletus cùm illud sibi mœrens occineret. Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? audivit interiùs vocem, nihil esse causæ, cur tristis incederet, eùm se affligeret inimicus, lætandum esse potius, signum enim esse nostram voluntatem esse contrariam voluntati illius; tum autem mœrendum, si affligeret nos DEUS, cùm causa hujus posset esse voluntas nostra, non obsequens voluntati divinæ.

Lancic. de arid. c. 5. n. 19. V. P. Balthasar Alvarez secum ipso sic statuebat: Inquietudinem quamcunque animo occurrentem in Oratione, martyrium reputabo, & ut talem fortiter sustinebo; id quod reipsa sedecim annis præstitit, quibus tamen finitis consolationes & illustrationes sequentes abunde præcedentem sterilitatem compensârunt.

Vita pag. 154. part. 2. VI. Joannes Berchmannus licet plerumque spiritualibus visitationibus & suavitatibus abundaret, subinde tamen totus aridus erat, ubi tamen ille nec animum dimittebat, sed frequenter DEUM interpellans: Redde mihi, ajebat, lætitiam salutaris tui: sicque magnam animi quietem sentiebat. Rogatus, quibus remediis adversus ariditates animi uteretur, respondit, orare, occupare me, patientia, & sinus B. Virginis.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Beirl. V. Consolatio. I. QUidam Princeps Saracenus quosdam Franciæ Proceres captivos visitans cùm quæsivisset, utrum & ipsi DEI Filium ex Virgine natum, crucifixum, mortuum crederent? illis affirmantibus dixit: Macte animo itaque estote, nam parùm pro ipso sustinetis, qui tanta pro vobis passus est. Et si seipsum ex sepulchro suscitare potuit, poterit & vos ex vestra captivitate liberare. Seriam, vetámque fuisse consolationem eventus probavit.

Val. Max. l. 7. c. 2. II. Solon Atheniensis, cùm quendam ex Amicis valde mœrentem vidisset, in arcem perduxit, hortatúsque est, ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret. Quod ut factum advertit: Cogita nunc, inquit, quàm multi luctus sub his tectis olim fuerint, hodiéque versentur, & sequentibus sæculis sint habituri, & nulle mortalium incommoda tanquam propria deflere. Quâ consolatione demonstravit, urbes nihil esse aliud, quàm humanarum cladium consepta miseranda.

Laërt. l. 6. apoph. III. Diogenes Amicum ægrotantem invisens dixit: numquid Amico opus est? significans, in rebus afflictis potissimùm Amicorum solatio utendum.

Idem l. 5. c. 4. IV. Democritus exul cùm à Crate Philosopho visitatus, & ad exilium fortiter ferendum animatus esset, malè sit, inquiebat, negotiis & occupationibus, per quas hactenus talem virum cognoscere non licuit.

Plutarch. in vit. V. Lucius Paulus Æmilius amissis duobus Filiis optimæ indolis, tempore triumphi Macedonici in concionem progressus, gravissimâ oratione Populum infortunium suum dolentem consolatus est.

VI. Æneas naufragos suos socios consolans dixit:

Virg. 1. Æneid.

O Socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora! dabit DEUS his quoque finem.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt, illic fas regna resurgere Trojæ,
Durate, & rebus vosmet servate secundis.

Ioseph. l. 18. c. 10. VII. Philo Judæorum Legatus apud Cajum Caligulam Imperatorem, cùm non repulsam tantùm passus esset, sed etiam contumeliosè & acerbè rejectus, dixit ad socios : Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Cajus : tunc enim DEUS nobis contra illum aderit, quod factum eventus monstravit.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Franc. Salef. p. 4. introduct. c. 13. I. SIcut, qui saccarum in ore habet, dicere nequit os suum dulce esse, sed saccarum; ita esto consolatio divina valde bona sit, & DEUS eam dans optimus, inde tamen non sequitur, eum, qui ipsam sentit, bonum esse.

Stapl. text. 3. in Dom. 3. post Pasch. II. Sicut in operibus Naturæ Providentiam suam Dominus declaravit, non morborum genera tollendo, sed omnibus morbis appositissima remedia procurando; sic in operibus gratiæ ab Electis non sustulit tribulationes, nec ab omni tristitia vacuos eos esse voluit, sed contra omnes tribulationes, omnémque tristitiam fortissimum robur dedit, futuræ gloriæ certam exspectationem, dicens : Tristitia vestra vertetur in gaudium.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 24. III. Sicut æger, qui abhorret à cibo, quo eget, gaudet se reperire aliquem in eo saporem, non propter ipsum saporem, sed quia excitat ipsum ad comedendum, & vitam conservandam; sic verus DEI servus non quærit consolationem spiritualem propter consolationem, sed quia anima hâc illecebrâ illecta libentiùs se postea fatigat in via virtutis, in eâque se stabilit, & firmat.

Seneca apud Lang. in Polyanth. IV. Sicut Medici vetant admoveri pharmaca, cùm morbus in accessu est, & sævit; ita ad primos iræ ac doloris motus non est adhibenda consolatio, sed ubi post tempus cœperint esse leviores.

Utilitas.

S. Chrys. in Matth. 24. ho. 50. V. Sicut pluvia semper bona est, sed maximè tempore siccitatis gratissima accidit ; sic consolatio amicorum semper suavis est, sed maximè tempore luctûs.

S. Salesius p. 4. introd. c. 13. VI. Sicut qui herbam Scythicam ore continent, tam singularem ex ea dulcedinem sentiunt, ut nullam famem aut sitim sentiant ; sic ii, quibus DEUS cælestes consolationes gustandas offert, nullas Mundi hujus consolationes admittere volunt.

Staplet. text. 3. in Dom. 3. post Pasch. VII. Sicut Ursi alvearia invadentes, favorum dulcedine allecti, facilè apum aculeos & vulnera patiuntur ; sic sancti Viri cælestis dulcedinis certa exspectatione roborati, nihil non ferendum sibi putant, ut eâ potiantur.

§. IX.

MEDIA.

Ps. 93. v. 19. I. PAtientia in tribulationibus : quia secundùm multitudinem dolorum, consolationes lætificant animas servorum DEI, teste S. David.

Matth. 5. v. 5. II. *Luctus & dolor de peccatis* : beati enim, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

III. *Alienarum miseriarum consideratio* : nam solatium est miseris socios habere, ut habet commune proverbium.

Iob. 2. v. 10. IV. *Bonorum à DEO acceptorum memoria* : nam, ut ait S. Gregorius, magna consolatio est, Authoris nostri dona ad memoriam revocare. Hinc & Job solabatur se, dicens : Si bona suscepimus de manu DEI, mala quare non suscipiamus ?

S. Greg. in Moral. V. *Finis celeriter secuturi cogitatio* : festina enim consolatio bonorum, teste S. Gregorio, est consideratus finis malorum, dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt, quod evadunt, leve æstimant, quidquid adversum in hac vita patiuntur.

Cicero 3. Tuscul. VI. *Præmeditatio malorum* : quoniam multùm potest provisio & præparatio ad minuendum dolorem, teste Cicerone, hinc semper omnia humana homini præmeditata vult esse.

S. Greg. in Moral. VII. *Dispositionis divinæ ponderatio* : magna enim est consolatio in eo, quod displicet, quod ordinante illo erga nos agitur, cui non nisi justum placet ; ut sapienter pronuntiavit S. Gregorius.

§. X.

ASCETICA.

S. Aug. super Ioann. I. TRia sunt præcipuè, quæ de hac materia bene nôsse debet Asceta. Primum est, ut bene addiscat, ubi vera consolatio quærenda sit, quâ quidem in re facem prætulit S. Augustinus, dum dixit : Hoc est, quod nos & lætificat in omnibus laboribus & periculis vitæ hujus, amor noster in DEUM, & pium studium, & certa spes, & fervor spiritûs. *S. Bernard. apud Engelgr. in Dom. 4. post Pasch. §. 2.* Et brevius S. Bernardus : Illud verum ac solidum gaudium est, quod non à creaturis, sed à Creatore percipitur.

Ps. 118. v. 32. II. Alterum est, ut bene nôrit, ad quem finem à DEO dentur consolationes, scilicet ut sint ei instar alarum, quæ ipsum subvehant ad viam mandatorum alacriter currendam, promoveántque ad contemptum voluntatis propriæ, & appetituum malè ordinatorum, carnisque mortificationem. Hinc David dicebat : Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti (per consolationes) cor meum. Unde sedulò cavendum, ne ejusmodi consolationes propter se duntaxat appetantur, sed potiùs curandum, ut ad prædictum semper finem referantur, ideóque tantùm acceptentur, ut animus alacrior expeditiórque reddatur ad vocationem suam perfectiùs adimplendam.

S. Franc. Salesf. p. 4. introduct. c. 13. III. Tertium est, ut sciat, quomodo tempore consolationum sese gerere debeat, quod quidem præ aliis copiosè ac præclarè docuit S. Franciscus Salesius, qui sequentes ferè doctrinas suggerit. 1. Ut, quando sentiuntur ejusmodi

modi consolationes, insigniter se quis coram DEO humiliet, caveátque, ne propter eas valde perfectum aut specialiter DEO dilectum existimet; cùm non in illis, sed perfectâ caritate, vera solidáque perfectio consistat. 2. Ut agnoscat, se adhuc Infantem esse in perfectione, qui lacte opus habeat, saccaróque, quo ad DEUM amandum alliciatur. 3. Ut easdem consolationes magni faciat, & cum humilitate recipiat, non tam ob id, quod in se sunt, quàm quòd à manu DEI oobis suppeditentur. 4. Ut hoc tempore in bonis operibus faciendis, virtutibúsque exercendis, solitò sit diligentior & excitatior. 5. Ut cor suom ab illis avocet, quantùm est in se, ijs renunciando, ut tantò pleniùs omnem affectum suum in DEUM transferat. 6. Ut, si quid extraordinarium hâc in re accidat, fideliter id Directori suo aperiat. Hucusque S. Franciscus Salesius. Quibus ex regulis S. Ignatij addi potest. 7. Ut, dum fruitur consolatione, prospiciat, quo pacto se gerere velit desolatione deinceps irruente, ut jam inde acrimoniam & robur animi maturè comparet, ad ejus impetum reprimendum. *Reg. 10. de disc. spir.*

§. XI.
MISCELLANEA.

Qualitas.

I. HÆc sunt officia consolantium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, nec pati manere loogiùs, aut ad alium traducere. *Cicero 3. Tuscul.*

II. Noli mala tua facere graviora, rectè monet consolans Seneca, & te querelis onerare. Levis est dolor, si nihil illi opinio adjecerit: è contra si te exhortari cœperit, ac dicere: nihil est, aut certè exiguum est, duremus, jam desinet: levem illum, dum putas, facies: omnia ex opinione suspensa sunt: tam miser est quisque, quàm credit. *Senec. ep. 78.*

III. Quod allatura est diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos prærípere consilio, prudentiáque debemus, nec exspectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possumus. *Cicero Fam. 5.*

IV. Alvilda Puella regiâ, cùm ob Patris negatum consensum Sponso potiri non posset, virum mentita, myoparonem conscendit, & fugit. Ubi verò hostilem navim conspicata, Ducis munere functa est, hostésque oppugnavit, casu ei cassis excussa est, síque à Sponso agnita in ejus complexus ruit. Eodem modo se abscondit nonnunquam DEUS sub desolationum galea, ut eâ remotâ tantò suavior accidat ejus agnitio & fruitio. *Engelg. S. 2. in Dom. 4. post Pasch.*

§. XII.
AUTHORES.

I. S. Franciscus Salesius p. 4. Introductionis ad vitam devotam à c. 13. usque ad finem.

II. Alphonsus Rodriquez p. 1. de exercitio perfectionis. tr. 8. c. 24. & seq.

III. Henricus Engelgrave p. 1. Lucis Evang. in Dom. 4. post Pascha.

IV. Thomas Stapletonus text. 5. in Dom. 4. post Epiph. & text. 3. in Dom. 3. post Pascha.

V. S. Ignatius Loyola in libello Exercitiorum, de regulis spirituum dignoscendorum.

VI. Ludovicus Granatensis in locis comm. f. 367.

VII. Laurentius Beyrlinck in theatro vit. hum. V. eodem.

VIII. Severinus Boëthius de consolatione.

IX. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

TITVLVS XIII.
DIVITIÆ.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



SUnt bona externa, ad usum hominum cum Dominio concessa. Unde etiam opes vocantur, quia homini tum ad proprias, tum ad alienas necessitates sublevandas, opem & auxilium præstant.

Divisio.

II. Dividuntur in *mobiles* & *immobiles*, quarum istæ in agris, fundis, ædificiis, & similibus boois consistunt; illæ verò pecuniam, gemmas, uniones, vasa aurea, & argentea, aliamque supellectilem, uti & pecora continent.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. DIves, cùm dormierit, nil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet. Apprehendet eum, quasi aqua inopia, & oocte eum opprimet tempestas. *Job. 27. v. 19.*

II. Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. *Psal. 48. v. 17.*

III. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. *Ps. 75. v. 6.*

IV. Et relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum. *Psal. 48. v. 12.*

V. Argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. *Sophon. 1. v. 18.*

VI. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur, Frater *Psal. 48. v. 7.*

non

non redimit, nec redimet homo, non dabit DEO placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ.

Isaia 59. v. 5. VII. Telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum inutilia, opus iniquitatis in manibus eorum.

Fuga.

Prov. 23. v. 4. VIII. Noli laborare, ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum.

Ibid. v. 5. IX. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.

Psal. 61. v. 11. X. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Prov. 30. v. 8. XI. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen DEI mei?

Matt. 6. v. 19. XII. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi fures effodiunt & furantur, ubi ærugo & tinea demolitur.

1. Timoth. 6. v. 17. XIII. Divitibus hujus Sæculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo.

Damnum.

Eccl. 10. v. 10. XIV. Nihil est iniquiùs, quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet.

Baruch. 3. v. 18. XV. Ubi sunt, qui thesaurizant argentum & aurum, in quo confidunt homines? ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.

Eccl. 11. v. 10. XVI. Si dives fueris, non eris immunis à delicto.

Ib. 8. v. 3. XVII. Multos perdidit aurum & argentum, & usque ad cor Regum extendit, & convertit.

1. Tim. 6. v. 9. XVIII. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.

Matth. 19. v. 23. XIX. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Greg. in Evang. I. SOlæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, Fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate.

S. Chrysost. in hom. II. Divitiæ maximæ sunt, non egere divitijs.

S. Bernard. s. 4. III. Aurum & argentum, & cætera hujusmodi, quantùm ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala; usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior.

S. Basilius apud Marchant. in horto past. tub. sac. tr. 2. lect. 1. IV. Ad subsidium vitæ, non ad malorum incitamentum, opes datæ sunt: pecunia, animæ redemptio est, non exitij occasio.

Fuga.

S. Hier. s. 12. de Verb. Dom. V. Quid prodest arca plena pecuniis, si inanis sit conscientia? bona vis habere, & tu bonus esse non vis? Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet Dominum. Quid prodest diviti, quod habet, si DEUM, qui omnia dedit, non habet?

S. Basil. l. a. VI. Habes terræ partim arboribus consitæ, partim aratro utilis tot jugera: præterea vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amœna. Quid ergo posthæc? nonne telluris tres tantùm cubiti te exspectant? nonne parvus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erit?

Ibid. VII. Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis est argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolitus, beryllus, achates, hyacinthus, amethistus, jaspis. hæc summa, hi flores opum magnarum.

Ibid. VIII. Cui mors ob divitias parcit? à quo morbus ob pecuniam abstinet? quousque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca?

Damnum.

S. Greg. Nazianz. IX. Qui malè utitur divitiis, miserabilis est, ut ille, qui sponte se vulneraverit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumpsit.

S. Chrys. l. nemo læditur. X. Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnisque irrationalis motus.

S. Bern. in serm. XI. Camelus unum solùm pondus habet, dives duo, unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud (velit, nolit) moriens retinet, nisi ante mortem deponat.

S. Hier. in epist. ad Helid. XII. Omnis dives aut est iniquus, aut iniqui hæres.

Theophyl. in c. 6 ep. 1. ad Tim. XIII. Undequaque, ubi ipse attigeris, innatis aculeis manus cruentant.

S. Chrysost. ho. 13. in act. Apost. XIV. Dives nihil aliud esse videtur, quàm civitas quædam absque muris in agro sita, & undique insidiantibus exposita: paupertas verò è contrario securum præsidium est, & expugnatu difficile.

Idem ho. 47. in Matth. XV. Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam ut vestimentum à decem millibus vermium corrosum, ita eam perforatam undique à sollicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam.

§. IV.

EXEMPLA.

Iob. 31. v. 25. I. S. Job, quomodo erga divitias affectus fuerit, testatur ipse, dum ait: si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea &c. pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

Æneas Silv. l. 3. de gestis Alph. II. Fridericus Imperator, cùm Ladislaum Ungariæ Regem adhuc Puerum educaret, & Proceres clam suaderent, ut occidi curaret Ladislaum, quò ejus opibus, & regno potiretur,

respon-

respondit: Ego sanè non ita amo divitias, ut propter eas tam impium facinus attentem.

Æneas Silv. l. 4. de gest. Alph. III. Sigismundus Cæsar cùm quadraginta millia aureorum ex Ungaria allata essent, & in thalamo regio reeondita, dum cogitat, quem in usum hanc pecuniam expendere velit, somnus illum destituit. Quare excitatis cubicularijs, jussit Proceres, & Duces militum convocari, quibus cùm totam eam summam distribuisset, ite, inquit, nam nunc nobis tranquillè ac securè dormire licebit, postquam id; quod somnum ademit, procul à cubiculo aberit.

Langius in Polyanth. V. eodem. IV. Maximilianus Cæsar, etsi non rarò ingens pondus pecuniæ ad eum deferretur, semper tamen ad Quæstores portari jussit, dicens, se regendis hominibus constitutum, nec auri custodiam sibi demandatam, quò si quis semel capiatur, mox è Rege servum futurum.

Æn. Sylv. l. 3. de gest. Alph. V. Euphrasia Antigoni Filia promittenti Theodosio Imperatori opulentam dotem, si Adolescenti cuipiam Patritio, cui à Parentibus promissa fuerat, nuberet, respondit: opes meæ Christus est, tu tuas alijs dato. Sicque Monasterium ingressa, Christo se desponsavit.

Stobæus apud Lang. VI. Eucritus interrogatus, uter esse mallet, Cræsus, an Socrates? respondit, vivens mallem esse Cræsus, sed moriens Socrates.

Plutarch. in Lacon. VII. Lycurgus quæsitus, cur hostium interfectorum corpora spoliare prohibuisset? respondit: Ne milites ditescant, &, dum prædæ incumbunt, pugnam negligant.

Fab. conc. 6. in Dom. 14. post Pent. VIII. Crates Thebanus vir ditissimus projecit divitias in mare dicens: Ite pessimæ divitiæ, præstat, ut vos mergam, quàm ut à vobis mergar.

Plin. l. 6. c. 27. IX. Babytaces in Septentrionali Tygris alveo siti Incolæ, aurum in odio usque adeò habent, ut coëmant illud, ac defodiant, ne cui mortalium sit in usu.

Fab. conc. 2. in Dom. Sexag. X. Anacreon Philosophus, cùm à Polycrate Samiæ Rege decem millia ducatorum dono accepisset, ideóque ob phantasias & curas animi inde exortas triduo in somnis fuisset, remisit donum, jubens retinere res suas, quando præter curas & inquietudinem aliud nihil donare posset.

Plutarch. in Lacon. XI. Telecrus percontanti, quantùm possideret auri? non plus, respondit, quàm sat est; quo dicto clarè ostendit, se divitias non cupiditate, sed usu metiri.

Idem in apopht. XII. Themistocles cùm inter deambulandum torquem aureum humi jacentem vidisset, vocans ad se ex Pueris quendam dixisse fertur:

Quin hoc tollis, ô Puer; non enim tu es Themistocles.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut putei, qui exhauriuntur, meliùs fluunt, quibus si suas aquas intactas relinquas, fœtorem contrahunt; ita etiam divitiarum quies inutilis, motus & transgressus publicè utilis est & fructuosus. *S. Basilius in Lucam.*

II. Sicut equus, si freno careat, usui non est hominibus; sic divitiæ, nisi recta ratione gubernentur. *Stob. f. 5. de temper.*

III. Sicut non melior est Gubernator, cui pulchrius aut majus est navigium; ita nec melior est vir, cui fortuna splendidior. *Senec. de vit. beat.*

IV. Sicut plantæ, quæ citissimè oriuntur, brevissimè durant; ita rarò solent multos Successores ditare, quæ celeriter obtinentur divitiæ. *Langius in Polyanth. V. eod.*

V. Sicut muscæ, si modicè delibent mel, incolumes evadunt; secùs si toto corpore se immergant; ita qui moderatè utitur divitiis, innoxius manebit; non item qui cor apponit. *Fab. conc. 6. in Dom. 14. post Pent.*

VI. Sicut in Symphonia is tantùm vituperatur, qui malè & dissonanter canit; ita DEUS non nisi illos divites odit, qui abutuntur divitijs. *Ibid. conc. 7.*

Damnum.

VII. Sicut Luna tunc solùm patitur Ecclypsin, cùm plena est; ita turgidi divitiis sunt inanes gratiis, & obscurati peccatis. *Bessæus in Dom. 2. post Trin.*

VIII. Sicut Aranea succum floris optimum in venenum pessimum convertit; ita quidam divitias, aliáque dona DEI ac beneficia in scandalum & offensam ejus vertunt. *Ibid.*

IX. Sicut eos, qui nudi fugiunt Adversarium, nemo facilè tenere potest: qui verò vestimentum post se trahit, eum quis facilè apprehendit; ita pauper, si capiatur, facillimè fugere potest; dives verò etiamsi non capiatur, suis tamen compedibus irretitur, curis innumeris & cogitationibus adstrictus. *S. Chrysost. ho. 6. in ep. ad Tit. c. 3.*

X. Sicut nubes prætervolantes aspectum Solis nobis eripiunt; ita divitiarum amor cogitationem DEI turbat. *Fab. conc. 5. in Dom. 14. post Pent.*

XI. Sicut vestes talares corpora, ita divitiæ animas impediunt in via mandatorum currenda. *Democrat. apud Stob. f. 91.*

XII. Sicut flos fœni à Sole arefactus decidit, & decor vultûs ejus deperit; ita & dives in itineribus suis marcescet. *Iac. 1. v. 11*

XIII. Sicut camelus non potest transire per foramen acûs, nisi in minima fila dividatur; ita dives non potest intrare regnum cœlorum, nisi suas divitias etiam alijs distribuat. *Luc. 18.*

XIV. Sicut spinæ steriles sunt; quæ tangunt, lacerant: ignem facilè concipiunt: & viperis, scorpiisque sub se delitescentibus scatent; ita divitiæ, earúmque immoderata cupiditas hæc omnia suo modo tantò pejùs participant, quantò digniores sunt, *S. Chrys. ho. in Ioann.*

quos lacerant: & quantò acerbior est ignis, cui pabulum subministrant; & quantò nocentiora sunt peccata, quæ fovent.

Bess. in Dom. 20 post Pent.

XV. Sicut Absalonem crines sui valde ornabant, amabilémque efficiebant; simul tamen etiam valde gravabant; unde semel in anno tondebatur; ita divitiæ possessori suo magnam quidem apud homines gratiam & amorem conciliant, sed simul tamen animam & conscientiam valde gravant, & cruciant.

§. VI.

MOTIVA.

Ad divitias spernendas.

Fab. conc. 5 in Dom. 14. post Pent.

I. QVia impediunt à servitio DEI: uti ipse Christus dixit: Non potestis DEO servire & Mammonæ. Hinc S. Lucius Rex Angliæ, cùm audivisset de cœlo vocem dicentem sibi: Luci, non potes duobus Dominis servire: mox regno relicto vocantem DEUM secutus, Suevæque Apostolus est factus.

Matth. 16. v. 21.

II. *Quia impediunt ab oratione:* ubi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, inquit Christus; hinc Pictor quidam divitem orantem pingens, varias lineas ab ore ejus ad agros, vineas, cellam, thesaurum, Familiam direxit, ut significaret, à quàm multis objectis animus ejus ab oratione abstraheretur.

III. *Quia ab animi libertate impediunt,* sunt quippe aurei compedes, quibus homo constringitur, ut non, quod ratio dictat, faciat; sed quod divitiarum error & cupiditas imperat, exequatur.

IV. *Quia impediunt quietem & jucunditatem animi:* uti testatus est Faber ille, qui cùm semper antea sub labore cecinisset, conjecto à quopiam in officinam marsupio pecuniis pleno mox canere desijt, quia mentem inventæ pecuniæ, & timor, ne repeterentur, concinabant.

Marci 10. v. 24.

V. *Quia à regno cælorum impediunt:* ut ipse Iterum Christus testatus est dicens: Filioli, quàm difficile est, confitentes in pecuniis in regnum DEI introire.

§. VII.

ASCETICA.

I. TRia sunt præcipua, quæ Asceta circa divitias bene observare, aliísque inculcare debet. Primum est, ut earum falaciam bene cognoscat, atque adeò eas maturè abjiciat & perdat, ne ab ijs perdatur.

II. Secundum est, ut, cùm sæpe non possint omnibus bonis se privare, doceat solidum & securum modum iisdem utendi, ut scilicet cor non apponant, sicque utantur quasi non utentes.

III. Tertium est, ut ad veras & spirituales divitias potissimam suam curam & convertat ipse, & alios convertere persuadeat, eas nempè, de quibus S. Bernardus dixit: Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. Ad has enim ipse etiam Christus hortatus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

S. Bern. in serm. — *Matth. 6. v. 20.*

§. VIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. REctè de pecuniarum efficacia cecinit Ovidius:

In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias, pauper ubique jacet. *Ovid. l. 1. Fast.*

II. Is maximè divitiis fruitur (ut sapienter advertit Seneca) qui minimè divitiis indiget. Nemo autem sollicito bono fruitur; illi studet aliquid adjicere: dum de incremento cogitat, oblitus est boni. *Senec. ep. 14.*

III. Quid refert, quantùm illi in area, quantùm in horreis jaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computet. Non enim pauper est, qui minùs habet, sed qui plùs cupit: Nec qui plùs habet, sed qui minùs cupit, dives. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper. Si ad opinionem, nunquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. *Idem epist. 16. ad Lucil.*

IV. Nemo alius est DEO dignior, quàm qui opes contempsit, quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepidè possideas. *Idem ep. 18.*

V. Socrates interroganti, quis ipsi ditissimus videretur? respondit: qui paucissimis contentus est. *Stob. s. 5.*

VI. Plato quæsitus, quantas opes hebere conveniret? dixit: quantæ possidenti neque insidias pariunt, neque rerum necessariorum inopiam. *Idem s. 92.*

Damnum.

VII. Breviter, sed bene hoc expressit, qui cecinit:

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? *Ovidius in Metam.*
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

VIII. Nihil est tam angusti, támque parvi animi, teste Cicerone, quàm amare divitias: nihil honestius, magnificentiúsque, quàm pecunias contemnere. *Cic. l. 1. offic.*

IX. Chilon percontatus, quid essent divitiæ? respondit, thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio. *Lang. in Polyanth. V. eod.*

X. Diogenes dicere solebat, neque in civitate, neque in domo opulenta, habitandi locum esse virtuti. *Stob. s. 92.*

XI. Plato rogatus ab Erinensibus civibus, ut leges eis daret, renuit, eò quòd divites essent, qui ordinariè regere, quàm regi malunt. *Fab. conc. 5. in Dom. 14. post Pent.*

Fuga.

Fuga.

Ibid. conc. 6.n. 4. XII. Cùm olim Philosophi coram Philippo Macedonum Rege disputâssent, quæ res in Mundo maxima esset? & alij montem Olympum, alij Solem, alij mare maximum dicerent, postremus ac sapientissimus, animum terrena omnia (atque adeò & divitias) despicientem, & illis omnibus superstantem, maximum esse cum veritate dixit.

Seneca apud Lang. XIII. Epicurus scribens ad Pytoeleam, si vis, inquit, te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.

Laërt in eius Vita. XIV. Quod lydius lapis auro est, dicebat Chilon, hoc aurum est homini. Lapis enim index affrictu prodit, quale sit aurum, ipsum autem aurum arguit, quale sit hominis ingenium.

Senec. epist. 18. XV. Divitem illum putas, inquit Seneca quem aurea supellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui multùm suburbani agri possidet? cùm omnia dixeris, pauper est. Quare? quia debet. Quantum? inquis, omnia, nisi fortè tu dicas; utrum ab homine, an à fortuna sumpserit mutuam.

§. IX.

AUTHORES.

I. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

II. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

III. Matthias Faber conc. 4.5. & 6. in Dom. 14. post Pent.

IV. Thomas Stapletonus in Dom. Sexag. text. 2.

V. Jacobus March. tr. 2. in tuba Pastorali.

VI. Antonius Balinghem in locis communibus. V. eodem.

TITULUS XIV.

EDUCATIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST sollicitudo de ijs hominibus, qui curæ nostræ commissi sunt, sive alendis (quo nomine cura etiam valetudinis, vestitûs, & habitationis intelliguntur) sive bonis moribus & disciplinis imbuendis; in his enim officiis tota Educationis ratio consistit.

Divisio.

II. Dividitur in *corporalem* & *spiritualem*: prior est, quæ ad corpus alendum & perficiendum ordinatur; posterior est, quæ circa animum instituendum occupatur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. 7. v. 25. I. Filij tibi sunt, erudi illos, & curva illos à juventute sua.

Eccl. 30. v. 1. II. Qui diligit Filium, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, & non palpet proximorum ostia.

Prov. 13. v. 24. III. Qui parcit virgæ, odit Filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit illum.

Prov. 23. v. 13. IV. Noli subtrahere à Puero disciplinam, si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.

Hebr. 12. v. 7. V. Quis Filius, quem non corripit Pater? quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non Filij estis.

Eccl. 30. v. 9. VI. Lacta Filium, & paventem te faciet; lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui, & ne despicias cogitatus illius.

Prov. 29. v. 17. VII. Erudi Filium, & refrigerabit te, & dabit lætitias animæ tuæ.

1. ad Tim. 5. v. 8. VIII. Si quis suorum, & maximè Domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

Eph. 6. v. 4. IX. Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare Filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

Eccl. 16. v. 1. X. Ne jucunderis in Filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super illos, si non est timor DEI in illis. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores illorum; melior est enim unus timens DEUM, quàm mille Filij impij: & utile est mori sine Filiis, quàm relinquere Filios impios. Ab uno sensato inhabitabitur patria, à tribus impiorum deseretur.

Deut 4. v. 9. XI. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Docebis ea Filios ac Nepotes tuos.

Necessitas.

Prov. 22. v. 6. XII. Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.

Eccl. 30. v. 8. XIII. Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps.

Prov. 13. XIV. Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

Sapient. 1. XV. Sapientiam & disciplinam qui abjicit, infelix est: & vacua spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

Utilitas.

Prov. 10. XVI. Via vitæ custodienti disciplinam.

Eccl. 30. v. 2. XVII. Qui docet Filium suum, laudabitur in illo, & in medio Domesticorum in illo gloriabitur.

Prov. 29. v. 15. XVIII. Virga atque correptio tribuit Sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

Prov. 4. XIX. Tene disciplinam, ne dimittas eam. Custodi illam, quia illa est vita tua.

Prov. 3. XX. Disciplinam Domini, Fili mi, ne abjicias, nec deficias, cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi in Filio complacet sibi.

§. III

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Chrysost. ho. 9. ad Hebr. I. MAgnum depositum habent Parentes, Filios, si ingenti illos servent curâ, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eúmque viro fideli, magno cum studio tradimus, cæterùm quod nobis omnium carissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto Filium nostrum fideli cuipiam viro committamus, quò ipsius tueri ac servare pudicitiam possit. Et certè nullus fundus, nulla possessio æquè nobis carus ac gratus esse debet, quippe hæc omnia Filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quàm eorum, quorum illæ gratiâ comparantur, quod profectò absurdissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles Filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam siquidem improbi illi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt; sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur.

Idē ho. 77. II. Si magno fœnore argentum tibi esset collocatum in homine grato, nec impotenti, scio hujus te malle literas Liberis relinquere, ut ingentes inde capiant fructus, quàm pecuniam, ne cogerentur alios quærere, ubi tutò queant collocare. Da igitur Filiis tuis has literas, Deum sibi debitorem relinque: hoc chirographum, quod majores omnibus prædiis fructus reddere solet, relinquere Filiis recusas; magna certè id est dementia, præsertim cùm scias, quia quamvis hoc Filiis relictum sit chirographum, tamen & ipse abiens hinc tecum portas. Talia quippe sunt spiritualia, ut multis multiplicata satisfaciant.

S. August. ho. 50. sup. Ioann. III. Unusquisque Paterfamilias hoc non ignorat, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo & vita æterna: omnes moneat, doceat, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo temporale officium impleat ministrans Christo, ut sit æternum cum eo.

IV. Disciplina in duo dividitur, in correctionem & instructionem, quorum primum timore, secundum amore perficitur. *Idem l. de moribus Ecclesiæ.*

V. Ab omnibus libenter disce, quod nescis, quia humilitas tibi commune facere potest, quod natura facit commune. *S. Aug. in epist.*

VI. Adolescentia tanquam subacta & mollis cera est, quæ ipsa impressas in se formas quascunque facilè recipit, & mollissimè cedit; confestim igitur ab ipso initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debent. *S. Basil. in Reg. fus. interr. 15.*

VII. Cupitis Pueros optimis ornari moribus? necesse est, ut cum severitate disciplinæ, paternæ pietatis & mansuetudinis levamen eis impendatis. *S. Anselm. apud Surium in vita.*

VIII. Qui curam educationis negligunt, iis similes sunt, qui, cùm malè materiatam & ruinosam videant domum, ipsam quidem instaurare negligunt, amplos autem ei in circuitu hortos disponunt. Aut illis, qui quamvis morbo conficiantur, curâ tamen valetudinis neglectâ, aureas sibi vestes contexunt. *S. Chrysost. ho. 60. in Matth.*

Necessitas.

IX. Nullâ aliâ ratione perversi ut sint Filij, contingit, nisi quòd eorum Parentes circa vitæ præsentis commoda æquo ampliùs incumbunt, &, ferè dixerim, insaniunt. Cùm enim ista solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. *Idem l. 3. adversus vitup. monast. vit.*

X. Difficulter eradicatur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum nitorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, orbísque domitorem, & in moribus, & in incessu, Leonidis Pœdagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus. *S. Hier. in ep. ad Lætam.*

XI. Valdè perniciosè sentiet Filius Patris lenitatem, ut postea justè sentiat DEI severitatem. *S. Aug. in psal. 50.*

XII. Omnia, quæ dereliquerint Filij, de Parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos; hi enim Filiorum animos inextinguibili igni in interitum tradunt, & semetipsos in furorem judicij demergunt. *Origen. l. 2. in Iob.*

XIII. Hos ego Patres (correctionem negligentes) quod nemo tamen me commotiùs dicere, quàm veriùs existimet, parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim; illi enim corpus ab anima disséparant, isti & animam, & corpus ignibus æternis tradunt. Atque is, qui corpore occiditur, necessariò naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi conscivisset paterna negligentia. Prætetea corporis mortem superveniens protinus *S. Chrysost. l. 3. advers. vitup. vit. monast.*

nus resurrectionis gloria delere poterit facillimè; animæ verò interitum nihil salvare poterit, cùm sibi jam nulla reliqua sit salutis spes, verùm immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non injuriâ Parentes ejusmodi deteriores parricidis diximus.

Utilitas.

S. Bern. ep. 113. XIV. O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina. Cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum.

Dignitas.

S. Chrys. ho. 60. in Matth. XV. Nec consideramus, nullam artem hoc artificio sublimiorem inveniri. Quid enim majus, quàm animis moderari? quàm adolescentulorum mores fingere? omni certè Pictore ac Statuario, cæterisque ejusmodi excellentiorem eum dico, qui Juvenum mores fingere non ignoret.

Æquitas.

S. Chrys. ho. 20. op. imperf. XVI. Desiderant illos (Parentes suos Filios) valere in sæculo isto, & non curant, quid passuri sint in alio. Alij militias Filiis suis provident, alij honores, & nemo Filiis suis providet DEUM: perditionem illorum cum magno pretio comparant, & salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur, & suspirant: si autem viderint illos peccantes, nemo tristatur: ut ostendant, quia corporis sunt Parentes, & non animarum.

§. IV.

EXEMPLA.

Qualitas.

1. Paral. 28. v. 9. I. S. David, quàm bene educaverit Salomonem, in fine vitæ ostendit, quando eidem ad se vocato has doctrinas dedit: Tu autem, Salomon Fili mi, scito DEUM Patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.

Tob. c. 1. & 4. II. Tobias senior Filium suum ab infantia timere DEUM docuit, & abstinere ab omni peccato. Sed & circa finem vitæ quàmplurima salutaria præcepta illi dedit, uti loc. cit. videre est.

Dan. c. 13. v. 2. III. Susanna Filia Helciæ erat timens DEUM; parentes enim illius, cùm essent justi, erudierunt Filiam suam secundùm legem Moysi.

Surius 4. Maji. IV. S. Monica S. Augustinum Filium Mediolanum usque secuta est, & enixè laboravit, ut factâ cum S. Ambrosio consuetudine, ab eodem ad veram fidem reduceretur.

Vita S. Ludov. c. 94. V. Blanca S. Ludovici Francorum Regis Mater, peccati gravitatem ita Filio depingebat, ut is mallet leprâ infici, quàm unico peccato. Sed & illa dicere ei solebat: Malo, te videre vitâ privatum, quàm unum lethale peccatum perpetrantem.

Utilitas.

VI. Henricus quartus Galliæ Rex à Parentibus suis Colono educandus traditus est, ibique pecora agere, sudare, algere, &, dum per ætatem licuit, militiæ nomen dare jussus est, unde postea in tam præclarum Regem evasit. *Engelgr. Luc. p. 2. in Dom. 6. post Pasch.*

Damnum neglectæ educationis.

VII. S. Birgittæ olim visa est Mulier è caliginoso loco prodiens, sine corde, trunca labiis, naso exeso, oculis in genas propendentibus, exedentibus horrificis pectus vermibus, de Filia, tanquam si coram adesset, miserandum conquerens, quòd pessima Matris exempla & mores imitata, quoties peccat, novis auctibus pœnas illius adaugeat. *S. Birgitta revel. l. 6. c. 52.*

VIII. Alius quidam Vir sanctus, Angelo Duce vidit Patrem & Filium in mediis inferni ignibus mutuò se maledictis proscindentes. Maledicte Fili, ajebat Pater, quò me miseriarum adduxisti, justis, injustisque artibus utentem, ut te multarum opum haberem successorem. Cui ex adverso Filius: Quin imò huc me tua indulgentia, huc tui nimius amor ab religiosæ vitæ desiderio abstractum præcipitavit, detestande Parens. *Dionys. Carthus. de 4. noviss. a. 42.*

IX. Prætextata, jubente viro Hymetio, qui Patruus Eustochij Virginis fuit, habitum ejus, cultúmque mutavit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & Virginis propositum, & Matris desiderium, & ecce tibi, eâdem nocte cernit in somniis venire ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba spargentem: Túne ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput Virginis DEI tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata, quid feceris, & finito mense quinto ad inferna ducêris. Sin autem perseveraveris in scelere, & Marito simul orbaberis, & Filiis. Omnia per Ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. *S. Hier. ep. ad Laetam.*

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

I. Cornelia Gracchi Mater, cùm Campana Mulier ornamenta sua pretiosissima illi ostenderet, traxit eam sermone, donec liberi è scholis redirent, & tum iis ostensis, hæc, ait, ornamenta sunt mea, significans, nihil præferendum Filiorum educationi. *Plutarch.*

II. Alexander Magnus fatebatur, se plùs Aristoteli Præceptori, quàm Philippo Parenti obligatum esse, quòd ab hoc esse duntaxat, ab illo bene vivere accepisset. *Anonym.*

III. Cùm Respublica Atheniensis gravissimis vitiis scateret, & ideo Senatus consilium iniret, quâ ratione pristino vigori restitui posset; quidam putridum pomum in medium protulit, dixítque, illi Rempublicam similem esse; sed tamen sicuti ex granis hujus pomi terræ manda- *Engelgr. p. 2. Luc. Evang. in Dom. 6. post Pasch.*

tis frugiferæ plantæ excrescere possunt, ita non minorem fructum in Republica sperandum, si Iuventus velut semen è terra enatum singulari solertiâ excolatur.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Plutarch. in moral. I. Sicut agri non omnes fructiferi sunt, qui coluntur; ita non omnes animi eundem ex cultura fructum ferunt.

Iosephus Lang. in Polyanth. V. eod. II. Sicut gypso madido celerrimè utendum, quòd celerrimè siccetur: ita statim fingenda literis ac moribus ætas rudis, priùs quàm durior facta non admittat fingentis manum.

Ibid. V. Institutio. III. Sicut terræ non quæcunque semina injicimus, sed quæ utilem duntaxat fructum promittunt; ita neque Pueros disciplinis licet fallere, quæ tantùm decorum afferunt, sed quæ conducunt, & vitam potiùs, quàm linguam formant, & erudiunt.

Ibid. V. Educat. IV. Sicut rami & surculi naturâ pravi & tortuosi, nunquam redigi ad rigorem possunt, quamvis manu tractentur, & emolliantur, sed ad naturalem statim pravitatem recurrunt; sic ij, qui parùm honestè nati & educati sunt, continuò ad humum spectant, hoc est, vilissima ministeria adamant, nec in sublime animos attollunt, nec recti unquam, nec liberi sunt.

Necessitas.

Plutarch. in moral. V. Sicut nulla est arbor, quæ non sterilescat, ac tortuosa fiat, si cultura desit; ita nullum tam felix est ingenium, quod non degeneret citra tectam educationem.

Ibid. VI. Sicut nullus equus rectè sessori paret, nisi arte donutus; ita nullum ingenium non ferox, nisi præceptis cicuretur & educatione.

Ibid. VII. Sicut molli materiæ facilè sigillum imprimitur, duræ non item; ita puerorum ingenia, dum mollia sunt, excoli debent; sin autem ætate indurescant, vix recipient disciplinam.

Ibid. VIII. Sicut ager, nisi colatur, non solùm infrugifer manet, sed etiam silvestria germina producit; ita adolescentia rationis capax, nisi præceptis honestis exerceatur, non solùm non evadet bona, sed etiam ad multa vitia deflectet.

Thrivverus in apopht. IX. Sicut neque terra, quæ media æstate obduruit; neque quæ hyemis rigorem sensit, sed quæ ineunte vere aperitur, & adhuc mollescit, semen utiliter excipit; ita prima pueritia ad præceptiones imbibendas maximè idonea, atque adeò sedulò excolenda est.

Idem. X. Sicut terra, licet semel culta sit, iterum tamen suâpte naturâ exhorrescit, nisi iterum aratrum admoveatur, ac semen immittatur; ita licet Pueri à teneris unguiculis probè instituti sint, vitia tamen mox repullulant, nisi crebra admonitio & excitatio ad virtutem accedat.

Utilitas.

Plutarch. in moral. XI. Sicut nulla tam fera est bellua, quæ non mansuescat curâ; ita nullum tam agreste est ingenium, quod institutione non mitescat.

Plinius l. 8. c. 36. XII. Sicut Ursus informes gignit catulos, & lambendo format; ita rudem ingenij fœtum diutinâ curâ expoliri convenit.

Idem l. 17. c. 14. XIII. Sicut arbor per se infrugifera, tamen insitione discit ferre fructus; ita pravum ingenium institutione ad bonam frugem reduci potest.

Idem l. 18. c. 16. XIV. Sicut Fœnum Græcum, quo pejus tractatur, hoc provenit meliùs; ita liberi quidam, quantò habneris indulgentiùs, tantò minùs proficiunt: neglecti verò & vexati, in viros insignes evadunt.

Iucunditas.

Politian. l. 6. epist. XV. Sicut Agricola vehementer exultat, generosos fœtus ex arbore legens, quam suis quondam manibus conseverat, ac multâ curâ produxerat; ita Præceptores ac Parentes meritò gaudebunt, si mores intueantur eorum, quos à prima Pueritia bene, feliciterque formaverunt.

§. VII.

MEDIA.

Thrivverus in apopht. I. Gratia divina imploratio: ut enim licet Agricola aret, & seminet agrum, nihil tamen efficiet, nisi Solis influxus accedat; ita nisi DEUS per gratiæ suæ radios cooperetur, omnis institutio frustranea erit.

Boët. de schol. discipl. II. *Recta instituendi dispositio*: quæ juxta Boëtium in tribus consistit, in attentione, benevolentia, & docilitate, ut scilicet sit docilis ingenio, attentus exercitio, benevolus animo. Hinc & illi, qui equos instruere volunt, ante omnia rectè freno parere docent.

S. Greg. l. 20. moral. III. *Instituentis discreta directio*: nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, miscenda est lenitas cum severitate, & faciendum ex utraque quoddam temperamentum, ut nec multa asperitate exulcerentur Subditi, nec nimia lenitate solvantur. Hinc olim in area cum tabulis legem comprehendentibus manna & virga simul posita fuerant.

Plutarch. in moral. IV. *Vigilans custodia in removendis impedimentis*: ut enim Agricolæ vallos apponunt arbusculis, quò securius crescant, ita qui alios instituit, suâ custodiâ & vigilantiâ eos vallare debet.

§. VIII.

ASCETICA.

I. Quatuor præcipuè præcepta observare debet Asceta, qui vel alios instruere ipsemet, vel rectum instituendi modum docere cupit. Primum est, ut à moribus institutionem incipiat, uti jam olim monuit Seneca, dicens: Mores primùm, mox Sapientiam disce, quæ sine moribus malè discitur. *Senec. epist. 76.*

II. Alterum est, ut diligenter attendat, quæ maximè utilia sint futura illi, quem instituendum suscepit; ut enim nec terræ semina quæcunque injicimus, sed quorum capacem novimus; ita ipsa quoque institutio capacitati & fini instituendi accommodanda est.

III. Tet-

Plutarch. in moral. III. Tertium est, ut ex pluribus doctrinis optimæ quæque seligantur, & præ reliquis inculcentur; uti jam olim sapienter monuit Plutarchus, dicens: Ut plures urbes prænavigâsse pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam; ita quàm plurima sunt cognoscenda, sequenda, retinendáque optima.

IV. Quartum est, ut non mox cesset à cultura, si fructum non sequi advertat, sed potiùs Agricolarum exemplum ob oculos habeat, de quibus S. Jacobus dixit: *Jac. 5. v. 7.* Ecce Agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.

§. IX.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Socrat. ap. Erasm. in apopht. I. SOcrates dicebat, ingenuis & optimè natis evenire, quod equis ferocibus & generosæ indolis, qui, si à primis annis instituantur, egregij, & ad omnem usum accommodi evadunt; sin minùs, efferati, intractabiles, & ad nihilum utiles, eóque fit, ut felicissima quæque ingenia corrumpantur inscitiâ instituentium, qui mox equos vertunt in asinos, quòd erectis & liberis imperare nesciant.

Plutarch. in Lacon. II. Lycurgus, ut ostenderet Lacedæmoniis, quantùm in educatione positum sit, duos catulos, eodem Patre ac Matre genitos educavit, & alterum domi lautitiis vesci passus est, alterum venatione exercuit, postea verò ambos in forum produxit, & spinis simul, escisque propositis leporem emisit, quem cùm alter etiam per spinas invaderet, alter verò ad escas se converteret, subintulit Lycurgus, sic se rem cum educatione Juventutis habere, atque adeò, si bello aptam esse velint, non delicus, sed laboribus exercendam esse.

Laert. l. 2. c. 4. III. Aristippus quæsitus, quæ potissimum Adolescentibus discenda forent? quæ viris usui futura sunt, respondit.

Engelgr. in Dom. 6. post Pasch. §. 1. IV. Crates optabat in editam Civitatis speculam ascendere posse, & contentâ voce clamare: quò fertmini mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis; filiorum verò quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis?

Ibid. V. Joannis Gersonis Mater, ut Filium orationi assuefaceret, cùm merendæ aut jentaculi tempus instabat, eum in genua procumbere, atque à DEO nuces, castaneas, poma, & quæ optabat, postulare; quæ ipsa postea de superiori domûs parte occultè dejiciebat, ut è cælo data crederet Filius.

Necessitas.

Plutarch. in Solon. VI. Solon lege caverat, ne Parens à Filio subsidij aliquid exspectaret, quem in adolescentia nullâ arte instituisset, aut institui curâsset.

Plato l. 7. de leg. VII. Plato pronunciavit, nullum ex reliquis animantibus atrociùs fieri homine, atque efferatiùs, nisi tempestivis disciplinæ auxiliis mitigetur.

Utilitas.

VIII. Educatio & disciplina Virgæ Moysis similis est, de qua Cornelius à Lapide dixit: *Cornel. in c. 4. Exod.* Virga est disciplina, correctio & castigatio, quæ initio Pueris imperfectis horrida videtur, ut serpens; sed in fine, cùm ejus fructum experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam ac pastoralem; nam, ut ait Apostolus, *Hebr. 12. v. 11.* omnis disciplina in præsenti quidem videtur esse non gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatos per eam reddet justitiæ.

Seneca in prov. Philos. IX. Rectè pronuntiavit Seneca, debere Homines viaticum Senectutis literarum eruditione parare discendo, ne defecerint insipieno animo: Literas tanquam baculum infirmo corpori paratas esse, eundem finem esse discendi & vivendi.

Idem epist. 80. X. Quare, inquit idem, liberalibus Studiis Filios erudimus? non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem disponunt.

Idem de morib. XI. Educatio & disciplina mores facit; & illud sapit unusquisque, quod didicit. Hinc alibi dicebat idem Seneca, hanc educationem, maximam diligentiam, plurimúmque profuturam requirere; facile enim esse, teneros adhuc animos componere; difficulter autem recidi, quæ nobiscum creverunt.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Via vitæ, custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat:* *Prov. 10. v. 17.* potest ostendi, quomodo Parentes liberos suos rectè educare, triplicémque vitam dare debeant. 1. *Naturalem:* ita ut eandem etiam per convenientem necessariorum subministrationem conservent. 2. *Civilem:* ut bonis artibus & moribus imbuant. 3. *Spiritualem:* ut declinare à malo, & bonum facere, reliquáque boni Christiani officia rectè præstare discant. Quæ omnia ex hactenus dictis facilè fusiùs explicari possunt. Videri etiam potest Faber conc. 8. in Dom. 20. post Pentecost. n. 4.

II. Ex occasione thematis: *Uni dedit quinque talenta:* *Matth. 25. v. 15.* potest ostendere Concionator, quomodo Parentes Nicolai esse debeant, & quinque dona offerre, per quæ officia ad bonam educationem necessaria indicentur. Et 1. quidem *Imaginem*, quæ SS. Trinitatem & Sanctos repræsentet: ex qua meminerint, primam illorum curam esse debere, ut debitum DEO & Sanctis cultum præstare discant. 2. *Librum:* id est, ut in variis artibus eorum ingenio competentibus eos instruant. 3. *Vestem novam:* id est, ut decentem morum urbanitatem illis ingenerent. 4. *Poma, pyra, nuces:* id est, ut etiam necessaria ad vitæ sustentationem, & honestam recreationem liberaliter suppeditent. 5. *Virgam in apice aureas rosas continentem;* id est, ut suo tempore etiam moderatam correctio-

ctionem non omittant, utpote aureas rosas, seu multiplicem fructum parituras. Quæ omnia fusiùs diducta apud Fabrum conc. 4. in Festo S. Nicolai deduci possunt.

Matth. 7. v. 17. III. Ex occasione thematis: *Omnis arbor bona bonos fructus facit*: potest ostendi, quomodo quivis homo sit arbor, atque adeò Parentes liberos suos velut teneras arbusculas considerare, & educare debeant. 1. quidem curando, ut *bonam radicem sortiantur*, id est, timorem Domini, qui non tantùm Sapientiæ initium, sed omnium etiam aliarum actionum humanarum fundamentum esse debet. 2. *Stipiti alligando*: id est, committendo eos boni & rectitudinis amanti Instructori, à quo & ipsi rectitudinem in moribus & disciplinis hauriant. 3. *Sepe circumdando*: id est, arcendo malos socios, qui velut bestiæ vivunt, & ejusmodi arbusculis valde insidiantur. 4. *Frequenter irrigando*: id est, necessaria media ad vivendum & discendum suppeditando. 5. *Inutiles ramos præscindendo*: per correctionem discretam suo tempore adhibitam. 6. *Commendando illos Sanctis & DEO*: uti olim arbores in tutelam variorum Deorum erant commendatæ ab Ethnicis.

Hebr. 9. v. 4. IV. Ex occasione thematis: *In qua Urna aurea habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti*: potest dici, quòd Liberi sint velut tabernaculum, in quo DEUS multò libentius, quàm in Veteris Testamenti tabernaculo seu arca habitat, atque adeò hæc tria in illis ponenda. 1. *Tabulæ testamenti*: id est, timor DEI, & legis Divinæ observatio. 2. *Manna in aurea urna inclusum*: id est, liberalitas in rebus ad sustentationem & recreationem vitæ honestam necessariis offerendis, ex vera caritate profecta. 3. *Virga frondens*: id est, correctio discreta & fructuosa; quæ paulò fusiùs apud Engelgr. in Dom. 6. post Pascha §. 4. explicata videri possunt.

§. XI.

AUTHORES.

I. JOsephus Langius in Polyanthæa V. eodem. & V. Disciplina, Institutio.

II. Henricus Engelgrave p. 2. Lucis Evangelicæ in Dom. 6. post Pascha.

III. Matthias Faber conc. 4. in Festo S. Nicolai.

IV. Philippus D'Outreman in Pædag. Christ. p. 1. c. 6. §. 1. & 2.

V. Laurentius Beyrlinck. in Theatro Vitæ humanæ. V. eodem.

TITULUS XV.

FAMA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



Est inveterata in hominum mentibus de quopiam opinio. Unde aliqui à fando dictam putant. Differt autem à rumore, quòd hic de facto adhuc recenti exoriatur, non item fama.

Divisio.

II. Dividitur in *bonam* & *malam*: illa est, quæ ex laudabilibus factis oritur; hæc, quæ ex
1. Reg. 2. v. 24. malis facinoribus generatur; qualis erat Filiorum Heli, de qua ipse dicebat: Nolite Filij mei; non enim est bona fama, quam audio.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Necessitas.

1. Tim. 3. v. 7. I. OPortet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli.

1. Petr. 2. v. 11. II. Carissimi, obsecro vos, tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent DEUM in die visitationis.

III. Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe, sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Ib. c. 3. v. 15.

IV. Providentes bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus. Rom. 12. v. 17.

Utilitas.

V. Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni. Eccl. 41. v. 15.

VI. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æternum. Ib. v. 16.

VII. Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa. Prov. 15. v. 30.

VIII. Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super aurum & argentum gratia bona. Prov. 22. v. 1.

IX. Oleum

Cant. 1. v. 2. IX. Oleum effusum nomen tuum (id est, fama tua, ut habet Chaldaica paraphrasis sic loquens: A voce miraculorum tuorum & potentiæ commoti sunt omnes Populi, qui audierunt famam potentiæ tuæ: & Nomen sanctum tuum auditum est in universa terra, quod electum est magis, quàm oleum, quo unguntur capita Regum & Sacerdotum.)

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Necessitas.

S. August. de bono viduit. I. Quisquis à criminibus flagitiorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in alios est misericors; nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.

Idem de doctrin. Christ. II. Sic Doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam.

S. Hier. in c. 4. Matt. III. Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent Auditoribus; nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri Sacerdotis non commendatur.

S. Greg. ho. 9. sup. Ezech. IV. Hi, quorum vita in exemplo posita est imitationis, debent, si possunt, detrahentium verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant.

S. Aug. in serm. V. Qui confidens conscientiæ negligit famam, crudelis est, quia aliorum animas occidit.

S. Hier. ep. 14. ad Celant. VI. Apostolici præcepti & exempli est, ut habeamus rationem non tantùm conscientiæ, sed etiam famæ.

Utilitas.

Cassiod. l. 1. ep. 23. VII. Hoc naturæ thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus.

Idem l. 1. ep. 3. VIII. Inclyti animi signum est, famæ diligere commodum, & lucra causarum negligere; nam qui affectat famæ suæ commodum, pecuniæ negligit augmentum.

Idem l. 1. ep. 5. IX. Ubique cognoscitur, quisquis famâ teste laudatur.

Isidor Pelusiota. l. 3. ep. 145. X. Bonâ famâ nihil est præstantius, ac melius, nec Crœsi thesauros quisquam cum ea comparaverit. Tales enim esse censemur, qualis famæ cujusque est, huic aures intenduntur, & oculi. Meliùs omnibus, quàm singulis creditur, singuli enim decipere, & decipi possunt, nemo omnes, neminem universi fefellerunt.

§. IV.
EXEMPLA.

Io. 8. v. 54. Io. 18. v. 23. I. Christus ipse famam suam defendit, cùm dixit: Ego Dæmonium non habeo. Et iterum: Si bene locutus sum, cur me cædis? si malè, testimonium fer de malo.

2. Cor. 2. v. 14. II. S. Paulus de seipso dicit: DEO autem gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus.

S. Athan. in vit. III. S. Antonius pro Arriano proclamatus, ut hanc infamiam à se repelleret, relictâ eremi solitudine, Alexandriam usque descendit, & publicè Arrianam hæresin detestatus, Catholicámque fidem professus est.

Laneia. epist. ep. 7. IV. S. Basilius ambitionis & hæresis notam à Neocæsariensibus sibi inustam, per Epistolas & publicam orationem habitam abolere conatus est. Idem S. Augustinus de Pelagiana hæresi accusatus fecit. Imò S. Laurentius Justin. dicere ausus est: Quis Sanctorum ad profectum cæterorum, famam suam neglexisse cognoscitur?

Judith. 8. v. 8. V. Judith in omnibus erat famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.

2. Mach. 6. v. 24. VI. Eleazar ab Antiocho ad carnes porcinas comedendas instigatus, cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à Puero optimæ conversationis actus, & secundùm sanctæ & à DEO conditæ legis constituta, respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum, non enim ætati nostræ dignum est fingere.

§. V.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Plutarch. in moral. I. Sicut ignis semel accensus facilè servatur, extinctus haud facilè reaccenditur; ita famam tueri facile est, extinctam reparare difficillimum.

Seneca apud Lang. V. eod. II. Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur corpus; ita quibusdam statim contingit fama, quibusdam post mortem; denique ea, quò longiùs sequitur, hoc major esse solet.

Anonym. in simil. III. Sicut aromata tum vehementius fragrant, cùm teruntur, aut franguntur; ita virtutis fama latiùs spargitur, cùm exercetur negotiis & rebus adversis.

Idem. IV. Sicut ingentes obelisci magno quidem labore statuuntur, sed semel collocati infinitis durant sæculis; ita arduum est, virtutis aut sapientiæ parare famam, sed parata nunquam intermoritur.

Necessitas.

Fab. conc. 6. in Festo SS Petri & Pauli. n. 1. V. Sicut fœtor extinctæ candelæ de sævo, offendit nares; sic fama perdita tetrum gignit odorem hominibus, bonos offendit, & scandalizat, & malos in malo firmiores facit.

Utilitas.

Ibid. VI. Sicut columbæ balsamo delibutæ alias alliciunt, & secum in columbarium deducunt; ita qui bonæ famæ odorem habet, alios ad virtutem amandam allicit juxta illud Apostoli: Christi bonus odor sumus DEO in iis, qui salvi fiunt.

Ibid. VII. Sicut cortex, licet vilior sit arbore vel nucleo, conservat tamen illas, quò minùs corrumpantur; ita bona fama, licet minùs bonum sit, quàm virtus, virtuosam tamen & honestam vitam conservat.

Ibid. VIII. Sicut qui vestem novam gerit, non in quovis loco considet, sed tali duntaxat, qui vestem maculare non credatur; ita qui bonum nomen habet, cavet, ne ejusmodi actiones committat, per quas macula suæ famæ inuratur.

§. VI.

MOTIVA
Ad famam conservandam.

Matth. 5. v. 16. I. Quia DEUM glorificat: hinc Christus Apostolis dixit: Sic luceat lux vestra (id est, vita bona) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

S. Aug. se. de vita comm. Cler. II. *Quia proximum ædificat:* hinc S. Augustinus dixit: Duæ res sunt, conscientia, & fama: conscientia tibi, fama proximo necessaria est.

III. *Quia nos ipsos à malo retrahit, & ad bonum continuandum & augendum excitat:* sicut Principes vel Reges memores suæ dignitatis, dedignantur scurris se miscere, sed potiùs gravitatem morésque statu suo dignos assumere nituntur.

§. VII.

MEDIA
Ad eandem.

L. 1. de imit. c. 8. §. 2. I. *Rara cum hominibus conversatio:* nam, ut rectè advertit Thomas Kempensis, quandóque accidit, ut Persona ignota ex bona fama lucescat, cujus tamen præsentia oculos intuentium offuscat.

Stob. f. 5. II. *Cauta & moderata locutio:* hinc Epictetus rogatus, quo pacto quis bonam famam assequi queat? respondit: Si vis bene audire, discito bene loqui; & cùm bene loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam assequêris. In eundem sensum Agesilaus respondit: Si loquatur, quæ sunt optima: & faciat, quæ sunt honestissima.

Plutarch. in Lacon. III. *Studium bonæ vitæ:* ita Socrates docuit, dum quæsitus, quo pacto quis honestam famam assequi possit? respondit: Si talis esse studeas, qualis haberi velis.

§. VIII.

ASCETICA.

I. Tria sunt præcipuè, quæ Asceta de hac materia bene observare debet. Primum est, ut non persuadeat sibi, posse facilè quempiam apud omnes homines bonam famam obtinere; nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, fieri non potest, ut, qui virtutibus dediti sunt, ab omnibus audiant semper bene: & illud præterea, ne virtutis curam agentibus viris multi ubique detractores insurgant. Bona enim apud omnes fama, signum certè vel maximum est, haud multam tanè virtutis habere rationem. Quomodo enim à cunctis laudetur, si quis affectos injuriâ homines ab improbis eripere studeat? Rursus verò si peccatores castigare, justos laudare velit, ut par est, laudabit hos quidem, vituperabit illos? ita qui virtutis exquisitus imitator esse voluerit, nec ullius præterea, nisi laudem DEI quærere, is ab omnibus laudari, & bene semper audire nullo modo poterit; quippe in virtutem multa ubique vitij congelascit insania.

S. Chrys. hom. de verr. & vit.

II. Alterum est, ut sciat, quando fama sit defendenda, nimirum in duobus præcipuè casibus. 1. Quando quis à Superiore jubetur, rei alicujus gestæ seriem, prout se habet, narrare. Sic S. Dorotheus docuit his verbis: Si audieris dici, te fecisse aliquid, quod non feceris &c. & interrogatus fueris, verúmne sit, quod fecisse diceris, rem omnem ordine suo cum veritate manifesta. 2. Si infamatio rectæ administrationi muneris, aut Ordini, aut Domicilio, vel Communitati, aut etiam privato cuipiam noceret. Sic enim S. Bonaventura monuit, dicens: Si veræ criminationes objectæ, & non purgatæ, possent alios scandalizare, tum humiliter indicandum paucis verbis & modestis, quòd non sis tibi conscius eorum, de quibus accusaris. S. Bonav. de infor. Novit. p. 1. c. 6.

III. Tertium est, ut sciat, quomodo famam suam defendere debeat, videlicet, ut, cùm amor nostri inordinatus offuscet rationem, fugerátque, damnum ex nostri infamatione alius oriturum esse, præmissâ priùs oratione, se quis in æquilibrio, imò potiùs ad silentium, quàm ad defensionem constituat, & tum à Superiore vel Confessario consilium petat, &, quod hi suaserint, exequatur.

§. IX.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Quantas vires habeat famæ desiderium, ostendit is, qui Dianæ Ephesiæ templum incendit, ut nomen ejus in orbe viveret. Beyrlinck in apophth.

II. Pausanias, cùm Hermoclem percontatus, quonam modo clarus evadere subitò posset? audivisset, id obtenturum, si virum illustrem occideret, continuò Philippum interemit. Idem text. in Festo SS. Petri & Pauli.

Ibid. III. Hieronymus Olgiatus occiso Galeatio Sfortia Mediolanensium Duce, rogatus, quomodo tantum scelus perpetrare potuisset? solo desiderio famæ, respondit. Imò cùm jam tormenta adhiberentur, paululùm se recolligens, age, inquiebat, Hieronyme, stabit vetus memoria tui facti: mors acerba, fama perpetua.

Utilitas.

Ibid. IV. Plato rogatus, ecquod futurum esset ipsius monumentum? primùm, respondit, nomen parandum; ita monumenta futura sunt multa.

V. Anti-

Ibid. V. Antisthenes iis, qui solam immortalitatem appeterent, viam ad hanc dixit esse bonum nomen, quam Bias Matrem annorum dixit.

Ibid. VI. Seneca dixit, honestum rumorem, alterum esse patrimonium.

Plaut. act. Trin. VII. Non imperitè cecinit Plautus:
Ut fama est homini, exinde solet pecuniam invenire:
Ego si bonam famam mihi servâsso, sat ero dives.

Plutarch. VIII. Demetrius Phalereus Atheniensium Præfectus, cùm in exilium fugere compulsus, audivisset trecentas illas statuas, quas ei Athenienses ob præclara facta exstruxerant, ex invidia dejectas, & in matulas per ignominiam conflatas esse, subridens dixit: Statuas quidem evertere invidi potuerunt, virtutes autem & præclara gesta, quibus præmia imagines illæ exstiterunt, nunquam abolere poterunt.

Necessitas.

IX. Hanc satis indicavit, qui dixit: Omnia si perdas, famam servare memento. *Anonym.*

X. Nec malè Cicero dixit, negligere, quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis, sed etiam omnino dissoluti esse. *Cicero l. 1. de offic.*

§. X.

AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius opusc. 9. c. 7.
II. Matthias Faber conc. 6. in Festo SS. Petri & Pauli.
III. Laurentius Beyrlinck text. 1. in Festo SS. Petri & Pauli.
IV. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.
V. Petrus Besseus in Dom. 9. post Pentec.

TITULUS XVI.

FELICITAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



Arist. l. 7. polit. Est virtutis operatio, & usus perfectus, secundùm Aristotelem. Vel est id, quod vitam sufficientem, stabilem, ac nullius indigam præstat. S. Ambrosius dixit, beatam vitam consistere in altitudine Sapientiæ, suavitate Conscientiæ, virtutis sublimitate. *S. Ambr. de offic.*

Divisio.

Granat. in loc. comm. f. 565. II. Ludovicus Granatensis triplicem distinguit felicitatem, *Mundanorum*, qui student omnibus bonis sæculi affluere: *Philosophorum*, qui in contemptu terrenorum bonorum felicitatem ponunt. Unde Seneca dixit, eum, qui desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendere. *Christianorum*: qui in perfecta DEI per amorem fruitione felicitatem suam quærunt, juxta illud Davidis: Beatum dixerunt Populum, cui hæc sunt; beatus Populus, cujus Dominus DEUS ejus. Sed priores duæ sunt minùs propriæ felicitates, ut ex definitione patet. *Ps. 143. v. 15.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Eccl. 31. v. 8. I. Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris; quis est hic, & laudabimus eum?

Ps. 32. v. 12. II. Beata gens, cujus est Dominus DEUS ejus.

III. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Is. 3. v. 12.*

IV. Beatum dixerunt Populum, cui hæc sunt: beatus Populus, cujus Dominus DEUS ejus. *Ps. 143. v. 15.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. Amant homines res diversas, &, quando quisque, quod amat, habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix est, non si id habet, quod amat; sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quàm carendo; amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Et propitius DEUS, cùm malè amamus, negat, quod amamus; iratus autem dat amanti, quod malè amat. *S. Aug. sup. psal. 26.*

II. Hoc scio, Domine DEUS meus, quia ubicunque sine te, malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed etiam in meipso, quia omnis copia, quæ DEUS non est, egestas est mihi. *Idem in medit.*

III. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid meliùs habituram. Versa, & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies; & ecce ades. *Idem conf. l. 6.*

IV. Ad imaginem DEI facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim DEI, quidquid DEO minus est, non implebit. *S. Bern. de Dedic.*

V. Nulla te fruitur anima cum libertate, nisi quâ fruitur cum securitate; nemo autem securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. *S. Aug. de lib. arbitr.*

Idem f. 29. sup. Matth. VI. Ideo DEUS felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax.

Idem in Psal. 118. VII. Beatum esse tam magnum est bonum, ut hoc & boni velint & mali. Nec mirum est, quòd boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quòd etiam mali propterea sunt mali, ut sint boni.

§. IV.

EXEMPLA.

Ps. 76. v. 4. *Ps. 36. v. 4.* I. S. David, in quo poneret felicitatem suam, ipse indicavit, dum dixit: Renuit coosolari anima mea, memor fui DEI, & delectatus sum. Et iterum: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Eccles. 2. v. 10. II. Salomon, postquam nihil negâsset oculis, nec prohibuisset cor suum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaverat, vidit tamen in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.

Maralus l. 3. c. 3. III. S. Ambrosius, cùm apud divitem quendam Hospitem divertisset, & ille se nihil in vita adversi passum esse jactaret, è vestigio cum suis recessit, dixitque, se discedere, ne cum homine perpetuis prosperitatibus uso statim periret. Vixque recesserat, & ecce totum Hospitium cum omnibus Incolis vident hiatu terræ absorptum.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Ariston apud Stob. f. 101. I. Sicut nihil juvat ægrum lectus, quem pedes aurei fulciunt; sic neque stultum felicitas externa.

Philo Iud. in lib. quod deter. potiori insidietur. II. Sicut nec ignis, nec terra, nec aliud, quod ex elementis Mundum cōstituit, sed omnia simul; ita felicitas quoque nec in corporis, nec in animæ solius bonis consistit, sed in congerie utrorumque.

Seneca in moral. III. Sicut Histrio non est felicior, quòd in scenis adornatus, Rex aut DEUS videatur; sic nec homo Fortunæ muneribus felix censeri potest, cùm omnia non propria, sed aliena sint.

S. Aug. de lib. arbit. IV. Sicut tota vita corporis, anima est; sic beata vita animæ, DEUS est.

Granat. loc. com. f. 858. V. Sicut Materia prima, quia potentia est, semper appetit, quod habere nata est; ita cor hominis, quia omnium bonorum capax est, semper ad ea, quibus caret, inhiat, sempérque odio præsentium, & cupiditate futurorum laborat.

Ibid. VI. Sicut unus Sol magis, quàm omnia cæli luminaria mundum illuminat; ita unius DEI possessio magis satiat, quàm si omnes res creatas quis possideret.

Ibid. f. 859. VII. Sicut Pueruli, cùm à Parentibus aliquò mittuntur, spectaculis rerum occurrentium occupati, omittunt id facere, propter quod missi sunt; ita multi homines rerum humanarum pulchritudine capti, finis, ob quem in hunc mundum missi sunt, obliviscuntur.

VIII. Sicut vas triangulare à globo penitus repleri non potest; ita cor humanum triangulare per totum globum mundi satiari non potest, sed per solam SS. Trinitatem, ad quam capiendam factum est, repleri potest. *Anonym.*

IX. Sicut ossa humana, si in loco sibi à DEO præfixo manent, dolorem non incutiunt; secus verò, si extra hunc locum violenter moveantur; ita cor hominis in DEO velut centro suo quiescit; extra illum verò irrequietis motibus agitatur. *Ibid. f. 858.*

§. VI.

ASCETICA.

I. Tria de Felicitate præcipuè bene nôsse debet Asceta. Primum est, ut certò sibi persuadeat, felicitatem in summi boni possessione consistere, atque adeò in nulla re creata felicitatem objectivam hominis constitui posse, cùm omnis talis res finita sit, ac proin capacitatem appetitûs humani explere non queat. Solus ergò DEUS felicitas objectiva dici potest, ac debet. *Lessius l. 1. de summo bono c. 8.*

II. Alterum est, ut pariter sibi persuadeat, hujus boni possessionem non aliter, quàm per unionem moralem seu amorem fieri posse; per hunc enim amorem conjungit se homo cum summo bono, atque adeò ipso, quo modo fieri potest ordinariâ viâ, fruitur.

III. Tertium est, ut sciat, hunc amorem duplicem esse, affectivum scilicet, & effectivum, per quorum priorem gratulatur homo DEO suum esse, gaudétque ipsum esse summum bonum, quod ab omnibus jure meritò appetatur; per posteriorem verò omnia, quæ vel intra se, vel extra se agit, ad hujus summi boni seu DEI majorem gloriam & beneplacitum ordinat.

§. VII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Thales interrogatus, quis esset felix? respondit, qui corpore sanus, & animo eruditus seu castigatus est; cupiditates enim animi morbi sunt. *Laërt. l. 1. c. 1.*

II. Diogenes veram felicitatem dicebat, quæ faceret, ut mens & anima in perpetua tranquillitate, hilaritatéque collocaretur. *Stob. f. 101.*

III. Socrates quærenti, quid esset felicitas? Voluptas, respondit, quam nulla pœnitudo sequitur. *Ibid.*

IV. Antisthenes rogatus, quid esset mortalibus beatissimum? felicem mori, respondit. *Laërt. l. 6. c. 1.*

V. Jamblichus felicem esse dicebat, qui DEO, quatenus fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus, & separatus ab humana vita. *Stob. f. 102.*

VI. Nil beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget, sed seipsa contenta est. *Arist. l. 10. Eth. c. 6.*

VII. Omnis

Ib. c. 8. VII. Omnis est Deorum beata vita, hominum autem, quatenus in ea elucet quoddam actionis ejus exemplar.

Senec. ep. 45. VIII. Scito, eum non boonum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed illum, cui bonum omoe in animo est, erectum & mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatum velit, qui hominem eâ solùm parte æstimat, quâ homo est, qui naturâ Magistrâ utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa præscripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit.

Cicero 5. Tuscul. IX. Nisi stabili & fixo, & permanente bono, beatus esse nemo potest; nihil enim inveterascere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, quæ in vita beata consistunt, nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit.

X. Solon dicere solebat, neminem ante mortem beatum dici posse; solam enim hanc ostendere, qualis unusquisque fuerit, dum vixit. *Plutarch. in graec. apopht.*

§. VIII.

AUTHORES.

I. Leonardus Lessius de summo bono.
II. Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 853.
III. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eod. & V. Beatitudo.
IV. Laurentius Beyrlinck. V. eod.

TITVLVS XVII.

FERVOR.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Eccl. 33. v. 23. EST ardens & efficax desiderium vocationi suæ perfectè satisfaciendi. Huc enim respexit Siracides, dum dixit: In omnibus operibus tuis præcellens esto: ne dederis maculam (per socordiam & teporem) in gloria tua.

Divisio.

Vita P. Balthas. Alv. c. 33. II. Duplex est fervor, juxta Ludovicum de Poote: Alter, inquit, est juvenum Tyronum, qui ollarum instar ad magnom ignem appositarum vehementer fervent, &, quod intus habent, strepitu quodam exteriùs effundunt. Alter est fervor gravis hominum perfectiorum, sobstantialis planè & pacatus, instar alicujus ollæ ad moderatum ignem ferventis, meliùsque coquentis, quòd continet, qui fervor etiam est diuturnior.

Actus.

III. Sunt ijdem ferè, qui in olla aquis plenâ & fervente repetiuntur. Primus est *caloris intensio*, per quem significatur ardens caritas, solum DEI beneplacitum per purissimam intentionem quærens.

IV. *Majoris spatij occupatio:* per quam intelligitur applicatio prompta animi ad ardua quævis objecta, quæ ad majorem DEI gloriam, proximique salutem promoveodam magis idonea videntur, de qua Thomas Kemp. dicit: *Thom. Kemp. l. 3. c. 5.* Amor JESU oobilis (id est, fervens) ad magna operanda impellit, & ad desideranda semper perfectiora excitat. Modum sæpe nescit, sed super omnem modum fervescit. Valet ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, ubi non amans deficit, & jacet.

V. *Elevatio aquæ in altum contra naturam:* per quam significatur violentia, quam sibi ipsi fervens Religiosus infert in difficultatibus, inter operandum occurrentibus; nam, ut idem Author ait, oportet amantem (ferventer) omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

I. JUstorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem. *Prov. 4. v. 18.*

II. In omnibus operibus tuis præcellens esto: nec des maculam in gloria tua. *Eccl. 33. v. 23.*

III. Æmulamini charismata meliora: Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. *1. Cor. 12. v. 31.*

IV. Sollicitudine non pigri, spiritu ferveotes, Domino servientes. *Rom. 12. v. 11.*

V. Surge (per pœnitentiam) propera (per fervorem) amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. *Cant. 2. v. 10.*

VI. Et animaliâ ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (propter promptitudinem & fervorem in mandatis DEI perficiendis. *Ezech. 1. v. 14.*

VII. Et factus est (fervor seo Zelus) in corde meo, sicut ignis exæstuans, clausúsque in ossibus meis, & defeci, ferre noo sustinens. *Ierem. 20. v. 9.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. AFfectus tuus nomen imponit operi tuo; quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Vides, quàm moralem Judicem te habeas, te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam priùs interrogat. *S. Ambros. l. 1. offic. c. 30.*

II. Non omnes uniformiter gradiuntur ad DEUM. Quidam passu, sicut ij, qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, ut Domini recordentur. Quidam modesto in- *S. Bern. in lib. sentent.*

cessu, sicut hi, qui Domini servitio mancipati, DEO quidem serviunt, & tamen erga seipsos indiligentiores existunt. Alij veloci, id est, rapido cursu, sicut ij, qui super carne sua intuentes, & se, & transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad DEUM.

Necessitas.

S. Chrysost. ho. 31. ad popul. III. Magnum quoddam est, Carissimi, generosus & ingens animus, & propterea promptitudine nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito, alioqui non licet, nisi cruci confixum, regnum assequi, ne nosmetipsos fallamus.

Utilitas.

S. Bern. s. 13. in Cant. IV. Quæ amat ardentiùs, currit velociùs, & citiùs pervenit, perveniens non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur: sine mora aperitur ei tanquam domesticæ, tanquam carissimæ, tanquam specialiter dilectæ, & singulariter gratæ.

S. Ign. in epist. ad Lusitanos. V. Fovete semper in sinu vestri cordis vividum quendam, sanctúmque fervorem, ad quosvis pro virtute exantlandos labores, quia rarum aliquod & eximium facinus antecellit sexcentis vulgaribus, minutisque. Ad quem enim virtutis gradum piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat.

Cassianus ... ad Mon. VI. Ubi viderit DEUS devotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum, &, quantùm nos addiderimus ad studium, tantùm ille apponet ad adjutorium: quantùm nos apposuerimus ad diligentiam, tantùm ille addet ad gloriam.

S. Diadochus c. 77. VII. Secundùm proportionem (& fervorem) progressûs animæ, donum DEI bonitatem suam menti patefacit.

S. Ambr. l. 1. de Cain c. 3. VIII. Non est satis rectè facere, nisi etiam maturare adjicias, quod facis; uberiores fructus habet celerata devotio.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 1. c. 11. §. 5. I. FErvor & profectus noster quotidie deberet crescere; sed nunc pro magno videtur, si quis primi fervoris partem possit retinere.

Ib. §. 6. II. O si adverteres, quantam tibi pacem, & aliis lætitiam faceres, teipsum bene habendo, puto, quòd sollicitior esses ad profectum spiritualem.

L. 1. c. 15. III. Magis DEUS pensat, ex quanto quis agit, quàm opus, quod facit.

L. 1. c. 18. §. 5. IV. O quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ institutionis fuit!

L. 1. c. 19. §. 6. V. Circa principalia festa, renovanda sunt bona exercitia, & Sanctorum suffragia ferventiùs imploranda.

L. 1. c. 25. §. 7. VI. Religiosus fervidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jubentur.

Ibid. §. 11. VII. Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & sentiens leviorem laborem propter DEI gratiam & virtutis amorem.

§. V.

EXEMPLA.

1. Paralip. 29. v. 2. I. S. David, quanto fervore cultum DEI promovere studuerit, ipse testatus est, dicens: Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus DEI mei.

Maff. l. 3. c. 12. II. S. Ignatius Loyola adeò ferventer orabat, ut, quoties orare inciperet, mox toto quasi vultu ignesceret. Imò ob nimium sæpe fervorem post missam in morbum incideret.

Vita. III. B. Stanislaus Koska judicio Medicorum ex solo amoris fervore mortuus est, cùm febricula tertiana vix bis aut ter ipsum aggressa, naturaliter mortem ei afferre non potuerit.

Vide plura titulo Caritas.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Beyrlinck, tom. 1. in festo Visitat. I. SIcut iter agentes locum insidiis & periculis famosum citatis equis prætervolant; ita ferventes, quia viam virtutis arduam, & ab inimicis obsessam nôrunt, magno fervore decurrunt.

Ibid. II. Sicut in equis militaribus ea facilitas, quâ freno parent, potissimùm laudatur; ita in servis DEI præ reliquis DEO placet velocitas & promptitudo mandatis illius obsequendi.

Necessitas.

Rodriq. p. 2. t. 8. tr. 1. III. Sicut si arcus vel ballista remissa est, dioptram uno palmo altiùs ad scopum dirigere oportet; ita cùm & mens nostra remissa sit, necesse est, ut altiùs conatus nostros intendamus, quò vel sic scopum assequamur.

Utilitas.

Vita PP. l. 3. c. 39. n. 3. IV. Sicut ad accensam ollam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insident in eam, & faciunt vermes; ita & Monachum succensum igne divini Spiritûs, dæmones fugiunt, tepidum verò illudunt, & insequuntur.

S. Chrysost. ho. 28. in Genes. V. Sicut is, qui visibilem cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, etiamsi sæpius in illum incidat; sed animo ad cursum intento facilè omnia transit, festinans ad destinatum Scopum; eodem modo qui, ut virtutis cursum curat, festinat, & à terra ad cœlum redire concupiscit, omnia, quæ videntur, deorsum derelinquit, donec veniat in verticem.

Beyrl. l. c. VI. Sicut ea, quæ à magnete tacta sunt, non quiescunt, donec septentrionali sideri opponantur; sic quorum corda Christus velut magnes spiritualis tetigit, non quiescunt, donec ipsi per amorem & fervorem adhæreant.

Theodoretus orat. de carit. VII. Sicut ignis, quò plùs accipit nutrimenti, eò majorem accipit remunerationem; cùm enim accessione materiæ augetur, non obtunditur; ita DEI dilectio accenditur divinarum rerum contemplatione, & operationem hinc suscipit majorem & vehementiorem; & quò magis in rebus Domini versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.

§. VII.

§. VII.

MOTIVA

S. Bern. I. CAritatis DEI erga nos magnitudo; de qua rectè & breviter dixit S. Bernardus: amat caritas, amat immensitas, & nos vicem rependimus eum mensura.

S. Ign. in const. II. Ejusdem DEI erga fideles servos liberalitas: de qua S. P. Ignatius in Constitutionibus rectè dixit: Et universim, quò liberaliores nos erga DEUM ostenderimus, eò ipsum quoque erga nos liberaliorem experiemur.

Eccles. 9. v. 10. III. Vitæ brevitas: quis enim pauper, si unico die thesaurus ipsi regius aperiretur, cum facultate, quantùm vellet, exportandi, non summum in exportandis & colligendis pecuniis conatum & fervorem adhiberet? Meritò ergo Salomon monet: Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

IV. Jucunditas, quam experiuntur ferventer DEO servientes: nam vincentibus (socordiam & teporem) datur manna absconditum cælestium consolationum, ut omnia etiam difficilia cum magna facilitate & lætitia exequantur.

§. VIII.

MEDIA.

I. MEditatio motivorum ad fervorem excitantium: in hac enim meditatione exardescet ignis fervoris.

B. 1. c. 21. §. 5. II. Mortis incerta cogitatio: de qua rectè pius Author dixit: Si frequentiùs de morte tua, quàm de longitudine vitæ cogitares, non dubium, quin ferventiùs te emendares.

S. Ign. in ep. ad Lus. fis. III. Sæcularium terrenas & perituras divitias & honores quærentium fervor: de quo S. Ignatius Lusitanis Fratribus sic scripsit: Nolite pati, ut hujus sæculi homines plùs laborum & molestiarum suscipiant, in conquirendis studiosè voluptatibus ac rebus caducis, quàm vos in cœlestibus ac divinis comparandis: pudeat, illos majori operâ eniti ad aucupandam gratiam Principis mortalis, quàm vos laboretis ad amicitiam cum æterno Rege conjungendam.

B. 3. c. 47. §. 2. IV. Præmij cælestis magnitudo considerata: uti suasit libellus de imitatione his verbis: Age, quod agis: fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace ora, sustine viriliter contraria: digna est his omnibus & majoribus prælis vita æterna.

§. IX.

ASCETICA.

I. TRia sunt præcipuè, quæ Asceta de hac materia bene observare debet. Primum est, ut bene cognoscat, & æstimet fervoris hujus pretium, nempe quòd sit proprium indicium fidelis & DEUM sincerè amantis servi, uti rectè advertit S. Climacus, dum quærens, quis est fidelis & prudens Monachus? respondet: Qui fervorem suum servat inextinguibilem, & in dies usque ad finem vitæ suæ ignem igni adjiceret, fervorem fervori, desiderium desiderio, & studium studio nunquam desijt. (S. Climac. grad. 1.)

II. Alterum est, ut sciat, in quibus rebus potissimùm suum fervorem ostendere debeat, videlicet in actionibus suis quotidianis rectè obeundis, in victoria sui, in rebus adversis generosè supportandis, & minimis rebus eligendis & cupidè amplectendis, uti sapienter advertit S. Maria Magdalena de Pazzis, ut quæ suas Moniales assiduò hortabatur, ne curarent res magnas facere in apparentia (uti sunt disciplinæ, jejunia, vigiliæ, humicubationes) quia in his dicebat occultari superbiam periculosam animæ, sed potiùs facerent res minimas, quæ tamen magnæ fiant & sublimes per ordinationem earum ad altum finem, rectâ intentione, quia talibus valde delectatur DEUS, & sunt absconditæ ab Adversario. (Vita p. 4. c. 81.)

III. Tertium est, ut sciat hunc fervorem per religiosam & prudentem discretionem moderari, ne per excessum illius corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, DEO honor subtrahatur, ut rectè alicubi S. Bernardus notavit. Quare illud S. Spiritûs monitum semper ob oculos habendum: Mel invenisti? comede, quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud. uti contigit illis, qui, ut Thomas Kempensis loquitur, incautè propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt, quia plùs agere voluerunt, quàm potuerunt, non pensantes suæ parvitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quàm rationis judicium. Et quia majora præsumpserunt, quàm DEO placitum fuit, idcirco gratiam (devotionis) citò perdiderunt. Facti sunt inopes, & viles relicti, qui in cœlum posuerunt nidum sibi, ut humiliati & depauperati discant non in alis suis volare, sed sub pennis meis sperare.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. S. Ignatius Loyola devotionem & fervorem, qui sine alteratione corporis concipitur, devotionem Angelicam vocabat, eò quòd ejusmodi Personæ sicut Angeli sine corporis inflammatione DEUM laudent, & ament. DEUS Pater autem S. Catharinæ Senensi dixit, hoc esse sextum genus ignitarum lacrymarum. (Lancic. opusc. 6. c. 7. n. 76.)

II. S. Ambrosius rectè proprietatem fervoris explicavit, dum dixit: Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.

III. Non malè fervori etiam applicari potest illud Horatij: (Horat. l. 3. Od. 2.)

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ,
Cætûsque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente pennâ.

IV. De Fabio Cunctatore olim dicebatur, quòd cunctando restituit rem; de Cunctatoribus autem & in servitio DEI minùs ferventibus rectiùs dicitur: quòd cunctando destituant rem, id est, profectum in meritis & virtutibus. (Beyrl. in fest. Visit. text. 1.)

V. Im-

Horat. in epist. V. Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
Pauperiem fugiens,
quidni potiori jure similem alacritatem ostendat servus DEI in cœlestibus divitiis comparandis?

§. XI.
AUTHORES.

I. NIcolaus Lancizius opusc. 6. c. 7. & opusc. 5. c. 9. n. 152.
II. Ludovicus Granatens. in locis com. f. 348.
III. Laurentius Beyrlinck. in festo Visitationis B. Virginis. tex. 1.
IV. Thomas Stapletonus in Dom. Palm. t. 4. & Dom. Pasch. t. 3.
V. Alphonsus Rodriquez. de perf. p. 1. tr. 1. c. 2. 3. & 4. Item c. 12. & 13.
VI. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.
VII. Thomas Kempensis de imit. Christi. l. 1. c. 25. & 19.
VIII. S. Ignatius Loyola in Epist. ad Lusit. de perfect. Relig.
IX. Claudius Aquaviva de renovatione Spiritus.
X. Philippus D'Outreman in Pœdag. Christiano. p. 2. c. 24. §. 8.

TITULUS XVIII.
FORMA.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.
Definitio.

I.

Cic. 4. Tusc. EST recta membrorum proportio, decenti colore superfusa. Vel ut Cicero vult, est apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate. Unde tria juxta aliquos requiruntur ad Formam. 1. Integritas membrorum. 2. Eorundem inter se conveniens proportio. 3. Colorum, rubicundi præcipuè & albi, grata & amœna permixtio.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.
Qualitas.

Prov. 31. v. 30. I. FAllax gratia, & vana est pulchritudo: Mulier timens DEUM ipsa laudabitur.

Eccl. 11. v. 2. II. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.

Sap. 13. v. 3. III. Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant, quantò his Dominator eorum speciosior est; speciei enim Generator hæc omnia constituit.

Utilitas.

Psal. 44. v. 5. IV. Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.

Damnum.

Prov. 6. v. 25. V. Non concupiscat pulchritudinem ejus (mulieris) cor tuum, ne capiaris nutibus illius.

Eccl. 9. v. 8. VI. Ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

Ibid. 11. VII. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt.

Dan. 13. v. 56. VIII. Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.
Qualitas.

S. Aug. l. 15 de civit. DEI. I. PUlchritudo corporis, bonum DEI donum est: sed propterea id etiam largitur malis, ne malum, bonum videatur bonis.

S. Ambr. l. 1. de Virg. II. Cur tu vultus pulchritudinem magis in Conjuge, quàm morum requiras? placeat uxor honestate magis, quàm pulchritudine; illa eligatur, quæ Saram referat.

Ibid. III. Non possumus reprehendere divini Artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multò magis delectet illa venustas, quæ ad imaginem DEI intus est.

Damnum.

S. Chrys. s. contra concubin. IV. Audivi multos dicentes, quòd multi etiam apud lapides & statuas (formosas) aliquid passi sint. Quòd si tantùm valuit dura effigies, quantam operabitur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus?

S. Hieron. in cap. 3. Thren. V. Semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur.

S. Isidor. Pelus. l. 1. epist. 236. VI. Pulchritudo etiam robustos homines plerumque subigit.

S. Prosp. l. 2. de prædict. c. 12. VII. Aspectus formosorum adeò est potens, ut ferrum, virtutémque molliat.

S. Basil. apud Lancic. opusc. 1. c. 2. VIII. Plerumque in Adolescentium corporibus nescio, quo modo ætati illi naturalis coloris decor quidam efflorescit, in quem qui inspexerint, ii libidinum plerumque stimulis solent permoveri.

§. IV.
EXEMPLA.

Engelgr. in festo Epiph. I. CHristus tantâ pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut, qui eum in terris commorantem vel unico momento intuebatur, amore ejus totus incensus, omnibus spretis traheretur.

S. Dionys. Vit. II. B. Virginis tanta erat in vultu Majestas & decor, ut S. Dionysius Areopagita confessus sit, se eam pro Dea habiturum fuisse, nisi per Catholicam fidem, unicum duntaxat DEUM esse, didicisset.

Gen. 24. v. 67. III. Rebecca tam excellenti erat specie prædita, ut Isaac Sponsus illius dolorem, quem ex morte matris maximum sanè acceperat, per illius desponsationem temperaret.

IV. De

1. Reg. 14. v. 25. IV. De Absalone testatur Sacra Pagina: Porro sicut Absalon, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.

Judith. 10. v. 4. V. Judith tantùm à DEO splendorem obtinuit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

Esther 2. v. 15. VI. Esther erat formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Et adamavit eam Asuerus plùs, quàm omnes mulieres.

Engelgr. in festo S. Doroth §. 2. VII. Joanna Lusitaniæ Princeps, Filia Alphonsi Regis tam formosa erat, ut miraculum pulchritudinis passim vocaretur, multique Principes suos Pictores mitterent, qui eam depingerent, qui tamen ipsi licet artis suæ peritissimi fatebantur, nullà artis industriâ Joannæ venustatem posse adæquari. Feruntque Ludovicum XI. Galliæ Regem, ubi effigiem ejus vidit, in genua ptovolutum, DEO grates egisse, quod tam formosam in terris divinæ pulchritudinis imaginem licuisset intueri.

Forma defædatio & contemptus.

Idem in festo S. Ioseph. §. 1. VIII. Lucia Virgo S. Dominici alumna, cùm à viro nobili ob oculos se tantopere amari audivisset, ambos eruit, & Amasio mittens effecit, ut oculos suos vanitati clauserit, & veritati aperuerit.

Ibid. IX. S. Brigida inter Scotiæ puellas pulcherrima, cùm à mille Procis ad nuptias expetise advverteret DEUM rogavit, ut aliquo corporis vitio formam fœdaret, effecitque, ut mox unum oculum perdiderit fœdo ulcere percussum.

Ibid. X. Angela de Trinitate Carmelitana, cùm ob formam à variis expeteretur, faciem aquâ imbutam Soli exposuit, ut à Sole nigredinem contraheret.

Ibid. XI. Francisca Guldel Sanctimonialis, cùm è supellectili sacra Phrygioni concinandum quidpiam tradens advertisset, eum ad niveas manus suas intentum obstupescere, non destitit priùs manus piceo liquore perfundere, quàm pici reddidisset simillimas.

Ibid. XII. S. Liberata seu Wilgefortis Regis Lusitaniæ Filia, cùm Matre mortua, Patrem sensit in suam formam ardere, barbam à DEO precibus impetravit, dirisque ideo tormentis excarnificata, & in crucem affixa est.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Herodotus apud Beyrlinck. V. Forma. I. ETsi Xerxes in suo exercitu habuerit quinquagies bis centum octoginta tria millia hominum, ex omnibus tamen ille & staturæ proceritate, & formæ venustate præstantissimus fuit.

Ibid. II. Augustus Cæsar per omnes ætatis gradus tam amabili vultus venustate præditus erat, ut quidam è primoribus Galliæ, qui eum in transitu Alpium per simulationem Colloquij præcipitare volebat, solo ejus aspectu à facinore se absterritum fateretur.

Ibid. III. Maximinus junior tam amœnâ fuit facie, ut caput ejus etiam post mortem pulcherrimum videretur.

Ibid. IV. Sisigambis uxor Darij, nulli ætatis suæ feminæ pulchritudine cessit, teste Curtio, quam tamen Alexander victo Dario non solùm non violavit, sed &, ne quis alius illi illuderet, summam curam adhibuit.

Ibid. V. Suavilda Regina Daniæ tantæ fuit pulchritudinis, ut, cùm vincta loris exposita esset equinis calcibus conculcanda, ipsamet jumenta horrorem conceperint, atque ab ea calcandâ abstinuerint.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Senec. in Prov. I. SIcut formosa pictura est, cujus nulla pars errat; sic & formosus homo est, in quo nulla macula vel defectus reperitur.

Anonym. II. Sicut fimum nemo conscius amat, etsi candidissimâ nive coopertus sit; ita nec corpus formosum magni faciendum, cùm nihil aliud sit, quàm fimi spectaculum candidâ cute coopertum.

Damnum.

S. Chrys. ho. 3. de verb. Isaia. III. Sicut ignis, ubi fœnum corripuit, nihil moratur, sed simul, ut attigit materiam, accendit flammam; sic ignis concupiscentiæ simul atque per oculorum intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animum.

Anonym. IV. Sicut Tyranni insidias & potentiam omnes oderunt, & studiosè declinant; ita & pulchritudinem, quam Socrates modici temporis Tyrannidem appellabat, meritò odisse, & declinare oportet.

§. VII.

ASCETICA.

I. TRia sunt præcipuè, quæ Ascetam de hac materia nôsse oportet. Primum est, ut non magnifaciat corporalem pulchritudinem, juxta monitum illud Virgilij:

Virgil. in Procol.
O formose Puer, nimiùm ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Sed & illud Ovidij observet:

Ovid. in epist. Phædra.
Sint procul à nobis Juvenes, ut femina compti
Fine coli modico forma virilis amat.

Qualis autem sit ille finis, pulchrè alibi ostendit his versibus:

Idem l. 1. de arte amand.
Forma Viros neglecta decet: Minoida Theseꝰ
Abstulit à nullâ tempora comptus acu.
Hyppolitum Phædra, nec erat bene comptus, amavit
Cura Deæ Silvis aptus Adonis erat.
Munditiæ placeat, fuscentur corpora campo,
Sit bene conveniens, & sine labe toga.
Linguáq; nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Nec malè deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit doctâ barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
Inque cavâ nullus stet tibi nare pilus.
Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque, paterque gregis.
Cætera lasciva faciant, concede, Puellæ,
Et si quis malè vir quærat habere virum.

II. Alterum est, ut animæ pulchritudinem præcipuè curet, utpote quæ suavior longè, certiórque sit, quàm corporis, & quam nec dies longa deterere, nec morbus exunguere, nec mors ipsa auferre queat. Hinc Diogenes formosum Adolescentem formæ gratiâ amari conspicatus, dixit: Quin operam das, Adolescens, ut corporis amatores ad animam transferas. Sed & Socrates Discipulis suis suasit, ut speculum inspicerent, &, si quidem pulchri sibi viderentur, caverent, ne dignitatem corporis malis moribus fœdarent: sin autem se deformes aspicerent, turpitudinem suam virtutis laude tegere studerent.

Apuleius l. 1. de Magia.

III. Tertium est, ut à formosarum facierum aspectu præcipuè abstinendum credat, uti jam olim Christus S. Birgittæ indicavit, dum dixit, datum esse homini visum, tanquam bonum speculatorem, qui discernat inter hostes venientes, & amicos. Tunc autem veniunt hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies. Sed & B. Virgo eandem docuit, inter res detestandas esse, si quis concupiscat videre pulchras facies. Certè S. Thomas Aquinas oculos ab aspectu formosorum vultuum tam sollicitè avertebat, quàm alij à scorpionibus & viperis fugere solent. Et S. Macarius volebat, Monachos de cella fugere, si in ea pueros formosos viderent.

S. Birgitt. l. 6. revel. c. 66.
Ib. l. 2. c. 23.
Sur. 7. Mart.
Lanciz. opusc. 2. c. 2. n. 283.

§. VIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Rectè de Forma cecinit Ovidius:
Forma bonum fragile est, quantùmque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Ovid. l. 2. de art. amand.

II. Et similiter Seneca:
Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis.

Ut fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullâque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est Forma fugax.

Senec. in Hippol.

III. Cunctis ex qualitatibus, quæ mortali cum corpore fugiunt, nulla velocior, quàm Forma, quæ mox, ut amœnum flosculum ostenderit, ipsos inter oculos mirantium atque laudantium evanescit, brevis hunc pruina percusserit, levis hunc aura decusserit, subitò vel inimicæ manus ungue decerpitur, vel prætereuntis morbi calce deprimitur.

Petrarch. dial. c. 15.

IV. Domitianus Amico scribens, scias, inquit, nec gratius quidquam decore, nec brevius, quamvis, etiamsi durabile, perpetuúmque naturæ donum esset, non intelligo, quòd tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multáque fœda contegens, & horrenda, lævissimæque cutis obtentu sensibus blandiens & illudens.

Ibid.

V. Plato Formam, Naturæ privilegium vocavit, eò quòd paucis obtingat.

Langius in Polyanth. V. eodem.

VI. Carneades interrogatus, quid Forma hominis esset? regnum sine satellitio respondit, quia formosi impetrant, quid volunt, nullâ vi adhibitâ.

Ibid.

VII. Isocrates, eos, qui pulchrum habent corpus, animam autem fœdam, dicebat, optimam habere navim, gubernatorem autem malum.

Ibid.

VIII. Quid excolis Formam, inquit Seneca, cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris.

Senec. ep. 125.

IX. Diogenes, cùm vidisset quendam decorâ facie, & moribus inhonestum, ait: O quàm bona domus, & malus hospes!

Laërt. de vit. Philos.

X. Aristoteles quæsitus, cur, quæ pulchra sunt, amarentur? cæci hanc interrogationem, dixit esse.

Stob. f. 65.

XI. Cicero dixit cum Forma idem fieri, quod cum floribus, qui tam diu grati, quàm diu recentes sunt.

Engelgr. Dom. 2. Epiph. §. 2.

XII. Hinc non malè Juvenalis:
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas, dicet Libertus, & exi:
Jam gravis es nobis.

Juven. Satyr. 6.

XIII. Si, ut ait Aristoteles, homines lynceis oculis uterentur, & obstantia visu penetrarent, nónne introspectis visceribus illud Alcibiatis pulcherrimum corpus, turpissimum videbitur? igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.

Boët. l. 3. prof. 8. de consolat.

XIV. S. Bernardinus scribit, Puellam deformem, nanam, gibbosam fuisse, quæ cothurnis, aliisque ornamentis ita Personam immutârat, ut in conjugem à viro nobili sit adlecta. Verùm dum sub vesperam se exuit, Maritus eam breviorem intuitus, & ingeniculare ratus, cùm assurgere jussisset, nanam, gibbosam, luscam, edentulam reperit.

S. Bernardinus f. 36.

Utilitas.

XV. Zeno dicebat, vocem esse Formæ florem; nam loquentis orationem commendat forma, & rursus oratio composita gratiam addit formæ.

Laërt. l. 7. c. 1.

XVI. Aristoteles dicebat, pulchritudinem quàvis Epistolâ ad commendationem esse efficaciorem. Hinc & Regina quæpiam Adolescenti formoso literas commendatitias petenti dixit: Vade, & faciem tuam ostende, & literis commendatitiis non indigebis.

Idem l. 5. c. 1.

Damnum

Damnum.

Ovid. 1. Fast. XVII. Non malè cecinit Ovidius:
Fastus inest pulchris, sequitúrque superbia formam.

Petrarch. Dial. 2. XVIII. Habes (per Formam) velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum, haud facilè seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum evolare animo; multos ad honesta pergentes forma detinuit, detorsítque contrariam in partem. Habes hostem tuum domi (quódque pejus est) delectabilem ac blandum. Habes raptorem quietis ac temporis, perpetuúmque tortorem: habes materiam laboris, uberrimam discriminum causam, fomenta libidinum, nec minorem quærendi odij, quàm amoris aditum.

Laërt. XIX. Theophrastus dicebat, pulchritudinem nihil aliud esse, quàm tacitam deceptionem, aut silentem fraudem, quòd absque verbis persuadeat.

XX. Quantum periculum sobsit formæ, non malè explicavit Juvenalis, dum dixit:

Juven. Sat. 10. Filius autem
Corporis egregij, miseros, trepidósq; Parentes
Semper habet, rara est adeò concordia formæ,
Atque pudicitiæ.

§. IX.

AXIOMATA.

I. Gratior est pulchro veniens in corpore virtus. *Virgil.*

II. Pulchrorum etiam Autumnus pulcher est. *Langius in Polyanth.*

III. Simia est simia, etsi aurea portet insignia.

§. X.

AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius opusc. 2. c. 2. n. 279.

II. Henricus Engelgrave Dom. 2. post Epiphan. §. 3.

III. Laurentius Beyrlinck. V. eodem in theatro vit. humanæ.

IV. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

V. Franciscus Petrarcha. Dialog. 2. de remediis Fortunæ.

TITULUS XIX.

GAUDIUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 4. sent. dist. 49. q. 3. a. 1. EST affectio animi, alicujus præsentis boni opinione concepta. Vel, ut S. Thomas vult, est passio concupiscibilis, proveniens ex perfectionis appetitæ conjunctione, secundùm interiorem apprehensionem sensûs vel intellectûs. Volunt autem aliqui gaudium per hoc à lætitia distingui, quòd lætitia sit hilaritas extrinsecus apparens; Gaudium verò sit hilaritas intra animum conclusa.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *Bonum* & *Malum*; quorum illud de honesto & licito, illud de inhonesto & illicito objecto concipitur.

III. Dividitur 2. in gaudium spirituale & sensibile; ex quibus prius de rebus spiritualibus & cælestibus oritur; posterius verò ex objectis sensu perceptibilibus hauritur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Psal. 31. v. 11. I. LÆtamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

Phil 4. v. 4 II. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.

Prov. 15. v. 15. III. Secura mens, quasi juge convivium.

Isaia 61. v. 10. IV. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo. Qui induit me vestimento Salutis, & indumento Justitiæ circumdedit me, quasi Sponsum decoratum coronâ, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.

V. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth. 5. v. 12.*

VI. Cognovi, quòd non esset meliùs, nisi Lætari, & facere bene in vita sua. *Eccl. 3. v. 12.*

VII. Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia placent DEO opera tua. *Ibid. c. 9. v. 7.*

VIII. Non est oblectamentum super cordis gaudium. *Eccl. 30. v. 16.*

IX. Servite Domino in lætitia: introite in conspectu ejus cum exultatione. *Ps. 99. v. 2.*

Utilitas.

X. Cor gaudens exhilarat faciem; in mœrore animi dejicitur Spiritus. *Prov. 15. v. 13.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. EST gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt. *S. Aug. l. 9. Confess.*

II. Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; quod, cùm acceperis, nemo tollet à te, cui aliunde comparata omnis jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne pulchrum fœdum est, omne postremò, quod delectare potest, molestum est. *S. Bern. in serm.*

III. Dedisti lætitiam in corde meo. Non simpliciter dixit: dedisti gaudium: sed in corde meo, id est, non in externis rebus *Idem in cit. vers. ps. 4.*

lætitia ista existit, qualis est illarum rerum secularium ac fluxarum, nam hæc lætitia non cordis, sed solorum oculorum est.

S. Aug. in ps. 104. IV. Bonum tuum quære, ô anima, est enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent bonum quoddam suum. Quære tuum bonum, hoc est, summum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? sunt & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona sunt; pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? tale tu bonum quæris, cohæres Christi? quid gaudes, quia socius es pecoris? erige spem tuam ad DEUM, bonum bonorum omnium.

S. Bern. apud Fabr. conc. 2. in Fer. 3. Pât. V. Nullum majus signum inhabitantis Spiritûs est, quàm lætitia spiritualis.

Idem s. 11. in Cant. VI. Nihil ita propriè quendam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas benedicentium DEUM.

S. Basil. interrog. 193. in Reg. brev. VII. Cujusmodi est gaudium, quod est in Domino? & quid est, quod facientes gaudere debemus? in his, quæ secundùm mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere.

S. Aug. s. 30. de SS. VIII. Scimus, Fratres, quòd omnis homo gaudere desiderat, sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri.

Idem. IX. Qui vult gaudere de se, tristis est: qui autem de DEO gaudere vult, semper gaudebit, quia DEUS sempiternus est.

Utilitas.

Hugo Card. in c. 15. Prov. X. Secura mens quasi juge convivium: juge, id est, continuum & festivum convivium, quia mens, quæ sine cura est, semper est in gaudio, & æterni convivii jam præsentit odorem.

Necessitas.

S. Gregor. l. 18. mor. c. 8. XI. Esse sine delectatione Anima nunquam potest; nam aut infimis delectatur, aut summis.

Gaudium malum.

S. Aug. in ps. 36. XII. Prospera hujus Mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.

S. Hieron. epist. 1. ad Heliod. XIII. Licet in modum Stagni fusum æquor arrideat, intus inclusum est periculum, intus est hostis; tranquillitas ista, tempestas est.

S. Gregor. in moral. XIV. Jure restat, ut, quot priùs in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta.

Idem. XV. Dignum est, ut in se semper homo mœrorem inveniat, qui derelicto Creatore, gaudium in se quærebat.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 1. c. 25. § 11. I. Gaudebis semper Vespere, si diem insumas fructuosè.

II. Si est gaudium in Mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. L. 2. c. 4. § 2.

III. Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiam. L. 2. c. 6. § 1.

IV. Noli lætari, nisi cùm benefeceris. Ibid.

V. Justorum lætitia de DEO, & in DEO est, & gaudium eorum de veritate. Ibid. § 2.

VI. Excedunt spirituales consolationes omnes Mundi delicias & carnis voluptates; nam omnes deliciæ mundanæ, aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales verò deliciæ solæ jucundæ, & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à DEO puris mentibus infusæ. L. 2. c. 10. § 1.

VII. Invenient suavissimam Spiritûs Sancti consolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint consolationem. L. 3. c. 10. § 5.

VIII. Vanum est, & breve, omne humanum solatium: beatum & verum solatium, quod intus à veritate percipitur. L. 3. c. 16. § 2.

IX. Si rectè sapis, & in veritate aspicis, nunquam debes propter adversa tam dejectè contristari, sed magis gaudere & gratias agere; imò hoc unum reputare gaudium, quòd affligens te doloribus non parcam tibi. L. 3. c. 30. § 6.

X. Utinam sic tecum esset, & ad hoc pervenisses, ut tuipsius amator non esses, sed ad nutum meum purè stares, & ejus, quem tibi præposui, Patris, tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret. L. 3. c. 32. § 2.

XI. Ecce DEUS meus & omnia, quod volo ampliùs, & quid feliciùs desiderare possum? Te siquidem præsente jucunda sunt omnia, te autem absente fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiamque festivam. L. 3. c. 34. § 1.

XII. O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, ut tuâ me saties præsentiâ, & sis mihi omnia in omnibus. Ibid. § 5.

§. V.

EXEMPLA.

I. S. Paulus de seipso fassus est: repletus sum gaudio, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 2. Cor. 7. v. 4.

II. S. Romualdus, licet exuberanti cordis gaudio vim lacrymarum fundens, vultu tamen adeò læto semper erat, ut intuentes exhilararet. Engelgr. fer. 3. Bacchan. § 2.

III. S. Hieronymus in solitudine tantis gaudiis affluebat, ut ipse scriberet Eustochio: Ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum. S. Hieron. ep. 9. ad Eustoch.

IV. S. Scholastica tantis affluebat gaudiis, ut diceret, si dulcedo, quam DEUS abscondit servis suis, cognita esset, Mundus non caperet eos, qui DEO servire vellent. Engelgr. l. c.

V. B. Maria Magdalena de Ursinis Novitiis præfecta, si suas subditas ridere cerneret, dicere solebat. Ridete, Filiæ meæ, ridete, quia justa gaudendi causa est, quod Mundi fluctibus ereptæ, in hoc portu securissimo vivatis. Ibid.

VI. S.

S. Athan. in vita. VI. S. Antonius ſemper erat lætus, ita ut à reliquis Monachis ex vultûs hilaritate cognoſceretur.

Lyram in apophs. 8. Ign. 6. VII. Apollonius ad ſuos verba faciens dicebat: Triſtentur Gentiles, Judæi, & alij Infideles, Juſti verò, qui ſpe viva cæleſtia bona exſpectant, lætentur, & exultent.

Ibid. VIII. Abbas Apollo, qui ad quingentos habebat Diſcipulos, ſic eos inſtituebat, ut ſemper eſſent alacres & læti, ita ut nullam ſimilem lætitiam in terris videre eſſet.

Ibid. IX. S. Pachomius in corpore ſuppliciis & inediis exhauſto miram præſeferebat hilaritatem.

Ibid. X. S. Bernardus tantâ ſemper lætitiâ affluebat, ut ea non modicum ei ſcrupulum injiceret; nam jucundius ſibi vivere videbatur in Eremo, quàm in Sæculo vixiſſet.

Ibid. XI. S. Franciſcus Seraphicus ſuæ Familiæ Religioſis aſſiduò hanc lætitiam commendabat, utpote per quam ipſe ſe multùm adverſus Spiritum Acediæ juvari adverterat. Hinc ſi unum ſubtriſtem conſpexit, vehementer eum objurgavit, dicens: Oportet eos, qui Mundo, Carni, Dœmoni, non verò DEO ſerviunt, eſſe triſtes, non autem Fratrem Minorem.

Ibid. XII. Godefridus Peronenſis S. Bernardi Diſcipulus, cùm ad initium ſuæ converſionis tanto mœrore obrueretur, ut diceret, ſe per totam ampliùs vitam lætum non futurum, S. Bernardo pro ipſo orante uſque adeò erectus eſt, ut diceret, ſe ad mortem uſque hilarem vitam traducturum.

Sulpit. in vita. XIII. De S. Martino ſcribit Severus Sulpitius, eum nunquam mœſtum viſum fuiſſe, ſed ſemper pacatum, quietum, & compoſitum.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lyram apophs. 6. S. Ign. I. S. Ignatius & ipſe ſemper lætus erat, & ſuos ad ſimilem lætitiam excitabat, dicere ſolitus, non minus miraculum cenſendum eſſe, mœſtum deprehendere virum religioſum, qui aliud nil quærat, niſi DEUM, quàm mirandum, deprehendere lætum aliquem, qui omnia alia quærit præter DEUM.

Ibid. II. Cùm Franciſcus Coſterus adhuc Tiro ad riſum mirè proclivis eſſet, S. Ignatius eidem dixit: Franciſce, audio te ſemper ridere. Cúmque ille dejectis oculis acrem reprehenſionem exſpectaret, ſubjecit S. Pater: Et ego dico tibi, Fili mi, ut rideas, & gaudeas in Domino, quia Religioſus nullas habet cauſas mœſtitiæ, multas verò lætitiæ.

III. Bellarminus Cardinalis de ſeipſo fatebatur: Cùm eſſem Religioſus, neſciebam, quid in vita eſſet triſtitia: factus Cardinalis neſcio, quid ſit lætitia.

Vita l. 2. c. 10. IV. P. Petrus Faber tutiùs exiſtimabat ad lætitiam nimiam, quàm triſtitiam deflectere, quòd in hâc ſexcenti lateant errores, & multùm amaroris; in illâ tutiora ſint omnia.

V. P. Balthaſar Alvarez contemplabatur Subditorum vultus, &, ſi quem triſtem, aut capite demiſſo incedere advertebat, corripiebat dicens, in domo DEI neminem triſtem eſſe debere, ideóque exceſſum in lætitia potiùs, quàm triſtitia tolerandum. *Vita c. 28.*

VI. P. Antonius Madridius vix primò laceram tunicam induit, cùm illico tanto gaudio imbutus eſt, ut affirmaret in tota vita nihil ſibi jucundiùs accidiſſe. *Hiſt. Soc. p. 2. l. 7.*

VII. Joannes Berckman eam ſemper oris hilaritatem, alacritatémque præferebat, ut eum aliqui S. Hilarium, alij S. Lætum facetè appellarent. Dicebat, neſcire ſe, quid ſit melancholia, aut melancholicum eſſe. In ſacro quotidie orabat pro lætitia Spiritûs impetranda. *Vita p. 24. & 93.*

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut accidens eſt, quod adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem; ita præſens tribulatio & ærumna adeſt & abeſt præter juſti contriſtationem & conturbationem. *Hugo Card. in c. 12. Prov.*

II. Sicut ignis & aqua ſimul eſſe non poſſunt; ſic ſpirituales & carnales deliciæ in eodem ſe non compatiuntur. *S. Bern. epiſt. 2.*

III. Sicut Cælum altius eſt nubibus ac pluviis; cùm nubibus obducitur, pati putatur, ſed non patitur; ſic & nos, etiamſi putamur pati, nihil patimur, id eſt, quaſi nubibus obduci putamur, ſed non triſtamur. *S. Chryſ. ho. 16. in ep. ad Hebr.*

IV. Sicut non propterea malas ſegetes negamus, quia intermixtam ſterilem avenam habet; ſic nec beatæ meſſem conſcientiæ negare convenit, licet acerbus dolor interpellet, cùm lolij amaritudo frumenti ſuavitate obducatur. *S. Ambr. l. 3. de offic. c. 5.*

V. Sicut fonti non deeſt humor ſemper ex eo ſcatens; ſic probo viro ſemper adeſt gaudium, etiamſi res externæ mutentur. *Plutarch. in moral.*

Utilitas.

VI. Sicut primus orbis cæleſtis ſecundum movet, & ſecundus tertium, atque alios; ita hoc in loco vis intelligendi movet voluntatem, voluntas appetitum, appetitus verò carnem propter magnam inter ſe vitium harum conjunctionem. *Ludovic. Granat. loc. com. 494. f.*

VII. Sicut mel non modò in ſe dulce eſt, ſed rebus etiam inſipidis dulcedinem ſuam impertit; ſic internum (conſcientiæ præſertim) gaudium non modò ſibi ſuave & dulce eſt, ſed etiam amara quæque poſſeſſori dulcorat. *Rodriq. p. 2. tr. 6. c. 6.*

Gaudium malum.

VIII. Sicut damnatis ad mortem, nec cibus, nec potus, nec ſomnus, aut aliud quidpiam delectabile ſincerum gaudium creare poteſt, quia mortis imminentis terror ob oculos ſemper verſatur; ita multò minùs ſincerum gaudium illorum ineſſe poteſt mentibus, qui ſententiam mortis internæ ob peccata gravia commiſſa, in animo circumferunt. *Engelgr. fer. 3. Bacchan.*

Ibid. IX. Sicut stultus foret, qui immensum emetiretur Oceanum, ut inveniret, quod domi habet; ita insipiens est, qui gaudium extra se quærit, quod intra se habere potest.

Fab. conc. 7. in Dom. 3. post Pascha. X. Sicut fidicines in luctuosa domo canere incipientes increpantur, & facessere jubentur; ita qui in hoc mundo ineptè vult gaudere, meritò à sapientibus & virtuosis hominibus carpitur, & contemnitur.

Ibid. n. 4. XI. Sicut pisci, dum extra aquam; & brachio, dum extra locum suum luxatum est, bene esse non potest; ita nec spiritui nostro, dum extra patriam est.

Ibid. n. 5. XII. Sicut, si quis mensæ regiæ cum Damocle assidens, nudum gladium è seta equina pendentem, capitique imminentem videret, omnis ei epularum dulcedo in fel verteretur; ita multò magis impiis gladius divinæ justitiæ capiti eorum imminens omne gaudium in mœrorem convertet.

§. VIII.

MOTIVA.

Lyraeus apophr. 6. l. 1. I. *Quia gaudium non parùm ad gloriam DEI promovendam conducit:* sicut ad gloriam & Majestatem Principis pertinet, ut Famulos habeat cum magna alacritate eidem servientes.

Anonym. II. *Quia etiam ad proximum lucrandum non parùm juvat:* sicut Venatores, ut faciliùs admittantur à Feris, viridium vestium amœnum, ferisque gratum colorem assumunt.

Rodriq. p. 2. tr. 6. c. 2. III. *Quia operationes nostras perficit, DEOq; gratiores facit:* hilarem enim datorem diligit DEUS.

Ibid. IV. *Quia ad perseverantiam plurimùm conducit:* ut enim nullum violentum perpetuum est; ita iis, quæ cum gaudio suscipiuntur, libenter etiam insistitur.

§. IX.

MEDIA.

I. *Vita bona:* sic enim jam olim S. Bernardus suasit, dicens: Vis nunquam esse tristis? bene vive; nam Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum. Eccl. 1. v. 12.

Matth. 11. v. 29. II. *Humilitas:* sic enim Christus promisit, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Idem etiam Francisco Costero S. Ignatius suasit, dum indubitatè hilarem futurum dixit, si humilis & obediens fuerit.

1. Thess. 5. v. 16. III. *Terrenorum contemptus:* hinc S. Paulus ad gaudium excitans, *in Domino* gaudere jussit: Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.

Ennod. l. 5. epist. 15. IV. *Lacryma:* quia, qui lugent, consolabuntur, juxta Christi promissum. Hinc & Ennodius dixit: Apud DEUM hilaritas lacrymis obtinetur, & mœror transit in lætitiam.

§. X.

ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ Asceta præcipuè de hac materia advertere debet, aliisque inculcare. Primum est, ut bene apprehendat fundamentum, super quod gaudium nostrum, ut ita dicam, inædificari & inniti debet, quod quidem fundamentum Cæsarius breviter his verbis indicavit: Verum gaudium non possidetur, nisi pax & justitia teneatur; prima enim est, & quasi radix justitia, secunda pax, tertia gaudium: de justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Cæsarius admon. 2.

II. Alterum est, ut bene consideret, firmissiméque credat, quod S. Hieronymus pronuntiavit sequentibus verbis: Difficile, imò impossibile est, ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis: ut & hìc ventrem, & ibi mentem repleat: ut de deliciis transeat ad delicias, & in utroque sæculo primus sit. In quem sensum etiam S. Bernardus, errat, ait, omnino, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri; divinum illud balsamum huic veneno; charismata illa Spiritûs sancti misceri posse hujusmodi illecebris arbitretur. Quomodo enim ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non compatiuntur. S. Hier. ep. ad Iulian. 34. S. Bern. f. 6. de Ascens. Dom.

III. Tertium est, ut, quò faciliùs electionem inter spirituales & carnales seu sensibiles delicias facere possit, discrimen earum bene apprehendere studeat, quod quidem more suo egregiè S. Gregorius sequentibus verbis describit: Hoc distat inter delicias cordis & corporis, quòd corporales deliciæ, cùm non habentur, grave in se desiderium accendunt; cùm verò avidè eduntur, comedentem protinus in sui fastidium per sui satietatem vertunt. At contrà spirituales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio, tantóque à comedente ampliùs esuriuntur, quantò & ab esuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit; augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, quia quantò magis earum sapor percipitur, eò ampliùs cognoscitur, quod avidiùs ametur, & idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Ita ille. Quibus addi potest, quòd ad verum gaudium requiratur, ut semper haberi queat, hominémque plenè satiet, & invito seu contra voluntatem auferri non possit; hæ autem conditiones, ut consideranti facilè patebit, in solis spiritualibus deliciis, utpote ex DEO immenso, summè bono, & omnipotente repetantur. S. Gregor. ho. 36. in Evang.

IV. Quartum est, ut generoso animo se resolvat ad delicias spirituales, spretis terrenis, gustandas; nam gustato spiritu desipit omnis caro.

S. Aug. l. 9. conf. c. 1. caro. Id, quod S. Augustinus expertum se fatetur, exclamans: O quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudiũ erat. Ejiciebas enim eas à me vera tu & summa suavitas, ejiciebas eas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed homini secreto interiori: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Unde rectè hortatur S. Gregorius Nazianz. (S. Greg. Naz. orat. ad cives suos.) adsit modò voluntas, animique propositum, propinqua est consolatio in ore tuo & corde tuo: Memor fui DEI, & delectatus sum. Quid memoriâ paratius? memor ergo esto tu quoque DEI, & delectaberis. O facilem & parabilem medicinam! O celerem curandi rationem! O egregium beneficij magnitudinem; non modò animi dejectionem, mœstitiámque sedat DEI recordatio, sed & delectationem affert. Imò & adversa omnia dulcia facit, teste S. Chrysostomo (S. Chrys. ho. 18. ad pop.); sicut enim in mare decidens immensum brevis scintilla facilè deletur; sic quantacunque DEUM timenti allidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur, atque perduntur.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Jac. Billius anthol. sac. I. REctè modum comparandi verum gaudium assignavit Jacobus Billius sequentibus distycis:

> Nil sibi consciscat, qui lætâ vivere mente,
> Atque metu vacuos gestit habere dies.
> Qui probus est, nullo qui pallet crimine, cuique
> Intima commissum non ferit ossa scelus.
> Ille nec horrendi pavidus tremet ora Tyranni,
> Mille nec armatas in sua fata manus.
> Quin etiam terræ si fractus concidat orbis,
> Obruet impavidum vasta ruina caput.

Seneca epist. 23. II. Sapienter Seneca suo Lucilio suadens, Hoc ante omnia fac, mi Lucili, inquit, disce gaudere. Ad summa pervenit, qui scit, quo gaudeat. Nolo tibi unquam deesse lætitiam; volo illam tibi domi nasci: nascitur, si modò intra teipsum fit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt, nisi fortè tu judicas illum gaudere, qui ridet.

III. Dulciores sunt lacrymæ pœnitentium, quàm gaudia theatrorum, ait rectè S. Augustinus. (S. Aug. in Ps. 127.)

IV. Navibus atque quadrigis petimus bene vivere, inquis, cùm tamen, teste Horatio, (Horat. l. 1. epist.) quod petis hîc sit;

> Intus habes, animus si te non deficit æquus.

V. S. Laurentius Justinianus ait, consultò à DEO factum esse, ut Religionis jucunditatem absconderet; quoniam si hanc homines cognoscerent, futurum esset, ut mundus planè totus exhauriretur. (S. Laur. Justin. apud Plat. l. 3. c. 1.)

Gaudium malum.

VI. Hoc breviter expressit Horatius, dum cecinit ad Damoclem alludens: (Horat. l. 3. od. 1.)

> Districtus ensis, cui super impia
> Cervice pendet, non Siculæ dapes
> Dulcem elaborabunt saporem,
> Non avium, cytharæque cantus
> Somnum reducent.

VII. Voluptas & dolor apud Jovem conviviis se lacessebant, quos cùm ipse conciliare nequiret, utrosque tandem catenâ adamantinâ adeò colligavit, ut alter ab altero discedere nequiret. (Plato in Phadro.)

§. XII.

AUTHORES.

I. HEnricus Engelgrave in Cælo Empyreo fer. 3. Bacchan.

II. Matthias Faber conc. 4. & 6. in Dom. 3. post Pascha.

III. Nicolaus Lyræus in apophr. S. Ignatij. apophr. 6.

IV. Ludovicus Granatensis loc. commun. f. 489.

V. Alphonsus Rodriquez p. 2. tr. 6. c. 2. & 3.

VI. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

VII. Laurentius Beyrlinck in Theatro vitæ humanæ. V. eodem.



TITULUS

TITVLVS XX

GRATIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thomas 1. 2. q. 110. a. 2.



ST qualitas quædam supernaturalis, quâ Anima ad consequendam beatitudinem supernaturalem promovetur, uti rectè S. Thomas eandem genericè sumptam definivit.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *Habitualem*, & *Actualem*; Prior est habitus supernaturalis reddens verum Amicum, & Filium adoptivum DEI, realitérque justificans. Posterior est pia illuminatio, seu alia quæcunque actio, quâ DEUS hominem ad propriam salutem consequendam admonet, &, quantùm est de se, promovet. Et hæc iterum subdividitur in gratiam *prævenientem*, quâ DEUS hominem impellit ad operandum; & *subsequentem*, quâ juvat, & cooperatur in actionibus hominis perficiendis.

III. Dividitur 2. in gratiam *gratum facientem*, & gratiam *gratis datam*, quæ primariò in utilitatem aliorum ordinatur, cujus novem species à S. Thoma referuntur; aliæ enim ad perfectionem cognitionis spectant, ut Fides, Sapientia, Sermo scientiæ: aliæ ad doctrinæ confirmationem, ut gratia sanitatis, operatio virtutum, Prophetia, discretio Spirituum: aliæ ad pronunciandi facultatem, ut genera linguarum, & sermonum interpretatio.

IV. Dividitur 3. in gratiam *sufficientem*, cum qua quis potest operari, sed nunquam operabitur; & *efficacem*, cum qua operatio infallibiliter connectitur.

Effectus Gratiæ.

V. Primus est *peccati remissio*: juxta illud
Luc. 7. v. 47. Servatoris: Remittuntur ei peccata multa,
quoniam dilexit multùm.

VI. Secundus est, *facere Filium adoptivum & amicum DEI*: uti S. Joannes testatus est,
1. Ioan. 3. v. 1. dicens: Videte, qualem caritatem dedit nobis
Pater, ut Filij DEI nominemur, & simus.

VII. Tertius est, *tribuere jus ad vitam æternam*: juxta testimonium S. Pauli dicentis:
Rom. 8. v. 17. Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui
nostro, quòd sumus Filij DEI. Si autem Filij, & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.

VIII. Quartus est, *opera nostra reddere meritoria vitæ æternæ*: uti iterum testatus est S.
Paulus, dicens: Id enim, quod in præsenti est *2. Cor. 4.*
momentaneum & leve tribulationis nostræ, su- *v. 17.*
pra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Sed & Christus idem
confirmans, Quicunque, inquit, potum dede- *Matth. 10.*
rit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, *v. 42.*
tantùm in nomine Discipuli, non perdet mercedem suam.

IX. Quintus effectus est, *pulchritudinem
conferre animæ*: nam, ut S. Gregorius ait. Ele- *S. Greg.*
ctorum animæ omne humanum genus, quod *l. 35. mor.*
in terra secundùm hominem conversatur, suæ *c. 23.*
pulchritudinis decore transcendunt.

X. Sextus est, *vitam animæ conferre*: juxta
illud Christi: Ego veni, ut vitam habeant, & *Io. 10. v. 10.*
abundantiùs habeant. Hinc & de Filio prodi- *Luc. 15.*
go dicitur: Mortuus erat, & revixit. *v. 32.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Gratia Habitualis.

I. QUi boous est, hauriet gratiam à Do- *Prov. 12.*
mino. *v. 2.*

II. Ubi autem abundavit peccatum, super- *Rom. 5.*
abundavit & gratia, ut, sicut regnavit peccatum *v. 20.*
in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per JESUM Christum Dominum nostrum.

III. Stipendia peccati mors, gratia autem *Rom. 6.*
DEI vita æterna in Christo JESU Domino *v. 23.*
nostro.

IV. Unicuique nostrûm data est gratia se- *Eph. 4.*
cundùm mensuram donationis Christi. *v. 7.*

V. DEUS superbis resistit, humilibus au- *1. Petr. 5.*
tem dat gratiam. *v. 5.*

VI. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, *Apoc. 21.*
gratis. *v. 6.*

Gratia Actualis.

VII. Non potest homo accipere à se quid- *Io. 3. v. 27.*
quam, nisi fuerit ei datum de cælo.

VIII. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in *2. Cor. 12.*
infirmitate perficitur. *v. 9.*

IX. Gratiâ autem DEI sum id, quod sum, *1. Cor. 15.*
& gratia ejus in me vacua non fuit, sed abun- *v. 10.*
dantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia DEI mecum.

X. Gratiâ enim salvati estis per fidem, & *Eph. 2. v. 8.*
hoc non ex vobis: DEI enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.

XI. Adjuvantes autem exhortamur, ne in *2. Cor. 6.*
vacuum gratiam DEI recipiatis. *v. 1.*

XII. Noli negligere gratiam, quæ in te est, *1. Tim. 4.*
quæ data est tibi per prophetiam, cum imposi- *v. 14.*
tione manuum Presbyterij.

§. III.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Gratia habitualis.

Qualitas.

S. August. in Enchir. I. SOla gratia discernit redemptos à perditis, quos in unum coacervat massa perditionis, ab origine ducta creationis.

Idem de natur. & grat. II. Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur.

Utilitas.

S. Bern. s. 3. in Cant. III. Quantùm quis crescit in gratiam, tantùm in fiduciam dilatatur.

S. Cyprian. l. 2. ep. 2. IV. Postquam undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit: postquam cælitus hausto Spiritu in novum me hominem Nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, dari, quod priùs difficilè videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur, ut esset.

Dignitas.

S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. V. Majus est opus justificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quàm creatio cæli & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis.

Ibid. VI. Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi.

S. Aug. l. 2. ad Bonif. c. 6. VII. DEI gratia non solùm omnia sidera, & omnes cælos, verùm etiam omnes Angelos supergreditur.

S. Thom. l. suprà cit. VIII. Donum gratiæ justificantis impium, est majus, quàm donum gloriæ beatificantis justum: quia plùs excedit donum gratiæ dignitatem impij, qui dignus erat pœnâ, quàm donum gloriæ dignitatem justi, qui ex hoc ipso, quòd justificatus, est dignus gloriâ.

S. Aug. in Jo. tr. 102. IX. Quidquid aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla omnino res est, sed quia tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.

Gratiæ actualis necessitas.

Beda in gloss. prov. 9. X. Pauper & Creditor obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. Pauper est humilis auditor: Creditor, Prædicator, qui sibi obviant, cùm in unam pietatis gratiam conveniunt. Utrinsque illuminator est Dominus, quia nec iste prædicat, nec ille credit sine DEI munere. Unde dicit: Sine me nihil potestis facere.

S. Hieron. apud Lanciz. opusc. 4. n. 99. XI. Nihil boni operis agere potest (homo) absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret.

Innoc. ep. ad Concil. XII. Quotidiana præstat ille præsidia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nequaquam humanos vincere poterimus errores.

XIII. Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino; nemo custodire sine Domino; nemo quidquam incipere sine Domino. *S. Ambr. l. 2. in c. 12. Luc.*

XIV. Conatus nostri & cassi sunt, si non adjuventur: & nulli, si non excitentur. *S. Bern. l. de grat. & lib. arbit.*

Utilitas.

XV. Justè instat præcepto, qui præcurrit auxilio. *S. Leo s. 16. de pass.*

XVI. Vasa namque, quæ creatrix gratia creavit, ut sint: adjutrix gratia replet, ne vacua sint. *S. Thom. opusc. 61. c. 17.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. SI scires totam Bibliam exteriùs, & omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset, sine caritate DEI & gratiâ? *l. 1. c. 1. §. 3.*

II. Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & senties leviorem laborem, propter DEI gratiam, & virtutis amorem. *l. 1. c. 25. §. 11.*

III. Habebunt gratiam magnam, qui sponte se subjecerint tuæ sanctissimæ servituti. *l. 3. c. 10. §. 5.*

IV. Fili, pretiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abjicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere. *l. 3. c. 53. §. 1.*

V. Fili, diligenter adverte motus Naturæ & gratiæ, quia valdè contrariè & subtiliter moventur, & vix, nisi à spirituali & intimè illuminato homine dignoscuntur. *l. 3. c. 54. §. 1.*

VI. Hæc gratia, supernaturale lumen, & quoddam DEI speciale donum est, & propriè Electorum signaculum, & pignus salutis æternæ, quæ hominem de terrenis ad cœlestia amanda sustollit, & de carnali spiritualem efficit. *Ibid. §. 8.*

VII. Opus est gratiâ tuâ, & magnâ gratiâ, ut vincatur natura, ad malum semper prona ab adolescentia sua. *l. 3. c. 55. §. 2.*

VIII. O quàm maximè mihi necessaria est gratia tua, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum; nam sine ea nihil possum facere; omnia autem possum in te, confortante me gratiâ tuâ. *Ibid. §. 4.*

IX. O verè cælestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque naturæ dona reputanda. Nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo: nihil vel ingenium vel eloquentia valent apud te, Domine, sine gratia; nam dona naturæ bonis & malis communia sunt, Electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio, quâ insigniti digni habentur vitâ æternâ. *Ibid.*

X. Tantùm eminet hæc gratia, ut nec donum Prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alia speculatio æstimetur sine ea: sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes sibi acceptæ sunt sine caritate & graria. *Ibid.*

Ibid. §. 5. XI. O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu, virtutibus divitem facis, & divitem multis bonis humilem corde reddis.

Ibid. XII. Obsecro, Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis; sufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtentis, quæ desiderat natura.

Ibid. XIII. Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert & auxilium. Cunctis hostibus potentior est, & sapientior universis Sapientibus.

Ibid. §. 6. XIV. Magistra est veritas, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid sum sine ea, nisi aridum lignum, & stirps inutilis ad ejiciendum?

§. V.

EXEMPLA.

Vita PP. l. 1. c. 5. I. S. Abbas Pachomius eâ nocte, quæ illi à suscepto Baptismo prima fuit, mellitum rorem sibi de cælo descendere, & in dextram manum decidere, atque hanc vocem audire visus est: Aperi mentis tuæ oculos, Pachomi, & agnosce in rore isto acceptæ à DEO gratiæ argumentum & pignus.

Vita l. 2. c. 4. II. S. Maria Oegniacensis, cùm Infans quidam Exorcismis ad Baptismum pararetur, vidit Dæmonem ab eodem fugientem; ac deinde, cùm primùm sacris Unctis tinctus esset, Spiritum sanctum visibili specie in ejus animam, cum innumera beatarum mentium corona ingredientem.

Platus l. 3. de stat. Relig. c. 23. III. Christus, cùm aliquando S. Catharinæ Senensi animam Palmarinæ (pro qua lucranda plurimùm ipsa laboraverat) jam beatæ ostendisset, hæc verba adjecit: Quis non omnem meritò laborem perferat, ut possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam?

Surius in vita. 30. April. IV. S. Catharina Senensis conspectâ quondam animâ à peccatis purâ, & gratiâ divinâ exornatâ, tantam ei pulchritudinem inesse dicebat, ut nullus, qui eam videret, non libentissimè pro ea in tali statu conservanda vitam daret. Hinc ipsa eorum, qui lucrandis animabus se impendebant, transeuntium vestigia deosculari solebat.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Anonym. I. Sicut essentia proprietatum; ita gratia habituum supernaturalium, id est, virtutum infusarum radix est.

Lampartar de prestât. gratiæ c. 14. II. Sicut hortus regius, pulchris arboribus, & fructibus optimis plenus, tum sapore & odore suo, tum jucunditate & pulchritudine sua mirificam cunctis sensibus delectationem & recreationem affert; ita gratia tum suâ excellentiâ ac pulchritudine, tum præstantissimis, quas generat, virtutum arboribus, & fructibus, summam DEO & Sanctis aspicientibus complacentiam & delectationem parit.

Necessitas.

III. Sicut oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi luce divinæ gratiæ juvetur, non potest rectè vivere. *S. Aug. l. de nat. & grat. c. 28.*

IV. Sicut Parvulus, cui amplum à Parentibus Patrimonium relictum est, Tutore eget, non propter indigentiam opum, sed propter bonum usum earundem; sic homo justus eget assistentiâ Spiritûs sancti, non propter indigentiam gratiæ, sed ut eâ bene uti queat. *Lud. Gran. loc. comm. fol. 740.*

V. Sicut Apodes aves, ubi semel terram attigerint, quia quasi sine pedibus sunt (unde & Apodes vocantur) non possunt se ampliùs elevare, nisi vento flante, eàsque elevante; ita postquam homo in peccatum cecidit, seipsum erigere non potest, nisi Spiritûs sancti flamine, gratiáque adjutus. *Marchant. Hort. Past. tr. 5. lect. 2.*

Utilitas.

VI. Sicut turpitudo nuditatis vestimento tegitur; ita naturalia mala carnis nostræ præceptis & gratiâ divinâ teguntur. *S. Chrys. in Matth. c. 27.*

VII. Sicut Sol tenebras fugat; ita gratia peccatum ex anima pellit. Hinc S. David dicit: Quantùm distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. *Ps. 102. v. 12.*

VIII. Sicut Agricolæ surculos, quos transplantare volunt, colligatos in aqua aut rore conservant; sic DEUS custodit animas Justorum, quos in cælo vult arbori vitæ æternæ inserere. *Lampart. de præst. grat. c. 11.*

IX. Sicut si quis seniculum quendam fœda scabie opertum, peste quoque ac morbo incurabili laborantem, in summa inopia curandum assumens, extemplò sanum, & in flore ætatis constituat, ita ut ore splendorem, oculis jubar quoddam ejaculetur, & omnes anteeat formæ præstantiâ, purpureâ insuper chlamyde, diademate, & omni regio cultu exornet; sic animam DEI gratia è peccatis eductam, elegantem, & mirè amabilem efficit. *S. Chrysost. hom. 1. in ep. ad Eph.*

X. Sicut per trochleam ingentia pondera, saxa, trunci, magna vasa &c. subitò in aëra attolluntur, & velut in sublimiorem naturam mutantur; ita homines gravi corde, & peccatorum pondere pressi, per gratiam eriguntur, & in alios quodammodo homines mutantur. *Lud. de Ponte in Cant.*

XI. Sicut omnis Natio, quæ sub cælo est, illustratur à Sole; ita DEUS usquequaque gratiæ suæ radios diffundit, & per eam corda illuminat. *Engelgr. Dom. 2. Pasch. §. 3.*

XII. Sicut Pater amat Filium, quia ejus caro & sanguis est, ejúsque nomen, formam, & mores repræsentat; ita DEUS amat hominem justum, uti Filium, quia ejus gratiam in se habet, ejúsque moribus se accommodat. *Faber conc. 3. in Dom. Pent.*

Dignitas.

Lampart. de grat. c.17.

XIII. Sicut si quem Rex aliquis ita diligere posset, ut non regia solùm ornamenta offerret, sed mores etiam & sensa regij pectoris transfunderet; insuper suo illum spiritu afflans, daret ei non aliâ, quàm suâmet Regis animâ vivere, talis meritò felicissimus, omníque honore dignissimus affirmaretur; ita cùm per gratiam in DEO vivamus, moveamur, & simus, meritò summa nobis dignitas accessisse credenda est.

S. Hier. apud Lampart. c.19. de grat.

XIV. Sicut primus homo conditus est ad imaginem & similitudinem DEI; ita in secunda regeneratione, quicunque Spiritum Sanctum fuerit consecutus, obsignatur ab eo, & figuram Conditoris accipit.

Idem c.30.

XV. Sicut semen est aliquid fructûs, quod in sua virtute totum fructum & arborem continet; ita gratia aliquid DEI est, ac suo modo continet omnia, quæ in DEO sunt.

§. VII.

MOTIVA

Ad gratiam æstimandam, & conservandam.

S. Chrysost. in Matth. 21. ho.32. Idem in c. 19 Matth.

I. NEcessitas: nam sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempestas voluerit; sic & homo divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit, quod non vult, sed quò Diabolus ipsum rapit. Et iterum sicut terra non germinat, nisi pluvias susceperit, nec pluvia fructificat sine terra; ita nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia aliquid potest, ut rectè S. Chrysostomus discurrit.

Anonym.

II. *Utilitas*: si enim divitiæ temporales tantopere amantur ob utilitatem, quam habent, ad vitam temporalem commodè & jucundè transigendam; quantò magis gratia amanda & augenda est, per quam velut spiritualem pecuniam, gloria & vita æterna omni felicitate abundans comparatur.

S. August. l. 6. de Virg.

III. *Dignitas*: nam major est dignitas per gratiam obtenta, quàm ipsa dignitas Matris DEI; nihil enim, teste S. Augustino, materna propinquitas MARIÆ profuisset, nisi feliciùs Christum corde, quàm carne gestâsset.

Anonym.

IV. *Jucunditas*: si enim tam jucundus accidit labor Agricolis, semen materiale in terram jacientibus; quantam lætitiam afferet semen gratiæ, quod in gloriam, & quidem tantam crescet, in animam hominis conjectum?

§. VIII.

MEDIA

Ad eundem finem.

1. Petr. 5. v. 5.

I. HUmilitas: nam, ut DEUS superbis resistit, ita humilibus dat gratiam.

S. Bern. s.77.

II. *Timor sanctus*: ita S. Bernardus suasit, dicens: In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si omni tempore coram DEO inveniaris, non altùm sapere, sed timere; sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergo, cùm affuerit gratia; time, cùm abierit: time, cùm denuò revertetur, & hoc est semper pavidum esse.

Idem s. sup. in Cant.

III. *Mundities cordis*: nam gratia, teste S. Bernardo, balsamum purissimum est, & ideo purum, solidum, & profundum vas requirit.

Blosius c.4. monil. spir.

IV. *Pœnitentia*: nam, ut S. Gertrudis divinitus edocta est, omnes cogitationes, quibus homo cum mœrore suum retractat defectum, post dignè peractam pœnitentiam nihil aliud sunt, quàm quædam dispositio & præparatio ad gratiam recipiendam. Imò ut S. Mechtildis vidit, quoties anima in paupertate Spiritûs ad DEUM suspirat, vel ingemiscit, desiderans ejus gratiam, statim omnes Sancti gratiam illi animæ impetrant, ac veniam obtinent. *Ibid.*

S. Chrys. in 2. ad Tim. hom. 10.

V. *Cooperatio*: sicut enim ignis indiget lignis; ita & gratia alacritate nostra, & cooperatione opus habet, ut fervere perpetuo possit.

L. 2. c.10. §. 5.

VI. *Gratitudo*: sic enim pius Asceta suasit, dicens: Qui gratiam retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata. Oret, ut redeat: cautus sit & humilis, ne amittat.

L.1. c. 25. §. ult.

VII. *Generosa sui victoria*: nam tantùm proficies (in gratia & gloria) quantùm tibi vim intuleris.

§. IX.

ASCETICA.

I. QUatuor sunt, quæ Asceta de gratia specialiter nôsse, & observare debet. Primum est, ut DEO circa distributionem gratiæ plenè acquiescat, recolens illud S. Augustini: DEI gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta esse non potest. *S. Aug. l. de bapt. parvul.*

S Thom. 1. 2. q.113. a. 9. ad 2. Nierenb. de ador. l.3 c.8.

II. Alterum est, ut eandem gratiam dignè æstimare discat, quod facilè assequetur, si firmiter sibi doctrinam S. Thomæ persuadeat asserentis, bonum gratiæ unius majus esse bono totius naturæ universi. Quod quia difficulter aliqui capiunt, ideo monet Nierenbergius, ut, quemadmodum oculum videntem parvas stellas ratio corrigit, & docet singulas majores esse toto terræ globo; sic opinionem, quâ gratiam ut rem exiguam apprehendimus, corrigamus, & minimam ejus partem, toto universi imperio majorem esse credamus.

S. Thom. opusc. 61. c.17.

III. Tertium est, ut se legitimè disponere sciat ad gratiam: quâ de re sic loquitur S. Thomas: Bonum est diffusivum sui: sed sicut Sol lucet semper, non semper illuminat: ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum; sic DEUS effluit, sed non influit, nisi recipienti & disposito (quæ dispositio est conversio animæ ad DEUM per potentias.) Verùm DEUS sine mensura effluit, sed cum mensura recipis. Hinc & S. Augustinus dixit: Desiderando, ô homo, capax efficeris, ut implearis. *S. Aug. tr. 4. in ep. 1.*

Gerson tr. de parvul. adducend. ad Christũ.

IV. Quartum est, ut cooperari gratiæ sedulò studeat; nam, ut advertit Gerson, plerumque fit justo DEI judicio, ut, qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis DEI, & talentis summi Patrisfamilias in primo ætatis vigo-

re, dum fas erat; postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Iob. 28. v. 15. & 17. I. DE gratia rectè dicitur illud Jobi: Nescit homo pretium ejus: non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus.

Psal. 148. v. 5. II. Omnia reliqua vix uno alteróve verbo steterunt DEO (dixit enim, & facta sunt) sola gratia stetit ingenti labore, gravissimis doloribus & contemptibus, sanguineo sudore, diris plagis & vulneribus, morte ignominiosissimâ Sancti Sanctorum.

Utilitas.

Engelgr. Dom. 4. Quadr. §. 2. III. Cùm Elisabetha Angliæ Regina Cancellarij sui ædes subintrans, ejus angustias satis mirari non posset, Cancellarius sic eam salutavit: Ædes hæ, ô Regina, non sunt nimis angustæ, sed tua Majestas me fecit nimis magnum pro his ædibus. Cui Regina: Si te magnum fecerim, amplificabo ædes, ut illæ tali viro, quem extuli, congruæ sint. Quidni multò magis DEUS, qui nos per gratiam Amicos suos fecit, domum Animæ suis muneribus amplificabit.

Lampart. conf. 15. de grat. IV. Varro putavit utile esse civitatibus, ut se viri fortes credant ex Diis genitos, ut eo modo animus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediatur, & fortiter perficiat.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Rom. 8. v. 16. I. EX occasione thematis: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus Filij DEI:* possunt explicari dignitas & fructus gratiæ, per Filij similitudinem. Et 1. ostendi, cujus Filium gratia efficiat, nimirum DEI, Regis Regum, & Domini Dominantium. 2. Quo fructu & effectu faciat Filium; ut scilicet sit hæres DEI, & cohæres Christi. Ubi hæreditatis hujus præstantia & magnitudo explicari potest, quòd scilicet nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparavit DEUS diligentibus se. (*1. Cor. 2. v. 9.*) 3. Quantopere deceat, ut vitam tanto titulo dignam vivamus, & illis cujuspiam Religiosi verbis nos mutuò adhortemur: Non degeneremus ab excelsis cogitationibus Filiorum DEI.

Sap. 7. v. 14. II. Ex occasione thematis: *Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI:* potest explicari gratiæ præstantia per amicitiæ comparationem. Et 1. ostendi, cujus faciat amicum, quàm sublimis, quàm potens, quàm amabilis, quàm fidelis sit. Ut verè exclamare possimus cum S. Gregorio (*S. Greg. in c. 15. Io.*): O mira divinæ bonitatis dignatio: servi digni non sumus nominari, & amici vocamur. 2. Quo fructu amicum efficiat, ut scilicet omnia communia faciat, & illud homo justus audire mereatur: Omnia mea tua sunt, & tua mea. Sicque impleatur illud Siracidis: Qui invenit amicum fidelem, invenit thesaurum; amico enim fideli nulla est comparatio, & non est comparatio auri & argenti contra bonitatem illius. (*Eccl. 6. v. 14.*) 3. Quàm æquum sit, ut agglutinetur anima nostra per amorem tali amico, & diligamus eum sicut animam nostram, maximè cùm ipse non tantùm vili tunica se expoliaverit, sed exinaniverit semetipsum, formam servi pro nobis accipiens.

III. Ex occasione thematis: *Ut societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus JESU Christo:* (*1. Ioan. 1. v. 3.*) potest ejusdem gratiæ dignitas & fructus per societatis comparationem explicari. Et 1. ostendi, quinam veri sint socij; quem in finem serviet descriptio à Dionysio Carthusiano in hæc verba data (*Dionys. Carthus. in cit. loc. Ioan.*): Socij appellantur, qui libenter sunt simul, & familiariter colloquuntur, separationis quoque impatientes, atque ad specialem unionem aspirant: qui & secreta sua sibi invicem pandunt: fidelitatem simul contestant: de mutua jucundantur præsentiâ: in actibus suis communicant, quoniam eadem libenter efficiunt. Imò sibi invicem cooperantur, & mutuò opem impendunt, & unus prosperitatem cupit alterius. 2. Ostendatur, quàm perfectè hæc omnia DEUS erga Justos impleat. 3. Pariter demonstretur, quomodo nos vicissim hæc observare debeamus, & quantum ex tali societate fructum & solarium simus reportaturi, ut mentò citatus Auctor exclamet: O quanta est ista rationalis creaturæ nobilitas, habere cum Divina Natura consortium, atque cum proprio Creatore societatem sortiri! imò & illud Esau suo modo audire: Gradiamur simul, eróque socius itineris tui. (*Gen. 33. v. 12.*)

IV. Ex occasione thematis: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius:* (*Sap. 7. v. 11.*) possunt innumeri fructus gratiæ explicari. Et 1. quomodo bonum *utile* obveniat; quoniam omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius (*ib. v. 9.*); cùm per illam solàm velut condignum pretium, felicitas & bona æterna comparari ac emi queant. 2. Quomodo bonum *honestum* obveniat: cùm faciat Filium, & Amicum DEI, imò quodammodo unum Deo, afferátque secum virtutes, quæ sunt Mater gloriæ, teste S. Bernardo. Ut adeò verè exclamaverit S. David: Nimis honorificati sunt amici tui DEUS. (*Ps. 138. v. 17.*) 3. Quomodo etiam bonum *delectabile* obveniat: Verè enim dicere justus potest cum Salomone: Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia (& gratia) & ignorabam, quoniam horum omnium Mater est. Quæ enim major jucunditas & delectatio obtingere homini potest, quàm si fini suo, summo bono conjungi, & in eo velut centro quiescere possit?

Prov. 4. v. 23. V. Ex occasione thematis: *Omni custodiâ serva cor tuum, quoniam ex ipsô vita procedit:* potest gratia vitæ comparari. Et 1. narrari fabula de Prometheo, statuam luteam fingente, & de cælo particulam divinæ auræ, quâ statuam animavit, afferente. Ostendatur subinde, id rectiùs de homine dici, qui velut statua immobilis foret, nisi per gratiam velut vitam animaretur. 2. ostendatur, quàm verè gratia faciat vivere, id est, ab intrinseco moveri, item nutriri seu crescere in virtutibus ac meritis: sentire, id est, cælestia videre; audire inspirationes DEI; odorari exempla Christi & Sanctorum; gustare, quàm suavis sit Dominus, & tangere mandata DEI &c. denique etiam ratiocinari, id est, meditari vitam & doctrinam Christi, & appetere finem suum ultimum, ad quem Christus viam suis virtutibus ostendit. 3. ostendatur, quàm æquum proinde sit, ut vitam istam, quam nemo invitis nobis auferre potest, omni custodia, id est, conatu conservemus, sumentes cibum animæ, & declinantes pericula latronum vitam istam eripere satagentium.

§. XII.

AUTHORES.

I. HEnricus Lamparter de præstantia gratiæ DEI.

II. Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 738.

III. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. 5.

IV. Mathias Faber in festo Pentecost. conc. 3. & 4.

V. Henricus Engelgrave in p. 2. Lucis Evangel. conc. 18.

VI. Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano p. 2. c. 1.

VII. Thomas Kempensis l. 3. de imitatione Christi c. 54. & 55.

VIII. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

TITVLVS XXI.

HONOR.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



Jos. Lang. in polyant. V. eod. S. Thom. 2. 2. q. 103. a. 1. ad 2. EST reverentia exterior, quæ alicui ob excellentiam defertur. Hinc S. Thomas definivit, testificationem excellentiæ alterius. Distinguitur autem à *Fama*, quòd hæc in interna opinione consistat: à *Laude*, quòd hæc sit testificatio excellentiæ alterius verbis manifestata: honor autem aliis signis exterioribus eandem excellentiam testetur.

Divisio.

II. Dividitur in divinum & humanum; ille est, qui DEO ob singularem excellentiam soli defertur; & à Græcis Latria vocatur; hic est, qui hominibus vel etiam Angelis defertur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. 37. v. 29. I. SApiens in populô hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.

Eccl. 10. v. 27. II. Magnus, & Judex, & Potens est in honore; & non est major illo, qui timet DEUM.

Ib. v. 23. III. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet DEUM: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

1. Reg. 2. v. 30. IV. Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Damnum.

V. Elevâsti me, & quasi super ventum (id est, loco honoris editissimo) ponens, elisisti me valdè! *Job. 30. v. 22.*

VI. Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergêris. *Luca 10. v. 15.*

VII. Qui se exaltat, humiliabitur. *Ib. 14. v. 11.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. HOnor verus, virtus animi est; hic honor nec à Cæsaribus præstatur, nec adulatione conquiritur, nec pecuniâ præparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti: hujus honoris successor est, nullus accusator, nullus ingratus. *S. Chrys. de repar. lapsi.*

II. Inter res exteriores hominis simpliciter & absolutè maximum est honor, ob quem assequendum homines, & vituperium vitandum, alia omnia postponunt. *S. Thom. 2. 2. q. 129. a. 1.*

III. Coëgit & perversitas Mundi, & operatio inimici, honores ut videantur esse, & revera non sint, præterquam ministeria. *S. Chrys. super c. 2. Matt.*

IV. Reddendus est honor ei, qui honore dignus est, & ita quidem, ut nec adulationem adhibeamus, neque illius benevolentiam ceptemus (metuendum est enim, ne quis per hæc in vilitatem & contemptum incidat, & assentationem quandam scurrilem exercens, semetipsum probro afficiat) sed cum decoro convenientè id, quod decet, unicuique tribuendum est. *S. Isidor. Pelusiot. l. 4. ep. 16.*

V. Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *S. Bern. in Cant.*

VI. Virtus mater gloriæ (& honoris) est; sola enim est, cui gloria jure debetur, & securè *Idem.*

 impen-

impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, periculosè captatur.

Damnum.

Petrus Raven. in quod. serm. VII. Divitias & honores sollicitudo inseparabiliter comitatur; pompa Mundi, & favor populi fumus est, & aura subitò evanescens, quæ, si plerumque placeant, pœnitudinem inducunt; & si delectant ad modicum, productiore spatio displicebunt.

S. Greg. in Regestro. VIII. Dejecisti eos, dum allevarentur: cùm allevatur, dejicitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit.

§. IV.
EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 3. c. 40. §. 6. I. OMnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas est & stultitia.

L. 3. c. 10. §. 5. II. Magnus honor, magna gloria, tibi servire, & omnia propter te contemnere.

L. 2. c. 6. §. 2. III. Brevis gloria, quæ ab hominibus datur, & accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientiis eorum, & non in ore hominum.

§. V.
EXEMPLA.

Honor spretus.

Joan. 6. I. CHristus, cùm post miraculum insigne patratum Populus eum Regem facere vellet, fugit, & honori se subduxit.

Joseph. l. 2. antiq. c. 5. II. Moyses adhuc Puer, cùm in sinu Pharaonis à Filia collocato, Rex diadema capiti illius imposuisset, indignabundus in terram abjecit, & pedibus conculcavit.

Sur. to. 6. in vit. III. S. Malachias ad onus Archiepiscopale vocatus, omnibus modis recusavit. Anathema verò, nisi pareat, minitantibus, tandem acceptavit dicens: Ad mortem me ducitis, sed obedio spe martyrij.

Sur. to. 5. in vit. IV. S. Franciscus rogatus à Domino Hostiensi, utrum suos Fratres ad Ecclesiasticas dignitates promoveri vellet? respondit: Minores ideo vocati sunt Fratres mei, ne majores fieri præsumant.

Niceph. l. 8. c. 40. V. S. Antonius frequentibus Literis à Constantino Imperatore vocatus, venire recusavit, dixitque: Si quidem ad Imperatorem venero, Antonius ero: sin minùs, Eremita Antonius.

Platina in vita Paschalis II. VI. Godefridus Bullionius, cùm ob devictam Solymam Christiani Principes eum Regem proclamâssent, auréamque coronam obtulissent, regni quidem titulum rogatus non abnuit; coronam verò capiti imponi noluit dicens: Indignum est, aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex Regum Christus pro hominum salute spineam portavit.

Munsterus l. 9. Cosmog. c. 19. VII. Carolus Magnus, cùm Saxones, aliíque finitimi Populi ad pedes ejus prociderent, séque obsequio ejus devoverent, illis in brachia acceptis dixit: Nolo, vos mihi servire, sed DEO.

Damnum.

Engelgr. Dom. 2. Pasch. §. 1. VIII. Eulogius Lapicida, cùm invento thesauro viam sibi ad summos honores stravisset, adeò mutatus est, ut nec DEUM, nec homines amplius curaret; quousque in antiquam vilitatem dejectus, resipuit, honorúmque vanitatem & inconstantiam agnovit.

Vide plura tit. Ambitio. p. 2. Bibliotheca Manualis.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.

Vita. l. 2. c. 3. I. S. Franciscus Borgia, abdicato Ducatu, sæpiùs oblatum Cardinalatûs honorem recusavit dicens: DEUM precatus sum, ut mihi vitâ priùs abire liceat, quàm titulis iterum, honoribúsque invitum onerari.

Arriag. l. 2. to. 1. in epist. dedic. II. Cardinalis Lugo à purpura sic abhorruit, ut ad primum illius nuntium in deliquium inciderit, dúmque iterum sibi restitutus est, in has voces eruperit: Miseremini mei, miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.

Hist. Soc. p. 2. l. 8. n. 216. III. Jacobus Laynes Episcopatum Majoricensem, Archiepiscopatum Pisanum ac Florentinum, Cardinalatum, & Pontificatum, pro quo duodecim jam vota habebat, recusavit.

Ibid. l. 3. n. 47. IV. Episcopatum quoque Viennensem Petrus Canisius, Tergestinum Claudius Jaius, & alium Nicolaus Bobadilla recusavit.

Vide plura tit. Ambitio p. 2. Bibliotheca Manualis.

§. VII.
EXEMPLA PROFANA.

Ælian. l. 6. I. THemistocles, cùm quendam anxiè Magistratum sollicitantem intelligeret, dixisse fertur: si mihi duas ostenderitis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceret, multò libentiùs priorem ingrederer.

Erasmus. II. Seleucus dicere solebat, paucis notum esse regnum, ac Magistratum, ac neminem, qui illud noverit, inventum iri, qui diadema regium humi projectum tolleret.

Beyrlinck. to. 3. in festo S. Jacobi. III. Antigonus in Regem adscitus, priusquam diadema capiti imponeret, ô nobilem magis, ajebat, quàm felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quàm multis sollicitudinibus, periculis, & miseriis sit refertus, nec humi quidem jacentem tollere vellet.

Josephus Lang in polyanth. V. eod. IV. Alexander Severus Imperator creatus, cùm vix annos sedecim natus esset, ob virtutes eximias, titulis magnificis à Senatu decoratus, nunquam in animum induxit, ut se Magnum, & Patriæ Patrem nominari pateretur; oportere enim, ajebat, ut res gestæ, maturiórque ætas ea nomina pararent.

Jos. Lang. V. eod. V. Maximus Senior Cæsar nunquam ad oscula pedum quemquam admisit dicens: Dij prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat.

§. VIII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Ibid. I. SIcut flores coronarij sine odore; sic se habent honores quæsiti ex stemmate, ambitione, opúmque multitudine.

Senec. L. 2. epist. 10. II. Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur, vel à tergo est; ita honor aliquando

quando ante nos est, & visendum se præbet, aliquando in averso est, majórque, quò senior.

Utilitas.

Erasm. l. 5. apopht. III. Sicut Tinctores eum potissimùm colorem panno inducunt, quo homines maximè delectari vident; ita Juventus ad ea potissimùm rapitur, quibus populus honores defert.

Damnum.

Plutarch. in moral. IV. Sicut Colossi seu statuæ malè libratæ sæpius evertuntur; ita nimiùs honor per invidiam multos avertit.

Idem. V. Sicut deciduæ stellæ subitò extinguuntur; ita qui repentè ad summos honores evehuntur, citò præcipitari solent.

Thevverus apopht. 165 VI. Sicut Coquinæ nidor nequaquam hominem nutrit, sed olfactu tantùm provocat; ita nec honores quemquam beant, sed infamem duntaxat pruritum excitant.

Idem apopht. 154. VII. Sicut is, qui capite dolet, coronamentis sertis gravatur magis, quàm recreatur; eóque magis, quò majorem illa odorem spirant; ita neque honores vitæ commoditati quidquam conducunt, sed insigniter officiunt.

§. IX.

ASCETICA.

I. TRia sunt præcipuè, quæ de honore Asceta specialiter advertere debet. Primum est, ut sciat, unde verè quisque æstimandus, honórque illi tribuendus sit. Id quod Seneca *(Seneca in epist.)* sequentibus verbis docet: Nemo eorum, quos divitiæ, honorésque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi sua illum metiris. Minutus pumilio, licet in monte constiterit; Colossus magnitudinem servabit, etiamsi in puteo constiterit. Hoc laboramus errore, quòd neminem æstimamus ex æquo. Cùm verò velis æstimationem hominis inire, & scire, qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, honores, & alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat, & animum intuere, qualis sit, quantúsque, alieno, an suo magnus.

II. Alterum est, ut vanitatem honoris mundani cognoscat; utpote qui ex alieno arbitrio dependet, & plerumque etiam indignissimis confertur. Unde meritò eundem Sapientissimi quique, sanctissimíque viri sunt aversati.

Panormit. de gestis Alph. l. 2. III. Tertium est, ut solum honorem, qui ex virtute oritur, utpote solidum & verum sectetur. Unde jam olim Romani duo templa Virtuti & Honori sic ædificârunt, ut nulli ingressus in Honoris templum pateret, qui non per virtutis templum priùs transiisset.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. CIcero illum propriè honorem æstimari dicebat, quem quis neque Majorum commendatione, neque per alterius commendationem assecutus sit. *(Cicero in Philipp.)*

II. Non malè cecinit Ovidius:

In pretio pretium nunc est, dat census honores, *(Ovid. l. 1. Fast.)*
Census amicitias, pauper ubique jacet.

III. Et alius, honorum desiderium explicaturus: *(Persius Satyr. 1.)*

— — An erit, qui velle recuset.
Os populi meruisse?

IV. Urbanus VII. quoties amiculum è subtili tela induebat, alto pectore ingeminans dicebat: quis crederet, sub tam levi sindone tantùm ponderis delitescere? *(Engelgr. in Dom. Palmar. §. 1.)*

Utilitas.

V. Aristoteles dicebat: Quâ in civitate non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus civitatis status stabilis & firmus esse nullatenus potest. *(Arist. l. 2. de republ. c. 9.)*

VI. Sed & Valerius Maximus, virtutis uberrimum alimentum honorem esse dixit. *(Val. Max. de instit. antiq. l. 2.)*

Damnum.

VII. Veteres regnum nunc splendidam servitutem, nunc auratos compedes, nunc falsam felicitatem; inter Christianos verò statum miserrimum, salutis naufragium, curarum ac discriminis abyssum, libertatis vinculum vocabant. *(Beyrlinck text. 3. in festo S. Iacobi.)*

§. XI.

AUTHORES.

I. HEnricus Engelgrave p. 2. Lucis Evang. in Dom. 16. post Pent. §. 11.

II. Laurentius Beyrlinck text. 3. in festo S. Jacobi. Et in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

III. Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 584.

IV. Nicolaus Lancizius opusc. 8. lib. 2. præcipuè c. 5. n. 51.

V. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.



TITV-

TITVLVS XXII.

LABOR.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Cicero l. 2. Tusc. quæst.



EST juxta Ciceronem, functio quædam animi vel corporis, gravioris operis vel muneris. Vel breviùs: est feria occupatio hominis.

Divisio.

II. Dividitur in laborem *mentalem* & *corporalem*; ille est, quo animus seu mens potissimùm exercetur, uti est studium, meditatio &c. iste est, quo corporeæ vires præcipuè occupantur, uti sunt Artificum & Opificum, aut Operariorum ac Servorum occupationes.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Gen. 2. I. TUlit ergo DEUS hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.

Prov. 6. v. 6. II. Vade piger ad formicam, & considera viam ejus, & disce sapientiam: quæ, cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.

Eccl. 7. v. 16. III. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.

Prov. 10. v. 5. IV. Qui congregat in messe, Filius sapiens est: qui autem stertit æstate, Filius confusionis.

Eccl. 11. v. 6. V. Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis, quid magis orîatur, hoc aut illud: & si utrumque simul, melius erit.

1. Thessal. 4. v. 10. VI. Rogamus vos Fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.

Necessitas.

2. Thessal. 3. v. 10. VII. Cùm essemus apud vos, denunciabamus vobis, quoniam, si quis non vult operari, non manducet.

Iob. 5. v. 7. VIII. Homo nascitur ad laborem; & avis ad volatum.

Gen. 3. v. 17. IX. Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultûs tui vescêris pane.

Eccl. 25. v. 5. X. Quæ in juventute tua non congregâsti, quomodo in senectute invenies?

Utilitas.

XI. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium (id est, laborantium) divitias parat. *Prov. 10. v. 4.*

XII. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Prov. 12. v. 11.*

XIII. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis serviet. *Ib. v. 24.*

XIV. Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. *Prov. 13. v. 4.*

XV. Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. *Psal. 127. v. 10.*

XVI. Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino. *1. Cor. 15. v. 58.*

XVII. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. *Eccl. 51. v. 35.*

Dignitas.

XVIII. Bonorum laborum gloriosus est fructus. *Sap. 3. v. 15*

XIX. Justum deduxit Dominus per vias rectas, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. *Sap. 10. v. 10.*

Jucunditas.

XX. Dulcis est somnus operanti, sive parùm, sive multùm comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire. *Eccl. 5. v. 11.*

XXI. Vita sibi sufficientis Operarij condulcorabitur, & in ea inveniet thesaurum. *Eccl. 40. v. 18.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. SErius animus & prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper præ oculis habens non tam, quod agit, quàm quòd agendo intendit, omnis consummationis attendit finem. *S. Bern. de vita solit.*

II. Ad laborem cùm veneris, sic temperabis opus agendum, ut sollicitudo operis intentionem animi tui ab ijs, quæ DEI sunt, non avertat. *Idem in doctrin.*

Necessitas.

III. Qui in labore Hominum non sunt, in labore profectò Dæmonum erunt. *Idem sup. Cant.*

IV. DEUS posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit. Idcirco otiosus ab ordine suo & creatione deficit. *S. Chrys. in 2. ad Thessal. 3.*

V. Qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, in die judicii parem quoque in laborando industriam reposcet. *S. Basil in reg. 27. fusior.*

VI. Homo ad laborem nascitur, & avis ad volatum, quia inde mens ad summa volat, unde caro in infimis diuniùs laborat. *S. Gregor. l. 7. moral. c. 6.*

Utili-

Utilitas.

S. Bern. s. 3. de Nativ. VII. Agnoscant Homines, quòd qui in laboribus Hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant, quàm placeat Superis civibus labor, cujus spiritualis intentio est.

Cass. l. 5. instit. c. 21. VIII. Labor carnalis, Spiritûs contritioni conjunctus, acceptissimum DEO sacrificium, dignúmque sanctitatis habitaculum, puris, mundísque recessibus exhibebit.

S. Gregor. in moral. IX. Sancti Viri, quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenent.

S. Hier. in Epist. X. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.

§. IV.

EXEMPLA.

Qualitas.

Psal. 87. v. 16. S. Basil. const. mon. c. 5. I. CHristus in laboribus fuit à juventute sua. Quod idem etiam confirmat S. Basilius dicens: Christus primâ suâ ætate Parentum suorum imperio subjectus fuit, & labores corporis æquo cum ipsis animo illis obediens toleravit. Verisimile enim est, cùm Homines illi essent, & justitiæ, & pietatis Cultores, tenues tamen, neque necessariis ad vivendum copiis satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille fœtus est fotus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hâc ratione quotidianum victum quæritare. Porro JESUS, cùm in his, ut divinæ literæ prædicant, esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam unà cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam.

In reg. S. Birgitt. c. 23. II. De B. Virgine Christus S. Birgittæ dixit: Mater omne tempus suum tribus distinxit temporibus; unum, quo laudavit DEUM ore suo; aliud, quo manibus ei serviebat: tertium, quo corporis infirmitati compatiens, necessaria tribuit ei juxta modum.

Act. 20. v. 33. III. S. Paulus ipsemet de se fatetur, se argentum aut aurum nullius concupivisse, sed ad ea, quæ sibi opus erant, manus suas ministravisse.

S. Bern. de ejus obitu. IV. S. Humbertus licèt jam ferè decrepitus, ad ultimum usque vitæ suæ triduum, laboribus manualibus se exercebat, uti S. Bernardus testatur.

Lancic. opusc. 15. n. 54. V. S. Franciscus Seraphicus, licet infirmæ admodum valetudinis, nunquam sibi passus est à Fratribus ministrari, sed ipse suis manibus pavimentum purgavit, & laceras vestes refecit.

Surius in Ionae. VI. S. Ulmarus Abbas Monasterium ingressus in se recepit curam boves pascendi, & ligna ad Fratrum officinas portandi, & nocturnis horis, cùm se Fratres somno dedissent, omnium calceos purgandi.

Cassian. collat. 3. c. 1. VII. Paphnutius Presbyter nonagenarius vas aquæ, quam per totam hebdomadem erat sumpturus, suis cervicibus per quinque millia passuum portabat ad cellam, & nunquam passus est sibi eam à Junioribus deferri.

Rosweid. l. 1. fol. 141. VIII. S. Pachomius suis manibus serebat olera, & irrigabat; atque circa prandij tempus mensam parabat, & Fratribus solita officia exhibebat.

Vita l. 1. c. 7. IX. S. Bernardus in virtute Spiritûs simul & totus quodammodo laborabat exteriùs, & totus interiùs vacabat, in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris tempore & intus orabat, seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, & exteriùs laborabat absque jactura interioris suavitatis. Et, ut alio in loco dicitur, ita sese fecerat omnium servum, ac si toti genitus foret orbi: ita tamen liber ab omnibus, conscientiæ suæ curam gerens, tanquam soli deditus curæ & custodiæ cordis sui. *Lib. 3. c. 7.*

Sozomen. l. 6. c. 1. tripart. hist. X. Dorotheus Monachus quotidie lapides ad mare colligebat, annuatimque fabricabat hospitium pro ægrotis. Cùmque aliquis illi diceret; cur ita conficis corpus tuum? respondit: quia illud me occidit.

Cassian. l. 3. instit. c. 2. XI. Monachi Ægyptij, teste Cassiano, labore manuum incessanter se in cellulis exercebant, sed ita, ut Psalmorum quoque vel cæterarum Scripturarum Meditatio nunquam penitus omittatur.

Panorm. l. 3. de rebus Alph. XII. Alphonsus Rex, cùm à Matthæo Siculo eximiæ sanctitatis viro reprehensus fuisset, quòd manibus laboraret, subridens respondit: Numquid DEUS & Natura Regibus frustra manus dederunt?

Utilitas.

Spec. Exempl. ex. 103. & Lancic. opusc. 15. c. 6. XIII. B. Virgo Cistercienses Monachos, cùm toto die in agro laborâssent, in dormitorio dormientes invisere cum aliis duabus pedissequis conspecta est, vasculúmque portans Cellario id videnti dicere: Meos ego hodie Monachos in agro invisi, eorúmque sudores in hoc vasculum collegi, quorum odor & mihi, & Filio meo suavissimus afflatur, dignus utique suo præmio ac mercede.

Ibid. XIV. Aliàs Reinaldo vidente, ad Fratres in agro laborantes descendere, atque singulos amplexata & osculata, sudorem à frontibus abstergere dignata est.

Ibid. n. 70. XV. Sed & Cisterciensis Familiæ Coquo, cùm tota die labore culinæ ob Hospites occupatus, noctu preces Magnæ Matri persolvere vellet, sed ob urgentem somnum vix posset, adstitit, & his verbis allocuta est: Fili bone, satis tu quidem hactenus mihi fecisti, confer te nunc parùm ad quietem.

Cæsarius l. 7. c. 52. XVI. Idem etiam Hermanno Monacho officium præstitit, dum eundem, cùm è lecto ad horam, quam nondum dixisse se meminerat, recitandam descendentem quiescere jussit, séque horam pro eo persoluturam spopondit.

Lancic. op. 15. n. 74. XVII. S. Arsenius postquam diu in Monasterio vixisset, rogatus, in qua re maximè confideret: In eo, respondit, quòd homines fugi, quòd tacui, quòd flevi; at in eo potissimùm, quòd manibus laboravi.

S. Climac. grad. 4. XVIII. Cùm Menna Monachus 59. annis in humilibus laboribus summa cum diligentia & alacritate ministrâsset, tertiâ die post mortem sua-

suavissimus odor ex sepulchro exhalare compertus est; quare aperto loculo repertum est ex duobus pedibus velut fontibus suavissimum unguentum profluere. Quo viso Abbas ad Fratres conversus, videtis, inquit, ut fatigationem illius, ac laborum sudores quasi revera unguentum pretiosissimum oblati, susceptique à DEO sint.

Rosvveid. f. 589. XIX. Cùm Eremita quidam aquam per duodecim millia passuum apportare solitus, constituisset, cellam fonti propiorem facere, Angelus ipsum sequens vestigia numeravit, quem cùm Eremita conversus quæsivisset, quis esset? ille, Angelus sum, respondit, missus numerare vestigia tua, ut competentem suo tempore mercedem recipias. Quo audito Senex adeò roboratus est, ut cellam remotiori longè in loco ædificaverit.

§. V.
EXEMPLA DOMESTICA.

Lancic. opusc. 15. n. 15. I. Cùm Alphonsus Rodriquez aliquando quendam Patrem ad longiusculum spatiom ascensúque difficile comitatus fuisset, B. Virgo medio in itinere eidem apparuit, & frontem illius sudantè candidissimo linteo abstersit.

Ibid. n. 16. II. Simon Muratitius P. Petro Scargæ Rectori Collegij Vilnensis totus splendidus, sed in manibus præcipuè apparuit; dixitq; causam majoris splendoris esse, quòd manibus illis specialiter pro DEI gloria laborâsset.

Ibid. n. 9. III. Vincentius Scortiglia, licet per trigintà annos podagræ doloribus fuerit exercitatus, domestica tamen munia & labores cum magna caritate obivit, unde post mortem cum suavissimo concentu P. Julio Mancinello apparuit, & sequenti die inter Cœlites conspectus est.

An. 1603. Coll. Cremlovienss. IV. Paulus Vergius, licet quatuor minoribus Ordinibus jam initiatus, abdicatis studiis ultro se domesticis servitiis addixit, & ex his graviorem semper abjectioremque laborem depoposcit, dicere solitus, quò quis diutiùs in Societate vivisset, tantò minùs de otio & quiete illi cogitandum esse: Et qui perseverare ac mori in Societate velit, illi laboribus immoriendum esse.

Annua 1612. f. 318. V. Hubertus Vayemberg Lovaniensis laborem non minori voluptate, quàm quietem, amplectebatur; unde cùm postea ob morbum in lecto hærere cogeretur, nihil ægriùs ipsum habebat, quàm quòd laborare non posset.

Annua 1613. D. Prob. Brim. f. 155. VI. Leonardus Buechlet summa semper animi quiete inter labores fruitus est, cui quieti pabulum pia inter labores commentatio subministravit, simúlque omnes laborum molestias abstersit.

§. VI.
EXEMPLA PROFANA.

Plin. l. 35. c. 10. I. Apelles nunquam diem aliquem prætermisit, permisit, quin lineam duceret, artémque suam exerceret. Unde subducere se aliis negotiis solitus dixit: Hodie nullam lineam duxi.

Iof. Lang. in polyant. V. eod. II. Severus Imperator tantus amator laborum fuit, ut, quò alios quoque ad laborem incitaret, Tribuno Symbolum dari jusserit; laboremus.

Ibid. III. Brachmanes Philosophi Pueros impransos foras protrudebant, si nihil utilis operæ, vel Parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent.

Ibid. IV. Parthi quoque Liberis suis non antè præbebant victum, quàm cursùs, jaculandique certamine suscepto, sudore circa capita diffuso, fessi permaduissent.

Ibid. V. Rusticus quidam, ut Filios suos ad laborem incitaret, moriturus iisdem dixit, se thesaurum in vinea sua recoditum ipsis relinquere, ac proinde, ut eum solicitè quærant, hortari; unde illi totam postea vineam circumfodientes, thesaurum quidem non invenêrunt, sed tamen ut effossâ terrâ vites uberrimum fructum referrent, effecerunt.

§. VII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Erasmus in simil. I. Sicut non statim, postquam semen in terram conjectum fuit, frugem demetimus, sed messem multis mensibus cũ magna patientia exspectamus; ita non decet à labore cessare, etsi non statim appareat fructus, quem sperabamus.

S. Bernard. S. 4. de alt. & bassit. cordis. II. Sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu; sic, imò multò meliùs laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut non vacet.

Necessitas.

Philo in l. de sacrif. Abel. III. Sicut à cibo pendet tota vita cum suis actionibus & effectibus; ita etiam à labore pendet, quidquid in rebus bonum est.

S. Cyprian. l. de abusib. IV. Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos priùs non apparuit; sic in senectute fructus colligere non potent, qui priùs eosdem in Juventute per laborem non comparavit.

Theodor. in apoph. 110. V. Sicut agrum, qui ad sementem paratur, scindi, occari, sarriri, & aliis modis coli oportet; sic nos quoque, dum ad virtutem erudimur, nullâ laborum patientiâ decet frangi.

Philo l. 2. VI. Sicut sine Luce videre non possumus; ita nec sine labore, virtutum actiones exercere, cùm labor perinde medius quasi sit inter mentem & bonum, quod desiderat, sicut lux inter objectum & oculum.

Utilitas.

Plutarch. in moral. VII. Sicut plantæ mediocri aquâ aluntur, immodicâ suffocantur; sic animus moderatis laboribus adjuvatur, immoderatis obruitur.

Erasmus in simil. VIII. Sicut rosa flos gratissimus de spinis nascitur; sic è tristibus & asperis fructus laboris jucundissimus capitur.

§. VIII.
MOTIVA.

I. CHRISTI exemplum: qui in laboribus fuit à juventute sua: non autem decet servum meliorem esse Domino suo.

Horat. l. 1. Sat. 9. II. Necessitas: quia, teste Horatio, nil sine magno vita labore dedit mortalibus, nec deinceps dabit.

III. Utilitas: quia Dij laboribus omnia vendunt; & non minùs labor, quàm pietas ad omnia utilis est.

IV. Secu-

IV. *Securitas:* Quia laborantem unus, otiosum innumeri oppugnant hostes.

V. *Jucunditas:* Si enim Agricolæ spes messis jucundum facit laborem; quid non efficiet spes præmij, & quidem tanti in cœlo accipiendi?

§. IX.
ASCETICA.

I. Tria sunt præcipuè, quæ Asceta de labore specialiter nôsse debet. 1. Quid ante laborem observare debeat, nempe ut in nomine Domini eundem inchoet, id est, in gratia sit constitutus, propter DEUM peragat, & auxilium divinum invocet; hos enim sensus parountur verba illa: in nomine Domini.

II. Alterum est, ut nôrit, quid sub labore observare debeat; scilicet ut diligenter, alacriter, & constanter eum peragat; hilarem enim datorem diligit DEUS; & in Christianis non exordia laudantur, sed finis coronatur. Itaque sic laborare decet, ut cum Christo dicere possit: Consummatum est.

III. Tertium est, ut pariter sciat, quid post laborem observare debeat, nempe ut nihil suis viribus adscribat, gratias pro felici successu debitas persolvat, & omnem eventum DEO penitus relinquat.

§. X.
CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Luc. 5. v. 5. I. Ex occasione thematis: *Præceptor, tota nocte laborantes nihil cepimus:* potest ostendi, qui in nocte laborent, nempe 1. ij, qui peccatis gravibus oneratam conscientiam habent; quamdiu enim in hoc statu manent, omni merito carent, atque adeò vani sunt eorum labores. 2. Qui pravâ intentione laborem peragunt; cùm enim intentio sit oculus animæ, rectè, qui bonâ intentione careot, in tenebris laborare dicuntur. 3. Qui sine invocatione divini auxilij laborant; cùm enim sine hoc tam parùm quis operari possit, quàm homo in tenebris constitutus queat, etiam isti meritò in tenebris ambulare dicuntur.

Eccl. 51. v. 35. II. Ex occasione thematis: *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem:* potest explicari triplex requies, quam sedulò & piè laborantes sibi comparant. 1. *Ante mortem:* nam & corporalem sibi conciliant, dum faciunt, ut somnus jucundior accidat, juxta illud Ecclesiastis: Dulcis est somnus

Eccles. 5. v. 11. operanti. Et spiritualem, dum per laborem otium, & cum eo vitia profligantes, quietam & securam conscientiam, quæ est quasi juge convivium, procurant. 2. *In morte:* quia, cùm sciant, se per vitæ tempus sedulò laborâsse, cum gaudio mortem, velut vesperem excipiunt, & denarium gloriæ pro labore diurno se acceptutos sperant. 3. *Post mortem:* quia tunc im-

Apoc. 14. v. 13. plendum illud Apocalypsis sperabant: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.

III. Ex occasione thematis: *In verbo tuo laxabo rete:* ostendi potest, quomodo labor fructuosè suscipi debeat. Nempe 1. si in *verbo DEI,* id est, juxta voluntatem & beneplacitum DEI suscipiatur. 2. Si rete *ad dextram* mittatur, id est, si labores per bonam intentionem ad ultimum finem dirigantur; hoc modo enim quæritur ante omnia regnum DEI, & justitia ejus, & meritò speratur, quòd reliqua adjicienda sint. 3. Si fructus laboris non nostris viribus, sed DEO adscribatur, dicatúrque cum David: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; sic enim gratiarum non cessabit cursus, si tam sincerus recursus fuerit. Luc. 5. v. 5. Psal. 113. v. 9.

IV. Ex occasione thematis: *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit:* potest ostendi, quòd optimus modus sit, fubsque alendi sit labor. 1. Quia efficacissimus ad divitias & opes obtinendas, uti Furius Cresinus docuit, qui, cùm labore suo magnas opes comparâsset, veneficij accusatus apud Magistratum, Filiam Nubilem, & boves, & agriculturæ instrumenta secum adduxit, & hæc veneficij sui instrumenta esse dixit. 2. Quia *honestissimus* est: dum proprio labore & conatu opes necessariæ comparantur. 3. *Securissimus:* quia sic nullus clamare aut dicere cogitur, ne iste vel ille cibus appositus furtivus sit. 4. Quia *constantissimus* est; cùm hoc medium à nullo hoste auferri potest. 5. Quia *jucundissimus* est, quia sanitatem conservat, & cibos, somnum, totámque vitam dulcem & suavem efficit; bonam quoque conscientiam concilians, verificari facit illud Salomonis proverbium: Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio (malæ conscientiæ.) Psal. 127. v. 2. Prov. 17. v. 1.

§. XI.
MISCELLANEA.
Qualitas.

I. Non malè laboris efficaciam descripsit, qui dixit:

Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas. Virgil. 1. Georg.

II. Cùm S. Gertrudis pro quâdam Personâ illiteratâ, & per officij sui curas ab oratione non modicè impeditâ oraret, tale à Domino accepit responsum: Ego non elegi eam ad hoc tantùm, ut horâ unâ mihi serviat, sed magis ad hoc, ut integrâ die mihi adsit, id est, ut omnia opera sua continuè ad laudem mihi perficiat eâ intentione, quâ vellet orare. Et insuper hanc superaddat devotionem, ut scilicet in omnibus operibus, quibus in officio suo laborat, semper desideret, quòd omnes, qui utuntur laboribus suis, non solùm reficiantur in corpore, sed etiam attrahantur in Spiritu ad amorem meum, & confortentur in omni bono. Et hoc quotiescunque facit, toties quasi singula fercula operum & laborum suorum quâdam sapotissimâ salsâ mihi condire videtur. Insin. l. 3. c. 74.

III. S. Clara de Monte Faleo dixit, se velle libenter occupari in vilissimis Monasterij officiis, eò quòd experiretur, orationem non perdi in talibus officiis, sed augeri. Vit. p. 1. c. 27.

Necessitas.

L. 6. revel. c. 65. IV. S. Birgittæ dixit Christus: In spirituali vita, qui perfectus esse desiderat, debet priùs esse Martha laborando in honore meo corporaliter.

Engelgr. p. 2. Luc. Evang. in Dom. Sept. §. 2. V. Cato Romanus neminem in Civem Romanum admittebat, quia priùs manus illius contrectaret, quas si molles ac teneras deprehendebat, ut effeminatum rejiciebat: si verò duras & asperas, ut dignum jure Civitatis admittebat.

Claudianus in nupt. Honorij. VI. Rectè & verè cecinit Claudianus:
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos,
Armat spina rosas, mella tegunt apes,
Herculem duri celebrant labores.

Utilitas.

Lancic. opusc. 15. n. 8. VII. S. Ignatius de quodam Fratre Murario dixit: Quot ponebat lateres in muro, quoties tundebat eos suo malleo, quoties calcem apponebat, tot sibi ponebat coronas in cælo.

Ib. n. 39. VIII. P. Hieronymus Natalis dicebat, se duobus tantùm Hominum generibus in Statu Religioso invidere: primò Novitiis, qui nulli alteri rei, præterquam uni suo in spiritu profectui vacant, & intendunt: deinde Fratribus domestica officia obeuntibus, quòd liberam & exoneratam studiis & curis mentem habeant ad die totâ orationi intendendum.

L. 3. insin. c. 63. IX. Christus dixit S. Gertrudi: In Resurrectione futura, quando corpus hoc mortale induet corruptionem, tunc singula membra humana recipient singula præmia meritorum, pro singulis laboribus & exercitationibus, in meo nomine & pro meo amore peractis.

Ibid. X. Aliàs cùm Procuratori Claustri compatiens rogaret Christum, ut ipsi suos labores compensaret, responsum hoc accepit. Corpus illius, quod toties talibus laboribus pro me lassescit, est mihi quoddam thesaurarium, in quo tot drachmas argenteas repono, quoties ipse aliquod membrum movet ad necessaria sibi commissis acquirenda: & cor ipsius est mihi quasi arca, in qua tot aureas drachmas reconditas mihi habere gaudeo, quot ipse cogitationibus instigatur, sollicitè subditis providere ad laudem meam.

XI. S. Bernardus cuidam Fratri strenuè laboranti dixit: Eja Frater, perge sic laborare, quia nullum post hanc vitam purgatorium habebis. Cantiprat. l. 1. Apum c. 5.

Dignitas.

XII. Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare; servile, otio & luxui vacare. Panormit. l. 3. de gest. Alphons.

XIII. S. Gertrudi dixit Christus: Sicut præpotens aliquis Imperator non solùm gaudet habere in palatio suo delicatas, ornatásque puellas, sed etiam constituit & ordinat Principes ac Duces, militésque, ac alios ministros diversis operibus aptos, qui semper parati sint ad negotia ejus peragenda; ita & ego non solùm delector in deliciis eorum, qui divinæ contemplationis quietem, me trahente, sequuntur, verùm etiam allicior ad manendum cum filiis hominum, dum ipsi quælibet exercitia vilium negotiorum mei honoris & amoris causâ suscipiunt. L. 3. insin. c. 69.

§. XII.
AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius opusc. 15. c. 2. 3. & seqq.

II. Henricus Engelgrave in p. 2. Lucis Evangel. in Domin. Septuag.

III. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

IV. Laurentius Beyrlinck in theatro vit. human. V. eodem.

TITVLVS XXIII.
LACRYMÆ.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Juxta communē Philosophorum explicationem. Unt humor excrementitius fero similis, in cerebro, venisque oculorum latens; & forti compressione dictarum venarum expressus.

Divisio.

II. Dividuntur in *naturales*, & *pias*, illæ sunt, quæ ex naturali aliqua causa exortæ, ad naturalem quoque finem ordinantur; istæ, quæ ex supernaturali aliquo motivo eliciuntur, similémque ad finem diriguntur. Cujus quatuor species assignat S. Gregorius sequentibus verbis: Quatuor sunt qualitates, quibus justi viri anima compunctione vehementer afficitur; cùm aut malorum suorum reminiscitur, considerans, ubi fuit: aut judiciorum DEI sententiam metuens, & secum quærens considerat, ubi erit: aut cùm mala vitæ præsentis attendens considerat, ubi est: aut cùm bona supernæ patriæ contemplatur, quæ, quia necdum aspicitur, lugens considerat, ubi non est. Verùm hoc loco de prima potissimùm specie sermo erit, nempe de lacrymis, quibus peccata deflentur. S. Gregor. l. 23. mor. c. 21.



§. II. EX

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Ier. 9. v. 1. I. QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?

Pſ. 6. v. 7. II. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Luc. 23. v. 28. III. Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.

Pſ. 55. v. 9. IV. DEUS, vitam meam annunciavi tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Pſ. 118. v. 136. V. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

Ioel. 2. v. 12. VI. Convertimini ad me in toto corde veſtro, in fletu & planctu.

Ier. 14. v. 17. VII. Deducant oculi mei lacrymam per diem ac noctem, & non taceant, quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia Populi mei, plagâ peſſimâ vehementer.

Utilitas.

Tob. 12. v. 12. VIII. Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.

Pſ. 73. v. 13. IX. Contribulâſti capita Draconum in aquis.

Eccl. 7. v. 3. X. Meliùs eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij.

Matth. 5. v. 5. XI. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

Pſ. 125. v. 5. XII. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

Pſ. 83. v. 7. XIII. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Gregor. in regiſtro. I. IRriguum ſuperius accipit anima, cùm ſe lacrymis regni cœleſtis deſiderio affligit; irriguum verò inferius accipit, cùm inferni ſupplicia flendo pertimeſcit.

Idem in Paſtor. II. Uniuſcujuſque mens tantùm pœnitendo compunctionis ſuæ bibit lacrymas, quantùm ſe à DEO meminit amiſiſſe per culpas.

B. Petrus Cellenſ. de panib. c. 12. III. Sterilis eſt omnis effuſio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum.

S. Chryſ. ſ. 93. IV. DEUS delinquentium gemitus eſurit, ſitit lacrymas peccatorum.

S. Leo apud Beyrl. c. 4. V. Religioſa triſtitia aut alienum peccatum luget, aut proprium.

in Feſto Omn. SS. VI. Tantùm peccatum lugeamus, omnia verò alia, ſive paupertas, ſive morbus, ſive mors intempeſtiva, ſive calumnia, ſive exagitemur ab aliis, ſive quodcunque aliud mali genus nobis acciderit, infracto animo feramus. *S. Chryſoſt. ſ. de dormient.*

Utilitas.

Idem l. 5. de pœn. VII. Multus peccati ignis eſt, & modica lacryma illum extinguit.

Idem ſ. 93. VIII. Quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione ſententiam.

IX. Dicam tibi, quid valeant lacrymæ. Martyres ſanguinem fundunt, Peccatores lacrymas fundunt; Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit, & delevit peccata ſua. *Idem in Pſ. 50.*

X. O aqua ſalutaris, per quam omne peccatum deſtruitur! O felix lavacrum, quod toties valet ad purgandum, quoties purgandum indiget cor humanum. *S. Aug. ſ. 11. ad FF.*

XI. Eſt & baptiſmus aliquis in lacrymarum aſſiduitate; & quoniam baptiſmi Sacramentum iterari non licet, qui ſæpe in multis offendimus, frequenti oportet ablutione ſuppleri. *S. Bern. ſ. 1. in oct. Paſch.*

XII. Vim facimus Domino non compellendo, ſed flendo: non provocando injuriis, ſed lacrymis exorando. *S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 5.*

XIII. Oratio DEUM lenit, ſed lacryma cogit. *S. Hier. c. 38. in Iſaiam.*

XIV. O lacryma humilis, tua eſt potentia, tuum regnum, tribunal Judicis non vereris, inimicorum tuorum accuſationibus ſilentium imponis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem. *S. Ambroſ. ſup. Luc. l. 2.*

XV. O felix diluvium! ô felices lacrymas, quæ animum dolentem levant, & Peccatorem imo tartaro infixum ſublevant in ſublime. *S. Gregor. Nazianz. orat. 3.*

XVI. Mutatur ordo rerum, pluviam terræ dat cælum ſemper; ecce nunc rigat terra cælum, imò ſuper cælos, & uſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lacrymarum, ut juxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes, quæ ſupra cælos ſunt, laudent nomen Domini. *S. Chryſol. ſ. 93. de Magd.*

XVII. O lacryma mentem purgans, intentionem fecundans, confeſſionem irrigans, animam ſanctificans. Hæc eſt lacryma ſancta compunctionis ſoror, quæ motus illicitos extinguit, Paradiſum aperit, infernum claudit. Hæc eſt herba cæleſtis illius Fullonis, quâ veſtes ſervorum ſuorum deturpatas, à ſorde quotidie purgat. *S. Auguſt. ad FF. in Eremo.*

Jucunditas.

XVIII. Dulciores ſunt lacrymæ orantis, quàm gaudia theatrorum. *S. Aug. in pſ. 127.*

XIX. Lacrymæ pœnitentûm, vinum ſunt Angelorum. *S. Bern. ap. Engelgrav. p. 2. omb. 24.*

XX. Nihil eſt porro his lacrymis jucundius; quovis riſu ſunt hæ jucundiores. Sciunt, qui lugent, quantam hæc res habeat voluptatem. *S. Chryſoſt. hom. 12. in ep. ad Coloſſ.*

XXI. Deliciæ Angelorum ſunt lacrymæ noſtræ, & delectabiles lacrymæ pœnitentis. *S. Bern in ſerm.*

XXII. Viderant Paradiſum iſti oculi, viderant tertium cælum: ſed eos non tam cenſeo beatos propter hoc ſpectaculum, quàm propter lacrymas, per quas viderunt Chriſtum. *S. Chryſ. hom. 12. in ep. ad Coloſſ.*

§. IV.

EXEMPLA.

Qualitas.

Hebr. 5. v. 7. I. CHristus non solùm super Jerusalem & Lazarum, sed etiam in cruce cum clamore valido & lacrymis preces DEO Patri pro nobis obtulit. Imò sunt aliqui, teste Drexelio, qui putant, eum nunquam sine lacrymis oràsse. *S. Chrysost. hom. 6. in Matth.* Unde S. Chrysostomus dixit : Flentem Christum frequenter invenies, nunquam verò ridentem.

Job. 16. v. 21. II. S. Job de seipso fatetur: Ad DEUM stillat oculus meus.

S. Ambros. sup. Luc. III. De S. Petro testatur Ambrosius, dicens: Lacrymas Petri lego, Satisfactionem non lego : non invenio, quid dixerit, sed quòd fleverit. Imò juxta alios tanta assiduitate deflevit negationem Christi à se factam, ut sulci à lacrymis facti in vultu apparerent. *S. Leo f. 9. de pass.* Unde S. Leo has lacrymas extollens ait : Sancte Apostole, lacrymæ tuæ ad diluendam culpam negationis, virturem habuêre Sacri baptismatis.

Act. 20. IV. S. Paulus de seipso testatur: Per triennium nocte & die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Unde S. Chrysostomus ait : Ex quo fonte tanta emanârunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ? Quémnam fontem ws comparare cum his lacrymis? eùmne, qui est in Paradiso, qui rigat universam terram? sed nihil dicis æquale.

S. Hier. ep. 9. ad Eustoch. V. S. Hieronymus quoque de se fatetur: Mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum, jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad JESU confugiebam pedes, rigabam lacrymis: memini me clamantem, diem crebrò junxisse cum nocte, donec rediret animo tranquillitas.

Ejus vita. c. 4. VI. B. Aloysius Bertrandus assiduò flebat, & interrogatus dicebat: Cur non fleam amarissimè, cùm non certò sciam, an æternæ salutis compos sim futurus?

Fab. conc. 7. in Dom. 3. post Pasch. VII. Arsenius Abbas sine intermissione lacrymabatur, eò quòd tamdiu à cælestis Patriæ ingressu suspendi se videret.

Fab. conc. 4. in Festo S. Magd. n. 5. VIII. S. Bernardus dicebat : Firmum est mihi propositum nunquam ridendi, quousque audiam ex ore DEI illa verba : Venite benedicti. Neque à fletu desinam, donec liber sim ab illa sententia : Ite maledicti in ignem æternum.

S. Hier. in ep. ad Eustoch. IX. De Eustochij Matre Paula scribit S. Hieronymus : In ea fontes crederes lacrymarum, ita levia peccata plangebat, ut eam crederes gravissimorum criminum ream. Cùmque à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis, turpanda, respondebat, est facies, quam contra DEI præceptum purpurissâ & cerussâ, & stibio sæpe depinxi: affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpeti compensandus est fletu.

S. Bonav. c. 1. vit. X. S. Franciscus cùm ob assiduitatem lacrymarum visum hebetaret, ideóque moneretur, ut oculis parceret, respondit, haud tanti se facere functiones sensuum, ut eorum causâ velit languescere devotæ mentis vigorem, qui suspiriis alitur, & per lacrymas sibi accessum ad DEUM parat.

Utilitas.

S. Athanas. in vita. XI. S. Antonius, cùm Monachi illius aquâ indigerent, vix primam pro ea impetranda lacrymam fudit, & mox in ipso orationis loco fons ebulliens erupit.

S. August. l. 3. conf. c. 1. XII. Cùm S. Monica pro Filij sui Augustini conversione uberes lacrymas funderet, dixit quidam Episcopus : Fieri non potest, ut Filius tot lacrymarum pereat.

Vita S. Cathar. Sen. XIII. Cùm Raymundus Capuanus Confessarius S. Catharinæ Senensis ab ea peteret, ut bullam plenariæ indulgentiæ à DEO impetraret, & illa facturam se hoc recepisset, ipsóque opere præstitisset, sequenti die Raymundus cum ea de ingratitudine colloquio instituto, tantam vim lacrymarum profudit, ut periculum fuerit, ne cor & pectus rumperetur. Tum Virgo, hæc, inquit, est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit : esto igitur gratus gratiæ DEI.

Engelgr. embl. 24. p. 2. XIV. S. Mamertes, ubi urbem Viennensem in Gallia flammis accensam vidit, monuit assiduò, aquâ ponùs oculorum, quàm fluminum restinguendam.

S. Chrys. f. 93. XV. Dum S. Maria Magdalena Dominicos pedes lacrymis lavat, crinibus tergit, in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum, ut S. Chrysostomus loquitur.

Cæsar. l. 2. apum. c. 4. XVI. Parisiis cùm Juvenis quidam nefanda, quæ commiserat, crimina confiteri erubesceret, imò ob nimiam contritionem interceptâ voce non posset, ideóque scripto porrigeret, Confessarius obstupescens gravitatem criminum dixit: Non sufficio solus tibi dare consilium; si per te licet, conferam cum Abbate meo. Verùm dum Abbati schedam porrigit, omnia peccata deleta vidit.

L. de Vir. illust. Ord. Cisterc. XVII. Cùm Frater quidam ex Ordine Cisterciensi assiduò peccata sua defleret, tandem nocte quâdam vidit Christum sacris vestibus indutum, & Sacrificium offerentem; sed cùm ad populum se vertens nihil aliud, quàm calicem, in quo lacrymæ S. Magdalenæ in domo Simonis fusæ asservabantur, ostenderet, & Frater causam hujus ostensionis quæreret, respondit Christus, se hoc fecisse, ut sciant omnes, quantùm placeat cordis contritio; atque ideo etiam ad exemplum Pœnitentium tamdiu lacrymas hujus peccatricis servâsse.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Laërt. l. 9. c. 1. I. HEraclitus Philosophus ad omnem Hominum occursum flevisse dicitur, dolebat enim, nihil sani esse in hac vita, nihil in homine non caducum, fluxum & peribile.

II. Prin-

Ælian. l. 14. hist.

II. Princeps quidam nomine Trisons cùm esset in Subditos crudelis, ideóque ab illis timeretur, omne inprimis illis inter se colloquium interdixit. Quare ipsi per notus contabulari cœperunt; quod cùm similiter prohibuisset, cives in foro considentes lacrymas unà ciere inceperunt. Cùm autem hoc sibi in majorem cessurum perniciem crederet Trisous, ideóque id prohibiturus in forum descenderet, à lacrymantibus jugulatus est.

Senec. in consolat. ad Polyb.

III. Seneca de seipso dixit: Cur fleam, scio, nempe ob meipsum; nondum reperi, cur rideam.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Staplet. to. 1. in Dom. 9. post Pent.

I. Sicut hydria, si liquore plena fuerit, subitò revoluta, liquorem fundit; sic pium cor lacrymarum plenum, ex subita peccati compunctione, quasi à summo ad imum revolvitur, & lacrymas ubertim profundit.

Pineda in c. 26. Iob.

II. Sicut vapores calore Solis rarefacti ad cælos ascendunt; ita lacrymæ à Charitate DEI velut cælestis Solis radiis calefactæ, in cælum elevantur.

Utilitas.

S. Chrysost. hom 6. in Marc.

III. Sicut post vehementes imbres mundus ac purus aër efficitur; ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur.

Engelgr. p. 2. embl. 24. §. 3.

IV. Sicut aquæ diluvij aquam elevaverunt à terra in sublime; ita animus in limo profundi & luto peccatorum defixus, attollitur exundantiâ lacrymarum.

Staplet. to. 1. in Dom. 9. post Pent.

V. Sicut nummus in pelvi aquâ plenâ meliùs cernitur; sic peccata cujusque in lacrymis, & per lacrymas multò evidentiùs apparent.

Lanotz. opusc. 9. n. 226.

VI. Sicut manifestatio injuriarum amico facta, minuit sensum doloris; sic lacrymæ ob apprehensas afflictiones fusæ, molestum naturæ sensum.

Necessitas.

S. Bern. s. de mim. fallac. vit.

VII. Sicut aquæ inopia non modò aridum, sed & sordidum facit, dum non est, quo laveris; sic & humanum cor lacrymas nesciens, non modò durum, sed & impurum esse necesse est.

Staplet. l. supr. c.

VIII. Sicut, cùm domus incendio flagrat, qui eam volunt eripere, ad aquas confugiunt; ita cujus anima cupiditatum flammis accenditur, ad pœnitentiæ lacrymas confugiat, oportet.

§. VII.

MOTIVA.

S. Chrysost. hom. 21. in Genes.

I. Æquitas: si enim faciem corporis tui, inquit D. Chrysostomus, quotidie abluis, ne qua fortè macula faciei inhærens fœdè appareat; quantò magis animæ cura habenda, & quotidie lacrymis abluenda est.

Staplet. l. c.

II. *Necessitas:* si enim ij, qui gravibus morbis subjecti sunt, tam sollicitè acidulas bibunt, aut thermas, aut aquas distillatas usurpant; quantò magis ad curandos animæ morbos saluberrima hæc aqua lacrymarum sedulò usurpanda erit?

III. *Utilitas:* ut enim ille, qui se in natatoria Siloe lavit, à cæcitate corporis curatus est; ita qui se in lacrymis lavant, oculos mentis sibi aperiri advertent. *Idem.*

IV. *Jucunditas:* si enim jam olim dixit Poëta, est quædam flere voluptas; quantò magis de spiritualibus lacrymis mentem serenantibus magna quæpiam voluptas sperari poterit. Certè S. Hieronymus de seipso testatur, quòd nonnunquam post lacrymas Angelicis interesse choris sibi visus sit.

§. VIII.

ASCETICA.

I. Tria sunt præcipuè, quæ Asceta de hac materia bene nôsse, & observare debet. Primum est, Etsi interdum donum lacrymarum sit specialis quædam & extraordinaria gratia, majoribus DEI Amicis concessa, extra hunc casum ferè imperfectionis cujusdam indicium esse, uti Christus ipsemet quondam S. Catharinæ Senensi sequentibus verbis dixit: Quando homo privatur consolatione sua extrà vel intrà, videlicet intus consolatione meâ, vel extrà mediante creaturâ, sive superveniente diabolicâ tentatione, vel hominum persecutione, tot inde pœnam habet. Oculus verò, qui sentit amaritudinem atque dolorem cordis, effundit illico lacrymas ex quodam tenero gemitu, quo sibimetipsi compatitur amore proprio atque naturali, quia voluntas propria totaliter abnegata & conculcata non est. Et ità lacrymæ sensuales effunduntur, videlicet ex passione naturali, quarum tibi suprà narravi pleniùs imperfectionem. Hinc B. Henrico Susoni ob linguarum maledicentiam adversus se exercitam flenti, dixit Christus: Prò pudor! vísne in Fœminæ morem lacrymari? certè tibi ipsi apud omnes cæli Cives ignominiæ notam inures. Terge oculos, & hilarem vultum exhibe, ut neque DEUS, neque Homines animadvertant, afflictionis causâ te plorare.

S. Cathar. Sen. dial. 89. *Vita c. 47.*

II. Alterum est, ut cognoscat, etsi ab externis lacrymis, ut paulò antè dictum, omni studio abstinendum sit, internas tamen cuivis homini salutis suæ studioso summè necessarias, atque adeò continuò fovendas esse, id quod aliqui Christum indicâsse volunt, dum dixit: Nisi efficiamini sicut parvuli (qui plùs lacrymis, quàm robore virium obtinent) non intrabitis in regnum cælorum. *Matth. 18. c. 3.*

III. Tertium est, ut bene cognoscat causas lacrymandi, quales quidem variæ assignantur. 1. *Peccata propria*, ut quæ meritò primum inter lacrymandi causas locum obtinere debent. 2. *Peccata aliena*: id quod perfectorum proprium est, qui, teste S. Gregorio, tantò sciunt de alienis damnis ingemiscere, quantò jam edocti sunt non dolere de suis. Quamvis & alias hæc causa negligenda non sit, cum, ut idem *S. Gregor. 28. mor. c. 13.*

Sanctus

Idem l. 20. mor. c.28. Sanctus ait, aliena plangentes sæpe plùs nobis ipsis subvenimus, quia apud DEUM perfectè diluit propria, qui purè plangit aliena. 3. *DEI cultus neglectus*: ob quam causam B. Jacoponus assiduò lacrymabatur, eò quòd amor non amaretur. *Rader. 1. p. viril. c. 3.* 4. *Passio Christi*: de qua causa sic D. Cyprianus loquitur: Vide, quomodo his, qui Christi commemorant passionem, inter sacra officia quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes; Anima hic se fletibus abluit, & lacrymis se baptizat. Quàm verò utilis, DEOq; grata sit hæc lacrymarum effusio, testatur inprimis S. Augustinus, dicens: Magis meretur, vel unam solum lacrymam emittens ob memoriam Passionis Christi, quàm si usque ad Terram Promissionis peregrinaretur. Deinde confirmat idipsum Ludolphus de Saxonia his verbis: Si quos dolores Christi revolvendo lacrymas ex compassione effuderit, tanti ponderis ac momenti apud DEUM erunt, ac si Martyr inter supplicia eas profunderet. 5. *Dilatio cælestis gloriæ*: sic S. David gemebat, dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Et S. Arsenius perpetuò flebat ob desiderium cælestis Patriæ.

D. Cyprià. f. de Cæn. Dom. *S. August. ap. Engelgrav. in Dominic. Quinq. §. 3.* *Ludolphus c. 59. de pass* *Psal. 119. v. 5.* *Fab. côc. 7. in Dom. 3. post Pasch.*

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ier. 9. v. 1. I. EX occasione thematis: *Quis dabit capiti meo aquam?* possunt lacrymæ aquis pretiosis distillatis comparari. Et 1. earum excellentia ostendi *ob modum & instrumenta* ad distillandum adhibita; nam fornax est cor, ignis caritas, herbæ motiva ad lacrymas incitantia. 2. *Ob effectum*; quia hæ sordes animi abluunt, morbósque animæ curant, imò & à manifesto æternæ mortis periculo liberant. 3. *Ob odoris suavitatem*: quo non modò ipse Pœnitens, sed etiam DEUS & Sancti mirificè delectantur.

Matth. 18. v. 3. II. Ex occasione thematis: *Nisi efficiamini sicut Parvuli, non intrabitis in regnum calorum:* potest cum S. Chrysologo dici, Christum hîc sententiâ ad lacrymas incitare voluisse, eò quòd, sicut viri robur suum habent in lacertis, ita parvuli in lacrymis. Unde 1. cogunt lacrymis ad miserationem, veniámque ob delicta concedendam. 2. ad dona, quæ desiderant, impetranda. 3. ad pericula, & mala, quæ illis occurrunt, ab iis propulsanda. Quæ omnia, quomodo per lacrymas pias multò copiosiùs obtineantur, facilè potest ex hactenus dictis demonstrari.

§. X.

MISCELLANEA.

Utilitas.

I. CErvos ajunt, quantumcunque fatigentur à canibus, pristinas vires recipere, si aquis se immergant; sed & Medicis familiare est, lassata membra balneorum fomentis restituere. Sed multò magis lacrymæ confortant, & recreant in via iniquitatis lassatos. *Beyrlinck te. 4. in Festo S. Magdali*

II. Cùm Henricus Imperator Trojam, urbem Apuliæ obsideret, ac civium injuriis lacessitus juraret, se nec parvulis parsurum, Cives puerile agmen, præeunte Cruce ex urbe dimiserunt, qui lacrymis suis Imperatorem ad misericordiam, & veniam permoverunt. *Raderus in aula sancta Theod.*

III. Cùm Antipater Alexandro Magno graves calumnias de Matre scripsisset, Rex lectis literis, ignorat, inquit, Antipater, unam Matris lacrymam, multarum calumniarum epistolas esse deleturam. *Engelgr. embl. 24. §. 1.*

IV. S. Chrysostomus narrat, servos quosdam fugitivos, pedes ferreâ catenâ colligatos ejusmodi aquis immergere, in quibus ferrum adeò mollescat, ut saxo confringi compedes queant. Talis aqua lacrymæ sunt. *S. Chrys. hom. 9. ad popul.*

V. Sedatur lacrymis, egeritúrque dolor, non malè canit Poëta. *Ovid. l. 3. de Ponto. eleg. 1.*

VI. Et S. Chrysostomus: Fletus compressus disrumpit, effusus relevat. *S. Chrysost. hom. 18. ad pop.*

§. XI.

AUTHORES.

I. HEnricus Engelgrav. p. 2. Luc. Evangel. embl. 24.

II. Nicolaus Lancizius opusc. 9. c. 6. n. 225.

III. Matthias Faber conc. 7. in Dom. 3. post Pascha. & conc. 2. ac 3. in Dom. 9. post Pentec. Item conc. 4. in Festo S. Mariæ Magdalenæ.

IV. Thomas Stapletonus te. 1. in Dom. 9. post Pentec. & te. 1. in Dom. 4. post Pascha.

V. Hieremias Drexelius p. 2. de Christo moriente c. 8. §. 2.

VI. Laurentius Beyrliock te. 4. in Festo S. Magdalenæ.

VII. Ludovicus Granatensis in locis communi. f. 660.

VIII. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.



TITVLVS

TITVLVS XXIV.

LAUS.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Arist. l. Rhet.



EST juxta Aristotelem, sermo elucidans virtutis magnitudinem. Vel, ut alij volunt, vox populi recta de aliquo loquentis, unde à Græco nomine, ἀπὸ τοῦ λαοῦ dictum volunt.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *veram* & *falsam*; illa est, quæ ex virtute, & operibus honestis oritur; de qua Salomon dixit: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis (id est, locis publicis) opera ejus. Ista est, quæ ex alio quocunque titulo minùs honesto oritur; de qua Isaias dixit: Populè meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Prov. 31. v. 31.* *Isa. c. 3. v. 12.*

III. Dividitur 2. in *propriam* & *alienam*: illa est, quâ quis seipsum ob propria facta laudat; ista est, quâ quis alienas dotes aut facta collaudat; de utrâque verò locutus est Salomon, dicens: Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. *Prov. 27. v. 2.*

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Laudemus viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. *Eccl. 44. v. 1.*

II. Sapientiam ipsorum narrent Pòpuli, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. *Ib. v. 15.*

III. Ante mortem ne laudes quemquam, quoniam in Filiis suis (id est, operibus bonis, ut Rabanus explicat) cognoscitur vir. *Ib. c. 11. v. 30.*

IV. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim tentatio est hominum. *Ib. c. 27. v. 8.*

V. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. *Prov. 27. v. 21.*

VI. Tunc laus erit unicuique à DEO. *1. Co. 4. v. 5.*

VII. Laudabuntur omnes recti corde. *Ps. 63. v. 11.*

VIII. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEUS commendat. *2. Cor. 10. v. 18.*

IX. Memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. *Prov. 10. v. 7.*

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. Laus humanâ non appeti à Sapiente, sed subsequi debet Sapientem, & rectè facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. *S. August. de Serm. Dom. in monte.*

II. Securitas laudis in laude DEI est. Ubi laudator securus est? Ubi non timet, ne de laudato erubescat. *Idem in Psalm.*

III. Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *Idem in Ioan.*

IV. Non hujus laudis vites sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia etsi cuique facile est laude carere, dum negatur; difficile est eâ non delectari, dum offertur. *Idem ad Diosc.*

V. Esse humilem, est nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. *Idem in Ps. 5.*

VI. Quis dives possit hîc sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere, quod doleat; & de futuro videt sibi superesse, quod timeat. *S. Ambros. in natal. S. Euseb.*

VII. Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. *S. Hieron. in epist.*

VIII. Sæpe bono operi, dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ, quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. *S. Gregor. in moral.*

IX. Laus sua justos cruciat, iniquos exultat; sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monstrat. *Ibid.*

X. Gloriosis gratiora sunt præconia, quàm tributa; quia stipendium & Tyranno impenditur, laudis autem prædicatio non nisi bono Principi debetur. *Cassiod. l. 2. epist.*

XI. Odium, quo apes fumum prosequuntur, significat, eos, qui DEO mellificant, re nullâ æquè offendi, quàm humanarum laudum fumo. *S. Basil. in Ascet.*

Utilitas.

XII. Præcipuum beneficium est, in rebus honestis laudari. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ finis est omnium, quæ desiderantur, & quò omnis viri boni motus refertur. *S. Gregor. Nazianz. in serm.*

XIII. Justum est, ut bene gerentibus laudis tribuatur assensus. Nam si equorum cursus clamoribus incitatur hominum, & insonantium manibus agitatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis aviditatem singulariter incendimus. *Cassiod. l. 1. epist.*

XIV. Injustus auditâ laude suâ polluitur, justus purgatur; pavet enim, si talis DEO non ostenditur, qualis ab hominibus putatur. *S. Greg. 22. mor. c. 9.*

Damnum.

XV. Cùm per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largientem pugnant; inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. *S. Greg. l. 2. moral.*

Ibid. XVI. Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi plantati [illegible] gni fructus ante tempus comedit.

Ibid. XVII. Cùm pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venumdatur.

S. Anselm. apud Laurez. opusc. 8. c. 10. n. 80. XVIII. Quisquis se apud homines jactat, & ita venditat bona opera sua, ut finem eorundem operum in laude hominum ponat, eandémque laudem quasi mercedem computet, operum suorum, necdum Christi servus est.

S. Chrysost. hom. 12. in 1. Cor. XIX. Ne requiramus laudes aliorum, hoc enim Domino injuria est; si, tanquam non sufficiat ad nos laudandum, eo omisso ad servos festinemus.

Idem ho. 3. in Matth. XX. Si te ipse laudaveris, nequaquam laudaberis à DEO; ita è regione si te ipsum quasi miserum lugeas, nunquam te ille prædicare cessabit.

S. Aug. in medit. XXI. Qui laudari vult, Domine, de tuo dono, & non quærit in illo tuam gloriam, sed suam, hic, licet propter donum tuum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur, quia de dono tuo suam, non tuam gloriam quæsivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec liberabitur condemnante te.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

l. 2. c. 6. §. 2. I. MAgnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vitupera.

Ib. §. 3. II. Non es sanctior, si laudaris: nec vilior, si vituperaris.

l. 3. c. 14. §. 4. III. Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est DEO? non eum totus Mundus eriget, quem veritas subjecit; nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in DEO firmavit.

§. V.

EXEMPLA.

Fuga.

S. August. ep. 7. I. S. Augustinus cuipiam scribebat: Non mihi placet, cùm à Carissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò enim non me, sed per me alium sub meo nomine diligunt, si non, quod sum; sed quod non sum, *Epist. 126.* diligunt. Et alteri: Quòd de nobis tam bene existimas, ut fideles DEI servos nos esse credas, idque ipsum in nobis corde purissimo diligas, gratulandum potiùs tuæ benevolentiæ, quàm tibi gratiæ agendæ sunt; tibi enim prodest, ipsam diligere bonitatem, quam profectò diligit, qui eum diligit, quem credit bonum, sive ille talis sit, sive non. Quapropter tibi de hac re gratulandum est. Quales autem nos simus, quantúmque in DEUM promoverimus, ipse viderit, cujus non solùm de homine bono, sed homine ipso non potest errare judicium. Gratias verò tibi uberes agimus, quòd n[illegible], cùm laudas, tanquam tales simus, mirabiliter hortaris, ut tales esse cupiamus.

II. S. Julianus renuebat, propalam se viv[illegible] te propalari, Draconem à se signo Crucis interfectum esse; hæc enim, inquiebat, celanda sunt quæ ad arrogantiam & fastum incitant. Sed si ego hinc excessero, & ab ejusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non vetο, quò minus dicas, & narres vim divinæ gratiæ.

III. S. Marcianus, quamvis magna posset facere, & faceret miracula, studebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis suspectas habens machinas. *Ibid.*

Vide plura tit. Vana gloria p. 2. Biblioth. manualis.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut aurum & argentum igne explorantur; sic vir ore laudantium probatur. *Prov. 27.*

II. Sicut non oportet titillare eos, qui naturâ suâ ad risum proclives sunt; ita non oportet laudare eos, qui laudis suapte sponte sunt appetentiores. *Plutarch. in mor.*

III. Sicut crescente vel decrescente umbra, corpus, cujus est umbra, nec crescit, nec decrescit; ita nec melior fit quisquam, dum vulgò laudatur; nec item pejor, dum vituperatur. *Plinius in Lamia.*

IV. Sicut difficile est, in taberna aromatibus referta nullo odore imbui; ita difficile quoque est, laudes suas audire, nec delectari iisdem. *Thevet. in apop.*

V. Sicut, qui vehementi laborat fame, si aliud, quod edat, non habet, proprios artus aggreditur; ita, qui laudis cupidus est, si alij laudatores desint, seipsum laudare incipit. *Plutarch. in mor.*

Utilitas.

VI. Sicut, cùm segetes creverunt, optatur ventus, quo grana turgescant, & grandiora fiant; ita solidam virtutem juvat laus, ut animus justi ad ejus pulchritudinem magis accendatur. *Staplet. in Dom. 18. p. Pent.*

VII. Sicut Lunæ lumen à Sole mutuatum, licet obscurum sit, quadantenus tamen inferiora illuminat; sic proximorum facta, si laudentur, etsi tenuia sint, aliquantùm tamen ad virtutem excitant. *Ibid.*

Damnum.

VIII. Sicut is, qui relicto magno theatro Regis, parvum Rusticorum eligeret, grandem ci injuriam faceret; sic qui in conspectu DEI certantes, inde sibi hominum famam quærunt, majori omisso theatro, minoris cupiditate, magnum sibi supplicium accersunt. *S. Chr. hom. 4. 1. Cor.*

IX. Sicut thesaurus manifestus minuitur; ita & virtus deperit publicata. *Ruff. in vi. P. 3. n. 14.*

X. Sicut cera à facie ignis solvitur: ita & anima per laudem resoluta, perit ab intentione sua. *Ibid.*

§. VII.

ASCETICA.

I. QUatuor sunt præcipua, quæ de laude specialiter nôsse, & observare debet asceta. Primum est, ut, quantùm est de se, ex animo laudē contemnat humanam; quid enim,

ut

S. Chrysost. in ps. 5. ut rectè S. Chrysostomus advertit, damni accipit homo, si homines contemnant, & universus Orbis terrarum, quando Dominus Angelorum eum laudat, & prædicat? quemadmodum si ipse non benedicat, etsi omnes laudant, qui terram & mare habitant, ei nihil prodest. Dicat ergo in omnibus operibus suis ad DEUM cum Epicuro: Hæc ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.

II. Alterum est, ut fundamentum, cur laudes humanæ spernendæ sint, bene apprehendat; S. Aug. l. 3. de Civit. DEI. quod quidem bene assignâsse videtur S. Augustinus, dum dixit: Remotis obstaculis vanæ opinionis opera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia & tegmina, & vanæ laudes & gloria auferantur, & apparebunt miseriæ peccatorum. Et paulò clariùs S. Gregorius: Electorum animus S. Gregor. 22. mor. c. 9. magno laudum suarum igne cruciatur, atque ab omni torporis sui tubigine mœrore cogitationis excoquitur; cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, de quibus laudatur, & non sunt, majus DEI judicium inveniat; aut de his, de quibus laudatur, & sunt, competens præmium perdat. Unde prudenter suadet Drexelius, in cunctis DEI operibus duo consideranda esse, utilitatem & dignitatem, & hanc quidem DEO relinquendam, illam homini concedendam, sicuti Pictores semper subscribunt: Apelles, Protogenes, pingebat, & utilitatem imaginis aliis relinquunt.

III. Tertium est; ut, quò remotior sit ab omni vanæ laudis quærendæ periculo, opera sua, S. Gregor. l. 8. mor. c. 30. quantùm potest, occultare studeat; nam, ut S. Gregorius rectè dixit, qui in itinere deprædari formidat, abscondat, necesse est, bona, quæ portat. Imò hoc Christianæ Religionis signum est, S. Macar. apud Lanciz. opusc. 8. n. 80. teste S. Macario, ut, qui DEO probatus est, homines celare cupiat; etsi vel universos Regis thesauros possideat, illos occultare velit, ac ubique fateri, inquiens: Thesaurus meus non est, sed alius illum apud me deposuit; ego enim mendicus sum, &, cùm volet ille, repetet à me.

IV. Quartum est, ut, ubi justa causa id exigit, non horreat sua bona opera manifestare; nam, S. Gregor. 26. mor. c. 8. ut S. Gregorius rectè ait, qui necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tantò magis humilitati jungitur, quantò & veritati sociatur. Imò S. Chrysost. in illud S. Pauli, Vinam sustineretis. S. Chrysostomus ait: Quemadmodum suas virtutes recitare, extremæ videtur dementiæ, si nulla superest necessitas; ita necessitate violenter incumbente, propellentéque, proditio est, ea tacere, quæ quis studiosè perfecit. Porro causas, S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1. cur aliquis hoc facere possit, S. Thomas sequentibus verbis indicat: Ut aliquis ab aliis cognoscatur, potest appeti, quantùm est utile ad aliquid, vel ad hoc, quòd DEUS ab Hominibus glorificetur: vel ad hoc, quòd Homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt: vel ad hoc, quòd ipse Homo ex bonis, quæ in se cognoscit, per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, & ad meliora proficere; & secundùm hoc laudabile est, quòd aliquis curam habeat de bono nomine, & quòd provideat bona coram DEO & Hominibus, non tanquam in Hominum laude inaniter delectetur. Hinc S. Augustinus explicans illud Christi: Cavete facere justitiam vestram coram Hominibus, ut videamini ab eis, ait: S. August. tr. 8. in ep. 1. Ioan. Numquid voluit hoc dicere, ut, quæcunq; bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, & timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri, sed non ad hoc debes facere, ut videaris. Non ad laudem tuam operari bonum, quod agis, sed ad laudem illius, à quo habes, ut bonum agas.

§. VIII.
MISCELLANEA.

Fuga.

I. Prudenter suasit Persius:

Respue, quod non es, tollat sua munera Cerdo, Persius 4.
Tecum habita, & nôris, quàm sit tibi curta supellex.

II. Et iterum:

Usque adeóne Idem 1.
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrū est digito monstrari, & dicier: hic est.

III. Quid stultius est, inquit Seneca, quàm in Seneca ep. 41. Homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? nemo gloriari, nisi de suo debet.

IV. Bonum est laudari, sed præstantius est Idem l. de moral. esse laudabilem. Neminem citò laudaveris, neminem citò accusaveris. Vitium est, omnia credere; vitium est, nihil credere.

V. Themistocles theatrum petens, interrogatus, cujus vocem libentius audiret? respon- Erasmus l. 3. c. 36. dit, ejus, à quo sua virtus prædicaretur.

VI. Antagenes dicebat, ita vivendum esse Anton. in melissa. p. 1. f. 52. Hominibus, ut vivi laudabiles sint, mortui autem beati judicentur.

VII. Idem, cùm audîsset, quantùm ab Ho- Idem. minibus laudaretur, dixit: Cùm multi me laudant, tum me nullius pretij esse judico; cùm pauci, bonum & egregium virum me esse puto.

VIII. Agesilaus dicebat, sibi jucundum esse Plutarch. in Lacon. laudari ab his, qui & vituperare non vererentur, si quid displicuisset. Tales enim, si quid laudant, judicio laudant, non metu, aut adulatione. Idem dicebat, non minùs laudatoris inspiciendos esse mores, quàm ejus, qui laudatur, significans, rarò contingere, ut quis alia lauder, quàm quæ moribus suis conformia sunt.

IX. Antisthenes audiens ab improbis qui- Laërt. l. 6. c. 1. busdam se laudatum, vereor, inquit, ne imprudens mali quid fecerim, senoens, à talibus neminem laudari, nisi ob insignia malefacta.

§. IX.
AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius opusc. 8. c. 10.

II. Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 584.

III. Thomas Stapletonus text. 1. in Dom. 12. post Pent.

IV. Hieremias Drexelius in amussi l. 2. c. 4. & 5.

V. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

TITVLVS XXV.

MINIMORUM CURA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



EST studium diligens ac providum rerum minimarum, sive declinandarum, cùm perfectioni nocent: sive complectendarum, cùm prosunt. Ita Julius Nigronius. Dicitur autem hæc cura ad perfectionem maximè pertinere, quia cura maximorum, peccatorum præcipuè vitandorum, non tam ad perfectionem, quàm ad salutem necessaria est.

Iulius Nigronus de Cur. minim. p. 1.

Divisio.

II. Dividitur in curam minimorum *declinandorum*, & *quærendorum*; quæ utraque in varias iterum species à Nigrono subdividitur. Et cura quidem minimorum declinandorum sex habet species. 1. Curam minimarum *tentationum*: nam, ut S. Gregorius rectè monet, tantò quisque debet initia tentationis fugere, quantò finem ejus intelligit citiùs solvi non posse. Quod ipsum confirmans Thomas Kempensis, Vigilandum est, ait, præcipuè circa initium tentationis, quia tunc faciliùs hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur. 2. Curam *periculorum* minimorum: qui enim amat periculum, in illo peribit, teste Siracide. 3. Curam *passionum* minimarum: nam etiam scintilla parva contempta incendium parit. 4. Curam *peccatorum* minimorum: quibus peccatis (ut loquitur Cæsarius Arelatensis) licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie repletam, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cælestis Sponsi aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Imò, ut S. Augustinus ait, omnia simul congregata, velut scabies, quò plura sunt, necant. 5. Curam *regularum* minimarum: nam nobis, inquit S. Bernardus, ad immunditiem minima qualibet inobedientia sufficit; nec jam nævus est, sed grandis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum. 6. Curam *vitiosorum habituum* minimorum; id est, talium, qui à laxatis Ordinibus quidem non magni fiunt, sed tamen mores bonos non leviter corrumpunt, & virtutum invicem connexarum concinnitatem deformant.

S. Gregor. l. 32. mor. c. 16. — *L. 1. c. 13. §. 1.* — *Eccl. 4. v. 27.* — *Cæsar. ho. 8. ad pop.* — *S. August. ho. 50. c. 3. ex 50.* — *S. Bern. serm. de tripl. custod.*

III. Cura minimorum quærendorum pariter sex species involvit. 1. Minimorum curam in victu. 2. in vestitu. 3. in habitatione. 4. in officiis. 5. in æstimatione & honore. 6. in favore & amore; quò enim ferventiùs minima in his sex objectis quæruntur, tantò propiùs ad similitudinem Christi appropinquatur, ut qui in his omnibus minima semper spontaneè elegit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. MInimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. *Eccl. 29. v. 30.*

II. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. *Luc 16. v. 10.*

Utilitas.

III. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Matth. 25. v. 23.*

IV. Pro nihilo (id est, minimo opere & industria) salvos facies illos. *Ps. 55. v. 8.*

V. Id enim, quod in præsenti, est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *2 Cor. 4. v. 17.*

VI. Vulnerâsti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. *Cant. 4. v. 9.*

Damnum.

VII. In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccles. 10. v. 18.*

VIII. Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccl. 19. v. 1.*

IX. Qui timet DEUM, nihil negligit. *Eccles. 7. v. 19.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. NEscio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur; éstque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum sit, quàm illum, qui jusserit: nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. *S. Hier. ep. ad Celant.*

II. In minimis probandum est conflictibus, quàm viriliter in majore certamine stare possimus. *S. Ambr. l. 1. offic. c. 10.*

III. Perfectæ & sincerissimæ sanctitatis cultores suos volens facere Salvator jussit ab iis cautissimè etiam minima vitari, scilicet, ut quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita. *Salvian. l. 3. de prov. ed.*

Neces-

Necessitas.

S. Bonav. in prol. spec. disc. IV. Non minimum est contemnere minima, quæ non minimam motibus maculam eò turpiùs neglecta habita ingerunt, quò vitari faciliùs cognita potuerunt.

S. Greg. l. 10 mor. c. 9. V. Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, etiam majora audenter perpetramus.

S. Bern. in f. de conv. S. Pauli. VI. Discite, justum Judicem DEUM, non modò, quid fiat, sed quomodo fiat, considerare, & cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis: hæc enim, dilectissimi, impœnitentia est, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis.

Utilitas.

S. Basil. orat. 6. ex collect. VII. Qui diligenter ex unaquaque re fructum decerpunt, iis perinde ac magnis fluminibus multæ ex omni parte accessiones fieri consuevêre. Nam modico modicum apponere, non magis in argenti, quàm in cujusque alterius scienniæ additione, ad amplitudinem valere existimandum est.

Blosius c. 1. instit. spir. VIII. Qui sensualitati, voluntatique propriæ propter DEUM etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, tem ipsi DEO magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam revocaret.

S. Anselm. ep. 6. ad Monach. IX. Certissimum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in Monasterio, ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter Fratres, & in Capitulo proclamationes conquiescunt.

S. Chrysost. ho. 42. in Genes. X. Mos DEI est, dare magna pro parvis. Dominus noster non, quantùm detur, consuevit attendere, sed voluntatis largitatem; & ob hoc etiam parva, magni facit.

S. Basil. const. mon. c. 24. XI. Nihil est minutum, quod DEI causâ fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi, quod cælum oobis & cælestia præmia conciliet.

S. Ephr. f. de pæn. XII. Justi parvis actionibus magis DEUM placant, ac flectunt præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem respicit DEUS, sed ad propositum voluntatis: & non intuetur, quod fit, sed quo quid studio ac propensione peragatur.

S. Chrys. ho. 38. ad pop. XIII. Omnia DEUS facit, & satagit, ut ex minimis te coronet.

S. Gregor. Naz. orat. 1. XIV. Præstat exigua portio maximi pretij multis vilibus & periculosis opibus, & parùm auri multis plumbi libris.

§. IV.

EXEMPLA.

Utilitas.

Theodor. hist. c. 4. I. S. Eusebius, cùm collum catenâ sic ad Zonam ligasset, ut neque cælum, neq; campum subjectum aspicere posset, quæsitus, quam inde utilitatem caperet? respondit, se id facere, ut hostem à majoribus certaminibus ad hæc parva traduceret, in quibus, etsi vicerit, non magnum adfert detrimentum; sed si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui nec in parvis quidem evadere possit Superior.

Ruffin. l. 3. n. 31. II. Senex quidam rogatus à Fratribus, quomodo posset sustinere voces Puerorum pecora pascentium? respondit: In veritate, Fratres, plurimos dies habuit cogitatio mea, volens illis aliquid dicere, sed redargui meipsum, reputans mecum, si parùm hoc non porto, quomodo si major mihi tentatio advenerit, portabo? & ideo illis nihil dico, ut fiat mihi consuetudo portandi.

III. Quidam Religiosus cùm oblitus micas in mensa colligere, eas post mensam collegisset, & ad culpam dicendam Superiori ostendere vellet, eas subitò in pretiosos uniones conversas reperit.

Vita c. 23. IV. S. Teresia res minimas tanti momenti esse sentiebat ad inchoandum in virtutibus profectum, & ut anima pennis & alis catens volare incipiat, ut nemo id credat, nisi qui in se expertus est.

Vita p. 4. c. 14. V. S. Maria Magdalena de Pazzis, DEO revelante didicerat, inter quinque res petendas pro conservando quovis Ordine in primævo suæ Religionis Statu, hanc quoque perpetuò petendam, ut omnes Religiosi perfectè cognoscant, quanti momenti sit observare quamlibet minimam rem sanctæ Regulæ.

Vita c. 4. VI. B. Aloysius Bertrandus Feriâ sextâ in Capitulo cum tanto rigore reprehendebat & castigabat silentij violationem, somnum paulò longiorem, erratum in Choro, & his similia minima, ut dies judicii videretur, eò quòd ab hujusmodi minutis disciplinam & profectum religiosum dependere crederet.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Hist. Soc. l. 12. n. 28. I. S. Ignatius, cùm Bobadilla se opponeret Oviedo, domesticam disciplinam ad minutissimarum legum normam exigenti, jussit Oviedum suo munere cum tota libertate fungi; sentiebat enim in his violandis plus plerumque latere periculi, quàm in maximis, propterea quòd maximarum damnum, si violentur, apparet, facileque in promptu est; at eorum, quæ pro minimis habentur, exitium, nisi progrediente tempore non sentitur. Hinc ipse pro ejusmodi transgressionibus pœnas non leves imponere consueverat.

L. 3. epist. 5. II. S. Franciscus Xaverius dicere solebat: Nemo seipsum fallat, non potest quisquam in rebus magnis excellere, qui non priùs excellat in parvis. Qui enim parvo oneri ferendo non sit, multò minùs magnum est laturus.

Vita p. 2. c. 2. III. B. Aloysius, ut Author vitæ scribit, persuasissimum sibi habebat, verum ac perfectum Religiosum illum esse, qui ad amussim omnes regulas sui Instituti observat, quique omnem diligentiam adhibet in perfectam exercitationem eorum omnium munerum & exercitiorum, etiam minimorum, quæ omnibus in dies singulos ordo præscribit.

Sacchinus in Vita. IV. B. Stanislaus legum erat omnium, disciplinæque domesticæ servantissimus. Alacritatis ad obtemperandum Moderatoribus singularis, nihil, quantumvis minimum videretur, contemneos.

Vita l. 2. c. 23. V. P. Petrus Faber dans vito cuipiam docto, qui ad Societatem accesserat, monita, inter reliqua ait: Libentissimè audimus, te inter Fratres infima quærere & ultima, atque minima consectari; nam magnitudo humanæ mentis non in eo sita est, ut magna ex suo sensu amet, & amplectatur, magna, inquam, hujusmodi, sed ut ad minima se extendat. Perge itaque exerceri io ijs minimis, ut maxima æternæ vitæ promerearis. Non ignoras, apud Arithmeticos notam, quæ cifra vocatur, nihil per se valere, sed conjunctam numeris, incrementum ijs majus afferre, quantò post plures ponatur. Quidni ergo nos omnes gaudeamus, qui novimus te, qui numero nostro accessisti, de vilibus vitæ hujus tuum colligere pretium ac valorem. Ama minimo nomine appellari ab omnibus, si *ibid. c. 11.* nomeo bonum velis tibi comparare. Idem dicere solebat, DEUM, cujus est totum, quod est opoorum, majora sæpe homini dona differre, ut, dum comparandis minoribus invigilat, quasi quibusdam gradibus ad majora perveniat.

Vita P. Balth. Alvar. c. 31. VI. De Francisco Ribera scribit Ludovicus de Ponte: Leges & reliquas Superiorum Ordinationes exactissimè servavit, non solùm tempore tyrocinij, sed etiam totius vitæ, ita ut neque studia, neque aliæ occupationes, quas habuit, potuerint ipsum ab exactione impedire, aut ab exacta cujusvis regulæ etiam minimæ observatione retardare.

Vita c. 4. §. 2. VII. P. Balthasar Alvarez continuò seipsum persequebatur; sibique negabat, quidquid naturæ appeteret, non solùm in rebus majoribus, sed etiam in minutissimis; dicebat enim, substantiam mortificationis in eo consistere, ut in rebus omnibus etiam minimis adhibeatur, ut non solùm rectus & perfectus in suo statu esset, sed etiam in minutijs ejus, sponsam æmulando, cujus manus & digiti usque ad extremitatem pleni erant myrrha probatissima, & qui eò us-*ib. §. 1.* que pervenerit, ut dicere potuerit: Consummatum est, quidquid scilicet voluntati divinæ repugnabat. Observaverat enim diligenter, plurimùm placere DEO, quòd quis divinam ejus voluntatem plenè, etiam in rebus minimis, exequatur, ut nos ad suum conspectum & familiaritatem admittat.

§. VI.

EXEMPLA PROFANA.

Curt. l. 6. c. 9. I. ALexander Magnus dicebat ad suos milites, in bello nihil tutò in hoste despici posse, quantumvis minimum, nihilque parvum esse dicendum, ex quo gloriæ magna laus queat oriri.

Galen. l. 17 de usu part. c. 1. II. Galenus probaturus, in parvis operibus majorem admirabilitatem inesse, narrat, sculptum à se ... sum in annuli gemma Phaëthontem quatuor equis invectum, quorum frænum, os, dentes anteriores discernebantur, & crura mirabiliter articulata crus pulicis non excedebant.

Plin. l. 7. c. 21. III. Myrmecides quadrigam ex ebore, quam musca alis integeret: & navem, quam apicula penois absconderet, fabricavit.

Nigr. p. 3. de anim. min. hortam. 4. IV. Alius quispiam, ut nomen sibi magnum ex re parva compararet, totam Homeri Iliadem chartâ, quæ in nuce concludi poterat, comprehendit.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Utilitas.

S. Paulinus ep. 10. ad Amandum. I. SIcut granum Sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen extat in olere; sic minimorum cura in spicas altissimarum virtutum, & altissimos manipulos cælestium gratiarum excrescit.

S. Chrys. in parane. priore. II. Sicut opes corporis accumulantur, cùm amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt; sic spirituales divitiæ per minimorum sedulam curam augentur.

Petrus Dam. apud Lyr. apoph. III. Sicut fluvius ex sui fontis origine perexiguus oritur, sed processu longioris decursus, rivis hinc inde confluentibus dilatatur; sic interior noster homo in sanctæ conversationis itinere tenuis & velut aridus incipit, paulatim verò per incrementa virtutum quasi rivis undique confluentibus convalescit.

Engelgr. Dom. sept. S. 4. IV. Sicut apud Indos testea & vitrea crepundia multo auro, gemmisque permutantur; ita minima opera apud DEUM pro incomparabilibus gaudijs cælestibus accipiuntur.

S. Isid. l. 2. sent. 36. n. 3. V. Sicut paulatim homo à minimis vitiis io maxima proruit; ita à modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ sunt excelsa, contendit.

Damnum.

Abbas Theodorus apud Cassian. coll. 6. c. ult. VI. Sicut domus nunquam subitaneo ad ruinam incumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longâ habitantium desidiâ, stillicidijs primùm parvissimis penetrantibus corrupta fuerint sensim, munimenta tectorum; sic neque ruina spiritualis subitò contingit, sed primò minutissima stillicidia passionū ad animam penetrant, quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt ligna virtutum, & posthæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in *Prov. 27. juxta 70.* die hyemali (ut loquitur Salomon) id est, tempore tentationis, urgente impugnatione Diaboli, expellitur mens de habitatione virtutum, in qua aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat.

S. Ambros. l. 5. ... c. 122. VII. Sicut pisces decurrente aquâ vivarij moriuntur, si clausoræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum, paulatim à fervore suo tepescit, attestante S. Scriptura: Qui modica spernit, paulatim decidet.

S. Bern. f. de tripl. custod. VIII. Sicut, quò nitidiores manus sunt, & graviùs quoque minor in eis nævus offendit; & sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpis decolorat; ita ad immunditiam minima quævis

quævis inobedientia sufficit, nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minimorum resider negligentia mandatorum.

S. Chrys. in Genes.

X. Sicut in corporibus, quæ vulnera licet parva neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones, ac mortem denique; ita & in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.

Curt. l. 6.

XI. Sicut Medici in corporibus ægris nihil, quod nocitorum est, relinquunt; ita, quidquid obstat imperio (aut apud Religiosos perfectioni) nos pari studio recidamus.

Isaias Abb. orat. 12.

XII. Sicut, si qua in dolio rimula existat, defluit vinum, antequam Dominus sciat, si negligens est; sic quælibet res, quamvis exigua, fructum excunt hominis negligentis.

§. VIII.

MOTIVA.

S. Chrysost. orat. de B. Philog. S. [illegible]prian. l. 2. ep. 2. ad Donat.

I. *Liberalitas DEI erga nos*: qui, teste S. Chrysostomo, sicut parturiens cupit enixi fœtum, ita effundere misericordiam suam desiderat; &, ut S. Cyprianus loquitur, profluens largiter, nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa spatia metatum frenatur, manat jugiter, exuberat affluenter; nostrum tantùm siceat pectus, & pateat. Quantùm illic fidei capacis (& liberalitatis mutuæ per curam n[illegible]morum) afferimus, tantùm gratiæ haurimus. [illegible] ut sponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus cælestis infundit. Imò, ut S. Magdalena de Pazzis divinitus didicit, tantopere se desiderat communicare nobis, ut, dum quis vult esse particeps communicationis illius, id ipse reputet, ac si alter magnum aliquid ipsi communicaret.

Vita p. 3. §. 5.

II. *Utilitas propria*: Sicut enim Mercatores ditescere volentes, etiam minima quæque lucra non negligunt; ita neque nos spiritualibus divitiis congregandis intenti minimas lucrandi occasiones negligere debemus; ne alioqui illud S. Cypriani in nos quadret: Quâ excusatione nos purgabimus, qui Diaboli servis, munera pretiosa & grandia, & nimio ac longo labore quæsita, sumptuosissimo apparatu comparantibus, minores sumus?

S. Cypr. de op. & eleem.

III. *DEI, Naturæ, Artium, minima æquali perfectione, curáque perficientium exemplum*; sic enim S. Hieronymus hortatur dicens: Sicut Creatorem non in cælo tantum miramur, & terra, & Sole &c. sed in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & ejusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quàm nomina; eandémque in cunctis veneramur solertiam; sic mens Christo dedita, æquè & in majoribus, & minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.

S. Hieron. ep. 3. ad Helied.

IV. *Diaboli astutia & fallacia*: qui, ut S. Franciscus dicere solebat, non vult de nobis plùs, quàm tenuissimum capillum; ex illo enim charum ingentem, validúmque ad nostras constringendas animas, sibique vindicandas conficere solet. Et si vel semel levissimam turpem cogitationem excutere cunctemur, id arripit, & longum agmen fœdiorum specierum consequentium adnectit. Sed & modica delicta, ut B. Marcus Eremita advertit, admodum elevat, & extenuat; alioquin enim hominem ad majus malum & vitium adducere non posset. Id quod S. Chrysostomus exemplo Caini confirmat, cui prius persuasit Dæmon deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum, deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita tandem in eum illapsus ad cædem Fratris, & ad negationem sceleris impulit. Et paulò pòst etiam Judæ exemplum adjiciens, nisi putâsset, inquit, parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset.

Joseph. Anch. Vita l. 5.

B. Marcus Erem. c. de lege spir. §. 96.

S. Chrys. ho. 87. in Matth.

V. *Turpitudo*, quæ oritur ex minimorum neglectu: nam, ut sapienter advertit Cassianus, à potente elidi, licet sit in dejectione dolor, & gemitus in amissione victoriæ, tamen quodammodo de Adversarii robore victis nascitur consolatio; sin verò inimicus exilis, & genus colluctationis infirmum, ultra dejectionis dolorem confusio turpior, & ignominia detrimento gravior infertur.

Cassian. l. 7. instit. c. 20.

VI. *Periculum Salutis*: nam, ut rectè dixit Seneca, ista, quantumvis exigua sint, in majus excedunt. Nunquam perniciosa servant modum; quamvis levia initia morborum serpunt, & ægra corpora, minima interdum mergit accessio.

Senec. ep. 85.

§. IX.

ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ de hac materia benè nôsse, & observare debet Asceta. Primum est, ut certò sibi persuadeat, hanc minimorum curam esse unum ex præcipuis capitibus, à quibus vigor & progressus religiosæ perfectionis pendet; eùm, ut S. Thomas rectè docent, omnis scientia operativa tantò perfectior sit, quantò magis particularia considerat, in quibus est actus. Hinc S. Chrysostomus ait: Nostri Magistri non solùm opus turpe condemnant, neque tantummodo concupiscentiam prohibere contenti sunt, sed & vultum impudicum, & lasciva verba, visúmque ineptum, sed & habitum inordinatum, incessum inconditum atque clamorem, & omnino usque ad humilia præcepta deducunt diligentiam disciplinæ. Et S. Ephrem sapienter monet: Eum, qui cæteris præest, peritissimum esse convenit, & ad consulendum Saluti Subditorum vigilantissimum, útque singulorum observet incessum, gestum, motum, & habitum, adhibitâ etiam debita eorum rerum correctione, quæ minùs conveniunt, ut ad optimum ea Statum, formamque reducantur. Magistri enim elementorum non solùm figuras Discipulis ostendunt, sed etiam minima quæque puncta, distinctionésque proponunt. Hinc Alphonso Rodriquez de hac materia disserens tandem sic concludit, atque, tanti nos debere facere ea, quæ de hac materia dicuntur, ut servire pro generali regula debeant, scilicet, quamdiu quis æstimabit, magníque faciet res parvas, rectè inco-

S. Thom. in prol. 2. 2.

S. Chrysost. ho. 2. in Matth.

S. Ephrem. s. de Vita Spirit.

Rodr. p. 1. de perf. tr. 1. c. 10.

incedet, & DEUS suâ gratiâ ipsum provehet ulteriùs; contra si ipsas negligat, periculosè incedet, quia scilicet per istam portam omnia mala in spiritualem Religiosi domum incurrunt.

II. Alterum est, ut sciat, in quibus potissimùm minimorum cura occupari debeat; quæ quidem Nigronus in duo capita, scilicet declinanda & quærenda dividit, ut suprà vidimus; Lancizius in tria genera distinguit, quorum primum continet fugienda, nempe peccata & imperfectiones: Secundum observanda comprehendit, nimirum leges scriptas, vivâ voce traditas, consuetudines, opera supererogationis, modum hæc omnia exequendi: Tertium mortificanda includit, scilicet externorum sensuum, & internorum affectuum compressionem ac subjugationem.

Lanciz. opusc. 5. c. 9.

III. Tertium est, ut specialem affectum & amorem concipiat erga minima in omnibus rebus ad quotidianum usum spectantibus, puta victu, vestitu, officiis, honore &c. eùmque in finem privilegia ejusmodi minimis concessa benè apprehendat, nempe 1. quòd DEO magis placeant, utpote in quibus minimum de commodo & amore proprio reperitur. 2. Quòd Christi exemplo & verbis (quibus ad novissimum locum amplectendum hortabatur) magis conformia sint. 3. Quòd Proximum magis ædificent. 4. Quòd majorem profectûs nostri promovendi ocasionem offerant, cùm, qui magis nos ipsos abnegamus, deprimimus, & humiliamus; tantò magis in Spiritu proficiamus, & cælestium donorum capaces efficiamur. 5. Quòd majorem animo quietem concilient; cùm ejusmodi minima semper & ubiq; inveniantur, faciliùs obtineantur, securiùs & sine invidia possideantur, sine labore conserventur, & sine dolore amittantur; atque adeò verum sit, quòd, qui separat pretiosum à vili, quasi os DEI, id est, specialiter dilectus sit.

IV. Quartum est, ut tria illa impedimenta, quæ ab electione & cura minimorum non modicè impediunt, fortiter & efficaciter removeat; quorum primum est *falsa opinio*, quâ sibi quis persuadet, nihil utilitatis, dignitatis aut jucunditatis inesse minimis; sed si gemmario de gemmarum pretio judicanti creditur, cur Christo vilissima semper & minima eligenti non perinde credatur? Secundum est *Erroneum aliorum judicium* nihil ejusmodi minima facientium; verùm cum Sapientia hujus Mundi stultitia sit apud DEUM; quis non videt, ejusmodi judicia ab Asceta fortiter spernenda, Christique & Sanctorum, Perfectorúmque judiciis postponenda esse. Tertium est *amor proprius* ad optima quæque & splendida secundum carnem appetenda inclinans; sed si commodiora corpori eligimus, cur non potiùs ea, quæ animæ meliora sunt, inquirimus? quid autem melius & pretiosius, quàm minimorum cura?

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. DE Muliere sapiente dicit Salomon: Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Quia videlicet, ut explicat D. Damianus, hujus vitæ idoneus executor sic se per majora opera ea desiderij fervore dilatat, ut etiam causas, quæ sunt minimæ, non derelinquat. Clariùs verò S. Franciscus Salesius, applica, inquit, tu manum ad fortia, proximo pro necessitate Christiana etiam cum vitæ periculo succurrendo, pro injurius hostimentu loco gratias hosti referendo, frequenti Sacramentorum usu animas è piacularibus flammis liberando &c. sed & digiti quoque fusum teneant, leves corporis afflictiones, parvas sui abnegationes ac dimissiones, per diem sæpiùs sectando.

Prov. 31. v. 19. — *Damian. opusc. 15. c. 1.* — *Apud Engelgrav. Dom. Sept. §. 3.*

Necessitas.

II. Christus Dominus S. Birgittæ dixit: Qui non bene utitur minimis, justum est, ut maximis non glorietur.

L. 5. revel. interr. 13.

Utilitas.

III. S. Cyrillus in illud Christi: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: quid capilli, inquit, & capitis pili, nisi minutissimas actiones significant, quas DEUS exactè observat, ac præmiat?

S. Cyrillus apud Engelgrav. Dom. Sept. § 4.

IV. S. Libaniæ Virginis colus subitò frondere, florere, ac amœnissimos flores producere cœpit, testes præmij, quod etiam pro minimis laboribus offert DEUS.

Ros. vern. 8. Oct.

V. Mimus quidam, cùm proximis ludis promisisset se dicturum, quid quisque maximè optaret, condicto die dixit: Omnes vultis vili emere, & carò vendere. Hoc autem per minimorum curam obtinetur.

Less. l. 1. de summ. bon. c. 3.

Damnum.

VI. Fr. Ægidius dicere solebat, parvâ negligentiâ, & exiguâ culpâ posse amitti gratiam, quæ postea reparari vix queat.

Lyræus apoph. c. l. x

VII. M. Varro, cùm suasisset, ne quis rusticana prædia juxta lacunosa, palustriaque loca construeret, quæsitus, quâ de causâ id suaderet? respondit, inde animalia minuta crescere, quæ oculis quidem conspici non queant, sed per aëra intus in corpus per os & nares attrahuntur, & difficiles morbos creant. Idem contingit, qui propè mundum palustrem habitant, & minuta peccata sine horrore admittunt.

Varr. l. 1. de agri. c. 12.

VIII. Quemadmodum, teste Poëta,

Parva necat morsu spatiosum vipera Taurum,
A cane non magno sæpe tenetur aper.

ita non levius damnum à peccatis levibus timendum est.

Ovid. l. 1. de remed. amor.

§. XI. Ali-

§. XI.

AUTHORES.

I. Jullus Nigronus in speciali tractatu de cura minimorum.

II. Nicolaus Lancizius opusc. 2. in prooemio & opusc. 5. c. 9. & 10.

III. Hadrian. Lyræus in apoph. 5. S. Ignatij l. 1.

IV. Henricus Engelgrave p. 1. Lucis Evang. embl. 12. & 13.

V. Paulus Barry in solitudine Hagiophilæ differt. 1. Oct. diei.

VI. Alphonsus Rodriquez de perfect. p. 1. tr. 1. c. 9. & 10.

TITVLVS XXVI.

MULIER.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Juxta Philosophorum opinionem. EST homo ad Liberos passivè procreandos à DEO creatus; per hanc enim passivam generationem (saltem in actu primo) distinguitur Mulier à Viro; quod à fortiori locum habet in ea Medicorum sententia; qui solum virile semen ad generationem necessariam esse contendunt.

Divisio.

II. Dividitur in *calibem* seu *solutam*, quæ nulli unquam viro nupta fuit: *Conjugatam*, quæ vinculo Matrimonij actu illigata est: & *Viduam*, quæ per mortem Mariti à Conjugii vinculo soluta est.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. 7. v. 29. I. VIrum de mille unum reperi (perfectum intellige, & virtute præditum) mulierem ex omnibus non inveni.

Prov. 31. v. 30. II. Fallax gratia, & vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

1. Timoth. 2. v. 9. III. Mulieres in habitu ornato, eum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.

Eccl. 26. v. 18. IV. Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ (id est, non est ullo pretio comparabilis.

Ibid. v. 19. V. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.

Prov. 31. v. 10. VI. Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.

Eph. 5. v. 22. VII. Mulieres subjectæ sint viris suis, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris.

1. Tim. 2. v. 12. VIII. Mulieri non permitto dominari in virum, sed esse in silentio.

Gen. 3. v. 17. IX. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

Deut. 22. v. 5. X. Non induetur Mulier veste virili abominabilis enim est apud DEUM, qui hæc facit.

Utilitas.

XI. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino. *Prov. 18. v. 22.*

XII. Mulieris bonæ beatus vir; nam numerus dierum ipsius conduplicatur. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. *Eccl. 26. v. 1.*

XIII. Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Dominum dabitur viro pro factis suis. *Ib. v. 3.*

XIV. Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius super aurum. *Ib. c. 7. v. 21.*

XV. Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens exstructam quoque manibus destruet. *Prov. 14. v. 1.*

Damnum.

XVI. Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet DEO, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. *Eccl. 7. v. 27.*

XVII. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris: Sors peccatorum cadat super illam. *Eccl. 25. v. 26.*

XVIII. De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. *Ib. 42. v. 13.*

XIX. A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur. *Ib. 25. v. 33.*

XX. Vinum & mulieres apostatare faciunt Sapientes, & arguent sensatos. *Ib. 19. v. 2.*

XXI. Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium. *Ib. 42. v. 14.*

Fuga.

XXII. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam. *Prov. 6. v. 27.*

XXIII. In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. *Eccl. 42. v. 12.*

XXIV. Commorari Leoni & Draconi placebit (magis) quàm habitare cum muliere nequam. *Eccl. 25. v. 23.*

Eccl. 9. v. 8. XXV. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

Prov. 5. v. 3. XXVI. Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.

Eccl. 9. v. 2. XXVII. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Chrysost. sup. ps. 50. I. QUid est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta & pudica. Pulchritudo autem sine his virtutibus, est præcipitium patens, venenum inspicientibus compositum.

S. Bern. s. 65. in Cant. II. Habitare cum Femina, & non cognoscere Feminam plùs est, quàm mortuum ad vitam suscitare. Quod minus est, non potes: quod majus est, vis, credam tibi?

S. Aug. e. 153. in gen. III. Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris: quia & illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori: & hæc in dominationibus & servitutibus clara justitia est, ut, qui excellunt ratione, excellant dominatione.

Damnum.

Idem de Catech. rud. IV. Cùm femina dominatur in virum, perversa & miser domus est.

Idem l. 8. Solilog. V. Nihil esse sentio, quòd magis ex arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta feminæ, cordiúmque ille contractus, sine quo uxor haberi non potest.

S. Chrysost. sup. Matt. 19. VI. Quid aliud est mala mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta?

S. Aug apud Lug. Dom 3. post Pent. §. 1. VII. Experto crede, coram DEO non mentior: cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste concidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm Hieronymi, vel Ambrosij.

S. Cypr. de sing. Cleric. VIII. Post confessionem, victoriarúmque calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia, noscuntur in his omnibus naufragâsse, cùm volunt in navi fragili navigare. Quantos Leones domuit una infirmitas delicata!

S. Isidor. l. 2. solil. IX. Ante ignem consistens, etsi ferreus sis, aliquando dissolvêris: proximus periculo, diu tutus non erit.

S. Chrys. l. 6 de Sacerdot. c. 8. X. Animum ferit, & commovet non impudicæ tantùm, sed pudicæ quoque mulieris oculus.

Fuga.

S. Hier. in epist. ad Nepot. XI. Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquam Mulierum pedes terant: omnes Puellas, aut Virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide, ne sub eodem tecto manseris, ne præteritæ castitati confidas. Non es Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior. Memento semper, quòd Paradisi Colonum de possessione sua mulier ejecit.

XII. Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis; & quantò vilior est earum conditio, tantò facilior est ruina. *Ibid.*

XIII. De carbonibus scintillæ disiliunt, de ferro rubigo nutritur, de vestimentis procedit tinea, de muliere peccati aculeus, sibilus concupiscentiæ, fomes pestilentiæ. *S. Cypr. l. de sing. Cleric.*

§. IV.

EXEMPLA.

Fuga.

I. S. Augustinus ne germanam quidem sororem, aut Filiam Fratris sui in domo sua habitare permisit, causámque rogatus dixit: Quia licet de sorore aut nepte non sit suspicio, tamen illæ, quæ ad eas ventitant, suspicionem possunt movere, & inde infirmioribus scandalum nasci. *Vita c. 26.*

II. S. Hieronymus, ut ab hac pugna se expediret, inter feras & lustra vitam egit; cúmque Vigilantius illi objiceret, hoc non esse pugnare, sed fugere, respondit: Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. *S. Hieron. ep. 47.*

III. S. Simeon Stylita nullam unquam mulierem post conversionem oculis intentis aspexit: postquam verò columnæ editiori se sanctitate fervens invexit, non modò extraneæ mulieri, verùm etiam nec propriæ Matri se videndum præbuit. *S. Greg. Tur. l. de glor. Conf. n. 26.*

IV. S. Franciscus Seraph. adeò averterat oculos, ne ullam mulierem videret, ut, sicut ipse Socio fassus est, nullam de facie nôsset; non enim securum putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut indomitæ carnis excitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. *Vita c. 5.*

V. Idem B. Rugerius Franciscanus fecerat, cúmque Confessarius ejus rogâsset, cur ita fugeret aspectum feminarum, cùm puritatis dono à DEO donatum se sciret, respondit: Dum homo facit, quod in se est, DEUM quoque facere, quod in ipso est, & hominem custodire à lapsu: sed dum homo permittit naturam liberè ferri in ea, ad quæ propendet, tunc DEUM permittere, ut homo, sufficienti tantùm auxilio adjutus cadat facilè. *Chron. Francisc. p. 2. l. 4. c. 52.*

VI. S. Ludovicus Episcopus Tolosanus colloquia feminarum prorsus abhorrebat, præcipuè secreta, aversabatur aspectus, absque probo teste & arbitro solus non loquebatur ulli *Vita c. 14.*

mulieri

mulieri, nisi forsan Matri aut Sororibus. In testimonium illibatæ pudicitiæ, semper cum illo duo Fratres minores in cubiculo dormiebant. Cavebat omnes suspiciones, quidquid probabiliter fingi poterat, antè, ne fingeretur, devitans.

Lanciz. opusc. 2. n. 276. VII. S. Andreas Corsinus adeò Castimoniæ deditus fuit, ut ne Matris quidem & Sororum colloquia sine rubore sustineret: Aliarum verò mulierum aspectus rejiceret prorsus, aut si necessitas urgeret, non nisi defixis in terram oculis eas alloqueretur: Ob quam severam oculorum, sensuúmque custodiam, dum Parisiis ageret, Frater cæcus, surdus, mutúsque appellabatur.

Ibid. VIII. S. Sabbas Abbas cùm advertisset multos aliquam mulierem comitatos esse, socium suum probare volens dixit: Compatior huic mulieri, quod unum duntaxat oculum habeat; cui cùm Socius responderet, utroque, & quidem eleganti esse præditam, ergóne eam, inquit, vidisti? discede, nolo talem socium, qui sit tam curiosus.

Engelgr. embl. 42. §. 3. IX. Reverendissimus Antistes Gropperus, cùm Bonnæ per diem comperisset, ancillam in cubili suo lectum sternentem, ancillam cubiculo, & simul lectum per fenestram in plateam deturbavit.

Damnum.

Cantipr. l. 2. Apum. c. 30. §. 47. X. Canonicus quidam cùm Canonicatum præpinguem in curam animarum convertisset, ut eas DEO lucrifaceret, septuagenariam Virginem, quæ cilicium ejus lavare solebat, deperire cœpit, & opportunitate pellectus vitiavit. Quo scelere admisso, illa quidem pœnitens resipuit, at ille infixus limo profundi, miserè periit.

§. V.
EXEMPLA DOMESTICA.

Ribad. l. 5. c. 11. I. S. Ignatius omnium mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ spirituales aut sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat, sed earum maximè, quæ ætate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur, aut flamma.

Vita l. 6. c. 17. II. S. Franciscus Xaverius Gaspari Vicario dans monita, inter reliqua dicebat: Cum mulieribus cujusvis conditionis non nisi luce palàm atque in publico, hoc est, in æde sacra colloquere. Nec unquam domum ad eas ibis, nisi fortè graviori aliquo casu cogente, veluti ægræ cujuspiam confessionem excepturus, ac tum curandum erit, ut illius Maritus adsit, aut cognatus aliquis, aut certè vicinus idoneus. Si fortè Virginem aut Viduam convenire oportebit, ad ejus domum accedes, viris spectatæ vitæ comitantibus, quorum scilicet comitatus non solùm offensionem, sed etiam suspicionem hominum excludat. Talia verò officia conveniendarum mulierum & rara sint, & necessaria. Quippe lubricum est negotium, ubi minimum luci sit maximo periculo.

Vita. III. B. Aloysius adeò mulieres fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere diceres; nullam certè etiam consanguinitate conjunctam aspicere sustinebat.

IV. P. Balthasar Alvarez, ne solus esset cum femina, nunquam sedebat, priusquam socio sedes afferretur. Majorem verò dicebat cum feminis Spiritualibus cautelam adhibendam, eò quòd spiritualis amor soleat transgredi limites suos, & fieri carnalis. Sicut optimum vinum in fortissimum acetum convertitur, quod tamen non advertitur, donec voluntates ita agglutinatæ sint, ut potiùs à Christo, quàm à se mutuò discedant, & separentur. *Vita c. 5.*

V. Alphonsus Rodriquez, etsi per quadraginta annos Janitor fuerit, nullam tamen feminam de facie noverat. *Vita l. 2. c. 18.*

§. VI.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut circulus aureus in naribus suis, sic mulier pulchra & fatua; perinde enim pulchritudine sua abutetur, eáque in luto luxuriæ se volutabit. *Prov. 11. v. 22.*

II. Sicut nemo sentit, quâ parte calceus stringat, nisi qui eo indutus est; ita nemo novit ingenium mulieris, nisi qui cohabitat illi. *Plutarch. in mor.*

III. Sicut Magnes trahit ferrum; ita Mulier ferrea licet virorum corda ad communionem voluptatis trahit. *S. Basil. l. de Virg.*

Damnum.

IV. Sicut flores spinarum admodum suaviter spirant, sed pungunt eos, qui negligenter carpunt; ita Mulierum, pulchritudo alacriter redolet, sed ferè offenditur, qui illis imprudenter utitur. *Thriverus in apoph. 113.*

§. VII.
ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ circa hanc materiam præcipuè observare debet Asceta. Primum est, ut, quantùm fieri potest, omnem cum hoc sexu consuetudinem & familiaritatem penitus abscindat, eúmque in finem, memorabilem S. Hieronymi sententiam ob oculos semper habeat: Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? quis unquam apud viperam securus somnum capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat. *S. Hieron. ep. 47.*

II. Alterum est, ut, ubi caritas aut necessitas ejusmodi conversationem aut cohabitationem suaserit, cum magna cautela eam suscipiat; nimium enim præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse. Neque fidat sibi, si cum vetulis agendum erit, nam etiam ab his periculum imminere, pulchrè quondam Abbas quidam Monachis suis ostendit, dum omnes Ancillas & Lotrices à Monasterio removit, & Monachis propterea, quòd vetulæ essent, murmurantibus, *Vita PP.*

cœnam probè salitam cum modico potu apposuit. Qui cùm ingenti siti accensi, defectu frigidæ, aquam è limoso stagno biberent, Abbas id advertens, dixit, eodem modo rem cum concupiscentia se habere, quæ, ubi cum Virginibus satiari non potest, in vetulis quærit satietatem.

III. Tertium est, ut non timeat inordinatè spirituale damnum, si tria hæc concurrant. 1. Superiorum voluntas id jubentium. 2. Pura intentio, nullum ex conversatione solatium aliud, quàm DEI gloriam & animarum salutem quærens. 3. Si omnis levitas, & nimia libertas agendi absit. *Vita c. 5.* Ob quas causas P. Balthasar Alvarez dicebat, securitatem in agendo cum Proximis, cùm ex obedientia fit, esse valde magnam, adeò ut, si quis obediendi causâ infames fœminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum iis agens mundissimas haberet cogitationes, quasi Angelus DEI; at si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdis ibi cogitationibus ureretur.

IV. Quartum est, ut non facilè committat alicui Mulieri secretum, quod aliis divulgari nollet; *Mich. 7. v. 5.* ita enim jam olim Propheta Micheas monuit, dicens: Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. *Plutarch. in Caton.* Hinc jam olim Censorius Cato dicebat, trium se pœnitudine tangi. 1. Quòd iter fecisset mari, cùm terrâ potuisset. 2. Quòd diem non condito testamento transegisset. 3. Quòd secretum fœminæ commisisset.

§. VIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Ælian. l. 11. c. 26. I. QUòd Mulieres debeant esse subditæ viris, vel ipsa etiam Natura docuit, dum in ipsis quoque brutis masculum prætulit, & Draconem, ac Gallum gallinaceum cristâ, Cervum cornibus, Leonem jubis, & Cicadam marem canora voce instruxit.

Anton. in meliss. to. 2. f. 34. II. Turpe semper existimatum est, regi à Fœmina; hinc Cato dedecus hoc exprimere volens in Romanis, dixit: Mulieres regunt nos, nos Senatum, Senatus Romam, Roma Orbem, ergo Mulieres Orbi dominantur.

Livius l. 34. III. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.

Damnum.

Sophron. l. 10. Vit. PP. c. 217. IV. Senex quidam dicebat Juveni Religioso: Carissime, attende, quia sal ex aqua est, & si appropinquat aquæ, continuò solvitur, & deficit. Et Monachus similiter ex muliere est, &, si appropinquat mulieri, solvitur & ipse.

S. Hieron. in ep. ad Nepot. V. Non malè cecinit quidam:

Adam, Samsonem, Petrum, Davidem, Salomonem,
Decepit Mulier: quis modò tutus erit?

Anton. f. de mul. forti. VI. Aristippus Mulierem parvam conspicatus, sed pulchram: Parvum quidem pulchrum, inquit, sed magnum malum.

Idem f. de mul. improb. VII. Democritus interrogatus, cur magnus ipse parvam uxorem duxisset? respondit: In malo eligendo minimum elegi.

Ibid. VIII. Protagoras quæsitus, cur Inimico suo Filiam uxorem dedisset? respondit: Quia nihil ei deterius dare poteram.

Max. f. 9. IX. Secundus interrogatus, quid esset Mulier mala? respondit: Viri naufragium, domûs tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, belva conviva, sollicitudo confidens, leæna complectens, exornata scylla, animal malitiosum, malum necessarium.

Engelgr. embl. 41. §. 1. X. Quibus gradibus Mulier trahat in ruinam, non malè quidam explicavit sequentibus versibus:

Post visum, risum: post risum venit ad usum:
Post usum ad tactum: post tactum venit ad actum:
Post actum, factum: post factum pœnitet actum.

Ibid. XI. Nec imperitè quidam de Samsone:

Lenam non potuit, potuit superare Leænam:
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

§. IX.

AUTHORES.

I. NIcolaus Lancizius opusc. 2. c. 4. & opusc. 13. l. 3. c. 8.

II. Henricus Engelgrav. p. 1. Luc. Evangel. embl. 41.

III. Matthias Faber conc. 3. in Festo SS. Simonis & Judæ.

IV. Joannes Busæus de statibus Nominum. tit. Virginitatis & Viduitatis status.

V. Jacobus Marchantius in Horto Past. Virga Aaronis. tr. 4. lect. 8.

VI. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

VII. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.



TITVLVS

TITULUS XXVII.

MUNDUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Jo. 1. c. 5. v. 19.



EST, prout hîc accipitur, vitiosa & misera naturæ humanæ conditio, ex peccato primi hominis & Parentis contracta. Unde S. Joannes dicit: Scimus, quoniam ex DEO nati sumus, & Mundus totus in maligno positus est.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

1. Joan. 2. v. 17. I. MUndus transit, & concupiscentia ejus.

Ib. 16. v. II. Omne, quod in Mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex Mundo est.

Fuga.

1. Joan. 2. v. 15. III. Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. Si quis diligit Mundum, non est caritas Patris in eo.

Rom. 2. v. 2. IV. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri.

2. Tim. 2. v. 4. V. Nemo militans DEO, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.

Jac. 4. v. 4. VI. Adulteri, nescitis, quia amicitia hujus Mundi, inimica est DEI? quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEI constituitur.

3. Reg. 18. v. 21. VII. Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est DEUS, sequimini eum: si autem Baal, (id est, Mundus) sequimini illum.

1. Cor. 7. v. 29. VIII. Tempus breve est, reliquum est, ut sint, qui utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus Mundi.

Isaia 52. v. 11. IX. Recedite, recedite, exite hinc, pollutum nolite tangere; exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.

Apoc. 18. v. 4. X. Exite de illa, Populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. August. sup. epist. Joan. I. MUndus transit, & concupiscentia ejus. Quid vis? utrum amare temporalia, & transire cum tempore? an Christum amare, & in æternum vivere?

Fuga.

II. Discite in hoc Mundo supra Mundum esse, & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. *S. Ambr. l. de Virg.*

III. Sancti viri, qui nihil hujus Mundi appetunt, procul dubio nullis tumultibus in corde premuntur. *S. Gregor. l. 6. mor.*

IV. Si Christus pro te de cælesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est Mundus, dulcior est Christus. Si amarus est Mundus, omnia pro te sustinuit Christus. *S. Aug. de mund. contempt.*

V. O amatores Mundi, cujus rei gratiâ militatis? major non poterit esse spes vestra in Mundo, quàm ut amici Mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis? & per quot pericula pervenitur ad majus periculum? pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent. *Idem lib. confess.*

VI. Mundus clamat: ego deficiam. Caro clamat: ego inficiam. Diabolus clamat: ego decipiam. Christus verò dicit: ego reficiam; & tamen superba mens magis sequi vult deficientem, quàm reficientem. *S. Bern. in epist.*

VII. Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus: magis cavendus, cùm se allicit diligi, quàm cùm admonet, exigitque contemni. *S. Aug. ad Diosc.*

VIII. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus involvitur. Non est tale judicium Mundi. Aut iste fallitur, aut Mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Et paulò pòst: Christus utique, qui non fallitur, elegit, quod molestius est; id ergo melius, id utilius, id potiùs eligendum. Et quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam seductore cavendum. *S. Bern. s. 3. de nativ.*

Damnum.

IX. Vincula hujus Mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *S. August. apud Lang. in Polyant. V. eod.*

X. Ecce jam in seipso Mundus aruit, & adhuc in nostris cordibus floret, ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, ubique percutimur, ubique amaritudine replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus, &, quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. *S. Gregor. in hom.*

XI. Mundus est, ubi malitiæ plurimùm, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia viscosa, omnia lubrica sunt, omnia aperta tenebris, & *S. Bern. in serm.*

obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, & affliguntur corpora, ubi omnia vanitas & afflictio spiritûs.

Cassiod. sup. ps. 44. XII. Mari justè comparatur hic Mundus, quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur.

S. Gregor. in moral. XIII. Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrentibus implicatur.

Idem in Dial. XIV. Despiciendus à nobis hic Mundus foret, etiamsi blandiretur, & rebus prosperis demulceret animum; at postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat?

§. IV.
EXEMPLA.

Fuga.

Gal. 6. v. 14. I. S. Paulus, quantopere Mundum oderit, ipsemet testatur, dum ait: Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.

Platus l. 3. c. 38. II. Petrus Consalvus, dum quâdam die equo superbè vectus per urbem cum sodalibus incederet, subitò ab equo in subjectum lutum excussus est, ex quo extractus cùm à Pueris & Plebe circumstante affatim rideretur, rubore suffusus, sibique iratus dixit: Quandoquidem, ô Munde, cui tam graviter servivi, sic à te tractor, ego quoque te, ut mereris, tractabo. Itaque eo momento decrevit, se DEO in Religione aliqua famulaturum, quod paulò pòst in Ordinem S. Dominici receptus præstitit.

Zachar. Lipelous 19 Iulij. III. S. Arsenius cùm ex aula Theodosij, conspectâ Mundi vanitate, in solitudinem secessisset, ab Arcadio humanissimis literis, & totius Ægypti vectigalibus promissis ad aulam invitatus est. Sed is nec rescribere dignatus, hoc solum renunciari jussit: Det veniam DEUS nostris erroribus. Ego quidem Mundo mortuus sum, pecuniam construere mei muneris non est, neque enim mortui nummos tractant, æterna cogitare, id unum ad me spectat. Cùm verò postea Magistrianus è paterna domo testamentum illi afferret, quo hæres ex asse scribebatur, respondit: Ego prius mortuus sum, quàm Pater meus: quâ ergo ratione mortuum mortuus hæredem scribit? tolle, quidquid hoc scripti est, & abi.

Idem 17. Iulij. IV. S. Alexius ipsâ Nuptiarum suarum die à paterna domo profugus, & post aliquot annos rediens, sub specie mendici usque ad mortem delituit, raróque, sed pulcherrimo exemplo, Mundo illusit.

Idem Ianuar. V. Idem S. Joannes Calybita fecit, qui, ut Mundum, Diabolúmque reditum ad Parentes & Patriam assiduò suadentes generosè vinceret, rediit quidem, sed mendicorum assumptis vestibus, sicque incognitus in paterna domo usque ad mortem latuit.

Baron. an. no 330. & 332. VI. S. Gallicanus Romani Dux exercitus, post Sauromatas, Gothos, & plures alios Populos domitos, Constantiam Constantini Augusti Filiam matrimonio sibi locatam, cum immensis opibus reliquit, & ex urbe ad ostia Tiberina secedens, hominum infimorum servitiis se totum addixit. Cujus rei famâ divulgatâ, undique multi illuc confluxerunt, ut viderent Patricium, Consularem, Triumphalem, Imperatoris Generum ad infima ministeria abjectum. Quo Mundi contemptu Gallicanus effecit, ut postea palmam Martyrij Alexandriæ sit consecutus.

Inconstantia.

VII. Carolus tertius Imperator, dictus Crassus, Francofordiæ dejectus ab Imperio, desertus ab omnibus, etiam Famulis, triduo integro, fame periisset, nisi Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus hominis fortunam miseratus, aliquot diebus illum pavisset. Is postea ab Arnulpho successore suo saltem victum postulans, pagum aliquem in Suevia, Neyding dictum, pro se alendo obtinuit. *Aventin. l. 4. Boio. annal.*

VIII. Boleslaus tertius Rex Poloniæ ob interemptum S. Stanislaum conscientiæ stimulis exagitatus, & omnibus exosus, ex regno profugit, & tandem in Monasterio Carinthiæ, Osiach dicto, occultus ministerra culinæ obiisse scribitur. *Michov. l. 4. ver. Polon. c. 20.*

§. V.
EXEMPLA PROFANA.

Inconstantia.

I. SEjanus Consul sub Tiberio Imperatore tantæ fuerat authoritatis, ut illo absente Romæ Imperatorem ageret, auréoque in curru veheretur. Sed subitò ad illum literæ sunt allatæ, quibus cùm speraret dignitatem suam tribunitia potestate auctum iri, jussus est in vincula conjici, capite plecti, unco trahi, & in Tiberim præcipitari. *Dionys. l. 58.*

II. Pertinax Imperator (sic dictus, quòd imperium oblatum pertinaciter recusâsset) primùm Grammaticam professus, postea alimentorum Procurator, inde Consul designatus, demum Africæ Proconsul, & ex hoc Imperator à Militibus electus, vix octoginta dies imperium tenuit, & ab iisdem Militibus occisus est. *Fab. cõc. 9. in Dom. 3. Adv. n. 1.*

III. Belisarius post ingentes de Barbaris victorias reportatas, demum à Justiniano Imperatore oculis orbatus, è tuguriolo à prætereuntibus stipem rogavit, dicens: Viator, obsecro, da obolum Belisario, quem invidia cæcavit, non culpa. *Drex. p. 1. Res. c. 12. §. 5.*

IV. Plautianus Antonini Cæsaris Socer, opulentissimus ac potentissimus, Filiæ dotem dedit, quæ Reginis quinquaginta sufficeisset. Sed & Populo magis, quàm ipse Imperator erat formidabilis. Vox omnium una erat, cælum prius ruiturum, quàm Socero Imperator noceret. Sed vices, ut fit, verterunt; nam Plautianum cædis structæ insimulatum Antoninus in palatio occidit, nomenque illius ex omnibus monumentis ac tabulis eradi jussit. Sed & Filium ejus Plautum ac Plautillam Filiam in Lyparim exulare, & paulò pòst occidi jussit. *Baron. ann. 206.*

§. VI.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Granat. in loc. comm. f. 636.

I. Sicut parvuli Nutricem magis amant Matre; secus verò, ubi adoleverint, & Matris atque Nutricis discrimen agnoscunt; ita qui sensu ac judicio parvuli sunt, Mundum magis, quàm DEUM diligunt; secùs verò, qui sensu & ratione in spirituales viros evaserunt.

Ibid. f. 637.

II. Sicut aulæa ex lana, serico & auro contexta intus deformia, exteriùs verò formosa ac pulchra sunt; ita felicitas Principum exterius nitet, & fulget; interius autem mille curarum ac miseriarum aculeis laceratur, quas nemo sentit, nisi qui patitur.

Bellarm. conc. 17.

III. Sicut pueri ranas piscantes pellem ranæ filo alligatam escam objiciunt, &, ubi eam aliqua cum hamo deglutient, occidit, & escam ex ore detractam aliis objicit, plurésque capit; ita Mundus divitias & dignitates aliis ereptas, aliis objicit, sicque unum post alterum hamo suo in mortem trahit.

Idem c. 11.

IV. Sicut Caupones Hospitem divertentem peramanter & humanè excipiunt, & optima quæque promittunt, sed in discessu caram symbolam severo vultu rigorosè exigunt; ita Mundus ab initio quidem amatoribus suis blanditur, sed in fine gravissimis suppliciis luere gustatas delicias cogit.

Fab. cōc. 2. in Dom. 1. Quadrag. n. 2.

V. Sicut nuces paucæ leviter commotæ multum edunt strepitum, sed triplicem habent corticem amarum, qui detrahi debet, antequam comedantur; ita Mundi deliciæ quidem à multis laudantur, sed triplices habent dolores ac sollicitudines in acquirendo, conservando, ac perdendo.

Staplet. to. 2. in Dom. 9. post Pent.

VI. Sicut is, qui thesauro in arcâ clauso ostenso, clavibúsque diversis, quarum aliqua ferrea, & ad aperiendum apta; altera aurea, & ad reserandum inepta foret, oblatis, auream eligeret, meritò insipiens crederetur; ita qui voluptates hujus Mundi velut clavem auream, sed ad reserandum cæli thesaurum ineptam præferunt crucibus & tribulationibus, quæ ferreæ quidem clavi, sed ad cælum aperiendum aptæ comparantur, meritò decipere dicuntur.

S. Bern. f. 4. in Oct. Epiph.

VII. Sicut deficientibus lignis deficit ignis; sic quia Mundus transit, & concupiscentia ejus, haud dubium, quin & lætitia quoque transeat.

Fuga.

S. Nilus in lib. Ascet.

VIII. Sicut turpe est, virum ætate provectum in pulvere considentem puerilia opera facere; ita non minùs turpe est, eos, qui de rebus alterius sæculi perfruendis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari, & studiorum turpitudine, professionis suæ fœdare perfectionem.

Fab. cōc. 7. in Fer. Cæna Dom. n. 5.

IX. Sicut nemo non aversatur Judam falsò Christum osculo prodentem; ita nemò quoque non fugere debet Mundum, falsis amatores suos deliciis decipientem, & Diabolo prodentem.

Damnum.

Staplet. to. 2. in Dom. 9. post Pent.

X. Sicut sanguis veneno infectus ad cor velut præsidium confluit, & propterea. Unde remedium sperabat, exitium patet; ita Mundi amatores, dum ex falsis voluptatibus summam sibi felicitatem pollicentur, perpetuum sibi interitum conciliant.

Ib. to. 5. in Dom. 19. post Pent.

XI. Sicut ij, qui in aquis merguntur, quidquid in manu tenent, nullo modo dimittunt, sed secum submergi cogunt; ita qui rebus mundanis immersi sunt, ea, quæ tenent, nunquam dimittere volunt, sicque nunquam ad Christum vocati veniunt.

Ios. Lang. in Polyant. V. eod.

XII. Sicut, qui picem aut viscum vel leviter tangit, inquinatur, & difficulter iterum à se amovere potest; sic vix possibile videtur, ut, qui semel Mundo adhæsit, ab eo non inquinetur, iterúmque ab eo liberetur.

Staplet. l. c.

XIII. Sicut David indutus armis Saulis incedere non poterat, nec contra Goliathum pugnare; sic armis Mundi indutus, id est, negotiis sæcularibus se implicans, DEO militare contra Dæmonem non potest.

Thriver. apopht. 50.

XIV. Sicut nemo, qui Patriam nimis diligit, peregrinæ regionis studio tenetur; ita nemo ad cælum aspirat, qui hujus Mundi illecebris delectatur.

§. VII.

MOTIVA

Ad fugiendum Mundum.

S. Bern. f. 3. de Nativ.

I. *Exemplum Christi*: qui omnia Mundo contraria elegit. Aut ergo Mundus errat, aut Christus fallitur; atqui hunc, cùm sit infinita sapientia, falli impossibile est, ergo Mundum errare necesse est.

Ioan. 15. v. 19.

II. *Exemplum Sanctorum*: quos Mundus constanter odio habuit; unde illud Christi eisdem convenit: Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.

2. Reg. 20.

III. *Fallacia Mundi*: imitatur enim factum Joabi, qui, dum Amasam amicè salutavit, & manu dextrâ mentum ejus, quasi osculans tenuit, sinistrâ gladium ejus lateri infixit. Unde & ob eandem fallaciam à nonnemine Mundus anteriori parte pulcher admodum, à tergo verò turpissimus conspectus est.

Eccles. 2. v. 10.

IV. *Vanitas Mundi*: quam, si ullus, & cognovit, & explicavit Salomon, dum dixit: Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ paraveram. Cùmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.

1. Io. 2. v. 17.

V. *Inconstantia Mundi*: transit enim Mundus, & concupiscentia ejus; unde non malè mari ab aliquibus comparetur, quod modò tranquillum est, & ad navigandum invitat; modò

modò à ventis concitatum, fluctibus omnia involvit.

§. VIII.

MEDIA.

S. Bern. in serm. I. **C**Hristi amor : nam, ut S. Bernardus ait, cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum.

S. Gregor. in registro. II. *Cælestium bonorum amor* : uti S. Gregorius suasit his verbis : Si consideramus, Fratres carissimi, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris.

S. Bern. in serm. Ecce nos reliq. III. *Vanitatis mundanæ consideratio* : nam, ut sapienter S. Bernardus advertit, ad imaginem DEI facta anima rationalis, ceteris rebus occupari potest, repleri non potest. *Idem in medit.* Hinc & alibi ait : Dic mihi, ubi sunt amatores Mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. *Stapler. to. 2. in Dom. 9. post Pent.* Ideo, teste Stapletono, Jacob, cùm nasceretur, tenuit Fratrem Esau in planta pedis, quia justus & electus DEI considerat peccatum, & mundi vanitatem in fine suo.

§. IX.

ASCETICA.

I. **Q**Uatuor sunt, quæ de hac materia considerare debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi, aliisque persuadeat id, quod unanimiter SS. Patres & Ascetæ docent, & cum illis S. Cyprianus dicens : *S. Cyprian. de 12. abus.* Mundi amor & DEI pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cælum & terram nequaquam conspiciunt. Quod idem confirmans S. Hieronymus, *S. Hier. in epist.* difficile, ait, imò impossibile est, ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hîc ventrem, & ibi mentem impleat: ut de deliciis transeat ad delicias : ut in utroque sæculo primus sit, & in cælo ac in terra appareat gloriosus.

Joan. 15. v. 19. II. Alterum est, ut certò sibi persuadeat, non posse se Christi discipulum esse, nisi & mundum odisse, & ab ipso odio haberi velit; sic enim ipse Christus prædixit : Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de Mundo non estis, sed ego elegi vos, propterea odit vos Mundus.

III. Tertium est, ut sciat, quid sit relinquere Muudum, nempe relinquere ea, quæ quærunt Mundani, puta voluptates, divitias, & honores, & similia. *Lancic. opusc. 21. Fer. 2. Dom. 4. post Pasch.* Deinde relinquere modum imperfectum, quo Mundani opera ad cultum DEI & Proximorum spectantia peragunt. Et tandem relinquere finem, propter quem Mundani plerumque sua opera peragunt, scilicet proprium commodum & amorem. Hoc modo enim impletur consilium Apostoli suadentis, ut Mundo tanquam non utentes utamur.

IV. Quartum est, ut studeat non quocunque modo recedere à Mundo, sed ita, ut eodem, aut majori fervore, quo priùs Mundo serviebat, deinceps DEO serviat, juxta consilium S. Augustini dicentis : *S. August. in ps. 31.* Amorem vestrum purgate, & quales impetus habebatis ad Mundum, tales habeatis ad Artificem Mundi. Quod ipsum etiam suadens S. Chrysologus, *S. Chrysol. in fine.* vivamus, inquit, DEO paululum, qui sæculo viximus totum : dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus est, ut aliquando tibi, domuique tuæ provideas.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. **C**Or humanum Mundi illecebris deditum, *S. Gregor. l. 16. mor. c. 11.* & carnalibus desideriis æstuans, à Diabolo succensum & fervens per consensum ollæ succensæ simile est, quia, licet tot undas quasi fervescendo projiciat, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit, tamen exundat duntaxat, non abundat.

II. Cynicus Philosophus testamenti sui tabulis cavit, ne se supinum, sed dorso cælum versus tumularent, *Engelgr. p. 1. Luc. Evangel. umbl. 12.* eò quòd censeret, universam orbis machinam inversam esse, consideret tamen, rursus aliquando convertendam, & tum se oculos ad cælum erectos habiturum.

III. In Ægypto nemo Aratorum cælum aspicit, *ibid.* eò quòd terra non à cælo per pluvias, sed à Nilo fluvio exundante irrigetur ; idem faciunt Mundi amatores, quia omnia bona sua à Mundo habere se putant.

IV. Non malè Mundi vanitatem declarans Seneca, *Seneca præf. nat. quæst.* punctum est, inquit, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis : hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini ! cùm te in illa verè magna sustuleris, videbis exercitus ire subjectis vexillis, & licebit dicere : it nigrum campis agmen : formicarum iste discursus est in angusto laborantium.

V. Nihil est in rebus humanis, inquit Philo, *Philo de DEO.* ac negotiis præter umbram, auramque levissimam, sine mora prætervolantem.

VI. Bobus triturantibus similes sunt Mundani, *S. Gregor. apud Drex. in amuss. l. 1. c. ult.* quia pro Mundi gloria cunctis sudoribus libenter inserviunt, & gravium laborum jugo colla devotissimè submittunt.

Damnum.

VII. Persæ Saccorum solemne hoc modo celebrant. *Fab. Con. in Dom. 1. Quadr.* Vinctorum, qui ad supplicium duci debent, aliquem in sella Regis collocant, & veste regia ornant, faciúntque ei potestatem delicatè & molliter vivendi, regiísque pellicibus per eos dies utendi, nec quisquam impedit, quò minùs, quod vult faciat ; completo verò tempore flagellatum suspendunt. Idem ferè Mundus cum amatoribus suis facit.

VIII. Stapletonus rectè Mundo illud Apocalypsis : *Stapler. to. 5. in Dom. 19.* Vidi in conspectu Sedis tanquam mare vitreum simile chrystallo : accommodat ; est enim Mundus mare tum[idum] per superbiam, lividum per invi[di]am, fervidum per Iracundiam, profundum per avaritiam, inquietum per

per acediam, spumosum per luxuriam, absorbens per ventris curam, ubi etiam major piscis minorem devorat. Sed dicitur vitreum propter fragilitatem, nam transit Mundus, & concupiscentia ejus.

§. XI.

AUTHORES.

I. Didacus Stella de contemptu Mundi.

II. Ludovicus Granatensis in locis communibus. f. 636.

III. Matthias Faber conc. 5. in Festo SS. Simonis & Judæ. & conc. 2. in Dom. 1. Quadr.

IV. Hieremias Drexelius in Rosis p. 1. c. 12.

V. Henricus Engelgrave p. 2. Luc. Evang. embl. 36.

VI. Thomas Stapletonus te. 5. in Dom. 19. post Pent. & te. 2. in Dom. 9. post Pent.

VII. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

VIII. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eadem.

IX. Joannes Major in magno Speculo Exemplorum. V. eod.

TITULUS XXVIII.

NOBILITAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Aristot. l. 2. Rhetor. EST quædam à Progenitoribus accepta Claritas, juxta Aristotelem. Quia tamen interdum per propria merita aut divitias acquiritur Nobilitas, ideo ut etiam hæc comprehendatur in definitione, latiùs fortè sic describi posset: Est quædam statûs eminentia seu dignitas, certis quibusdam privilegiis gaudens.

Divisio.

II. Dividitur à S. Gregorio Nazianzeno in tres species: quarum prima suam originem supernè trahit, quatenus scilicet omnes ad imaginem DEI conditi sumus; & de hac rectè cecinit quidam Poëta:

S. Gregor. Naz. apud Drexel. in Tob. p. 2. c. 1. § 2.

Si Pater est Adam cunctorum, Mater & Eva,
Omnes nónne sumus nobilitate pares?

Altera priscum sanguinem & claros Natales præfert; & hæc uti suum ortum habet, ita situm interitum ignorare non potest. Tertia est, quam propria virtus & eruditio parit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Sap. 8. v. 3. I. GEnerositatem (id est, Nobilitatem) illius glorificat, contubernium habens DEI, sed & Dominus omnium dilexit illam.

1. Cor. 1. v. 26. II. Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles.

Prov. 12. v. 9. III. Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus (id est, qui se jactat ob nobilitatem) indigens pane.

Eccl. 10. v. 17. IV. Beata terra, cujus Rex nobilis est.

Prov. 31. v. 23. V. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. ILle apud DEUM est potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem devotio fidei & sancta vita commendat. *S. Hieron. in quadam epist.*

II. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, nec obscuras quasque & humiliori loco natas te inferiores putes. Nescit Religio nostra Personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos respicit singulorum, servum & nobilem de moribus pronunciat. Summa apud DEUM libertas est, non servire peccatis. Summa apud DEUM nobilitas est, clarum esse virtutibus. *S. Hieron. ep. 54.*

III. Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quòd Nobiles quâdam necessitate constringantur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili Patri palma, sed cursui: & plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis. *Ibid.*

IV. Vacuum se ostendit in bonis, qui gloriatur in Patribus. *S. Chrysost. in Matth.*

V. Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant. *Ibid.*

VI. Licet longam Progenitorum seriem, & quidem clarissimam numeremus, in his gloriandum non est, nisi eorum virtutes superare contendamus. Scientes, aliorum opera nihil nobis in judicio profutura; verùm graviter nos condemnatura, cùm optimorum Parentum Filij, & domesticis exemplis eruditi nihil profecerimus. *Idē ho. 20. in Ioan.*

VII. Cunctis unam atque eandem nobilitatem donavit DEUS, cùm dignatus est omnium Pater vocari. *Ibid.*

VIII. Admonentur hîc divites, vel genere nobiles secundùm sæculum, cùm Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt DEO: Pater noster; quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se Fratres esse cognoscant. *S. August. in de serm. Dom. in monte.*

§. IV.

EXEMPLA.

Qualitas.

Drexel. in Tob. p. 1. c. 1. §. 2.

I. ROmanus Martyr vir nobilissimus Asclepiadi Præfecto in os dixit: Absit à me, ut nobilem me præstet, Parentum sanguis, aut lex Curiæ; generosa Christi sequela nobilitat viros. Non cupio, ut mihi, meóq; generi quidquam parcas. Christi sanguis pro me fusus me nobilitat.

Sur. 5. Feb.

II. S. Agatha, cùm Quintilianus Prætor ei dixisset: Non te pudet nobili genere natam, humilem & servilem Christianorum vitam agere? respondit: multò præstantior est Christiana humilitas & servitus, Regum opibus & superbiâ.

Beyrlinck. text 4 in Festo S. Io. Bapt.

III. Maximilianus Imperator cuidam nobilitatem mille ducatorum pretio affectanti, ditare te possum, respondit, at nobilitare non nisi propria virtus poterit.

Panorm. l. 2. de gestis Alphōs.

IV. Alphonsus Aragonum Rex, cùm aliquis ipsum à nobilitate maximè laudaret, quòd scilicet esset Rex, Regis Filius, Regis Nepos, Regis Frater, hominem interpellans dixit, nihil esse, quod in vita minoris ipse duceret, quàm quod ille tanti facere videretur; laudem enim illam non suam, sed majorum suorum esse, quippe qui justitiâ, moderatione, atque cum excellentia sibi regnum comparâssent, successoribus verò nonnisi onera regni cedere, & ita demum honori fore, si virtute potiùs, quàm testamento illa suscipiant. A se itaque, si qua modò extent, eliceret ornamenta, non à Patribus mortuis extorqueret.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Plutarch. in apopht.

I. CIcero, cùm ob cognomen dicteriis incesseretur, monitus ab aliis, ut aliud cognomen assumeret, negavit, se id facturum, sed potiùs Ciceronis nomen factis illustriùs effecturum, quàm illustrissima Catonum, Catulorum, & similium nomina fuerint.

Stob. s. 84.

II. Socrates sciscitanti, quid esset nobilitas? respondit, animæ & corporis bona temperies.

Ibid.

III. Democritus quæsitus, in quo consisteret nobilitas? pecudum nobilitas, ait, in bono, validóque corporis habitu, hominum autem nobilitas in bonitate morum sita est.

Ibid.

IV. Diogenes interrogatus, quinam homines nobilissimi essent? respondit: contemptores opum, gloriæ, voluptatis, vitæ, contrarius autem, paupertate, obscuritate, fame, labore, ac morte Superiores.

Ibid.

V. Theocritus audiens quendam ob Parentum nobilitatem gloriari, heus, ajebat, vir bone, generosos arbitrens esse non eos, qui ex bonorum & illustrium stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus præposuerunt.

Plutarch. in Lacon.

VI. Lycurgus studens cives suos ad morum emendationem traducere, non nobis, inquiebat, nobilitas & ductum ab Hercule genus prodérit, nisi ea opera gesserimus, per quæ ille mortalium clarissimus effectus est, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt, & discamus, & exerceamus.

Beyrl. in 1. in Festo Nativ. B. V.

VII. Iphicrates, cùm Hermodius illi obiiceret, quòd Patre sutore natus esset, meum, inquiebat, genus à me sumit originem, tuum verò in te desiit.

Damnum.

Laert. l. 2. c. 5.

VIII. Socrates opes & generis nobilitatem non solùm nihil in se habere nobilitatis dicebat, verùm etiam omne malum ex illis oriri dicebat.

Ibid.

IX. Sed & Diogenes nobilitatem, aliáque fortunæ bona, nihil aliud esse, quàm velamina malitiæ dicebat; cùm enim Nobiles nihilò sint aliis meliores, tamen aliis licentiùs peccant.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Stob. 84.

I. SIcut, cùm sagittarij eliguntur, non genus eorum, sed sagittandi dexteritas inquiritur; sic in amicorum electione, non unde nati, sed quales sint, inquirendum, uti rectè Bion Antigono Regi dixit.

S. Gregor. Nyss. apud Lang. in Polyanth.

II. Sicut lateres figuli ex luto tantùm originem ducunt; sic nobilitas obscuris ex Parentibus quoque nascitur.

Thevet. in apopht.

III. Sicut neminem nutrit fumus obsoniorum, sed narés tantùm provocat; ita neminem beat stemmatis antiquitas, sed virtutis duntaxat admonet.

Fab. cōc. 9. in Festo Nat. B. V.

IV. Sicut Luna, quò remotior est à Sole, magis splendet; ita Nobilitas, quò magis se deprimit, & elongat à DEO, eò magis fulget.

Beyrl. in 1. in Festo Nat.

V. Sicut longè præstantius, majoríque dignum laude est, domum ædificare, quàm inhabitare, aut ornare ædificatam; ita excellentius longè est, ab se partam nobilitatem possidere, quàm servare ab aliis acceptam.

Ibid. ex Ambros.

VI. Sicut canum & equorum origo nihil ad cursum expeditiorem facit, neque illis palma datur, sed cursui; ita non nobilitas, sed virtus expeditum facit ad viam salutis decurrendam.

Aristot. l. de mundo.

VII. Sicut Phydias inclytus ille sculptor Minervæ effigiem suam ita insculpsit, ut non nisi confracto clypeo eximi posset; ita DEUS nobilium indoli & sanguini sic appetitum honoris impressit, ut nisi prava educatione corrumpantur, aut morte frangantur, eripi non possit.

§. VII.

MISCELLANEA.

Iuven. sat. 8.

I. NOn malè stemmatum vanitatem expressit Juvenalis, dum cecinit:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri? pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

II. Sa-

Senec. l. 1. controv. II. Sapienter etiam Seneca, bona mens, inquit, omnibus patet. Omnes ad hoc nati sumus nobiles. Nec ejicit quemquam Philosophia, nec eligit, omnibus licet. Patritius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit.

Lud. Vivis in introd. ad Sapient. c. 3. III. Quid aliud est Nobilitas, inquit Ludovicus Vivis, quàm nascendi fors & opinio à Populi stultitia inducta? aut quæ sæpenumero latrociniis quæritur?

Utilitas.

Cicero pro Sext. IV. Omnes boni, inquit Cicero, nobilitati favemus, quia Reipublicæ utile est, nobiles esse homines dignos majoribus suis.

Fab. them. 4. auct. V. Pontifex in Veteri Testamento, ut majori cum authoritate docere Legem & Principes posset, non aliam, quàm nobilem virginem ducere audebat, uti Levit. 21. dicitur.

§. VIII.
AUTHORES.

I. Hieremias Drexelus in Tob. p. 1. c. 1.

II. Matthias Faber. them. 4. in auctar. & conc. 9. in Festo Nativ. n. 3.

III. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eod. & text. 1. in Festo Nativitatis B. Virginis.

IV. Ludovicus Granatensis in locis communibus. f. 196.

V. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

VI. L. Annæus Seneca l. 3. de benef. & l. 1. controvers.

TITULUS XXIX.
OPUS BONUM.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



EST Opus, vitæ æternæ meritorium. Sic enim hic accipitur, & non prout est opus laudabile seu rationis dictamini conforme, quale etiam ab Ethnicis patrari potest.

Divisio.

II. Dividitur in opus *necessarium* & *supererogatorium*; illud est, quod omnino impleri necesse est ab iis, qui vitam æternam obtinere desiderant; istud est, quod liberè ab operante suscipitur.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

1. Ioan. 3. v. 18. I. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

Matth. 5. v. 16. II. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

Ioan. 9. v. 4. III. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

Psal. 1. v. 3. IV. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Marc. 14. v. 6. V. Bonum opus operata est in me.

Io. 6. v. 27. VI. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

1. Cor. 15. v. 58. VII. Itaque, Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.

VIII. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Ioan. 12. v. 35.

IX. Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Ioan. 15. v. 16.

X. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Galat. 6. v. 10.

XI. Satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram & electionem faciatis. 2. Petr. 1. v. 10.

Necessitas.

XII. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3. v. 10.

XIII. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. v. 21.

XIV. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat. Io. 15. v. 2.

XV. Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? Iac. 2. v. 14.

Utilitas.

XVI. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum DEO tuo. Mich. 6. v. 8.

XVII. Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Isa. 3. v. 10.

XVIII. Reddet unicuique secundùm opera ejus. Rom. 2. v. 6.

XIX. Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum. Ibid. v. 10.

XX. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Gal. 6. v. 9.

XXI. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei. Prov. 12. v. 14.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Cyrillus apud Lyraeū. apoph. 19. l. 1.

I. HAbent opera linguam suam, habent facundiam suam, etiam tacente linguâ: facta namque prædictis amantem probant.

S. Gregor. Nyss. l. de Opif. Mundi.

II. Manus datæ sunt homini, ut meliùs loqueretur; tunc enim meliùs quis loquitur, cùm manuum actiones vocem comitantur, & pronuntiationem adjuvant; illarum quippe motus, rei, de qua agitur, & vocis sono conveniens, nescio quid spiritûs & vitæ habet. Quisquis igitur diligere se alium asserit, & in verbis sistit, sine manibus loquitur, verba ejus quodammodo mortua sunt; accedat operatio, quæ manuum similitudine significatur, & fiet, ut meliùs loquatur.

Orig. ho. 9. in Judices.

III. Non absque sacramenti quâdam significatione hoc mihi videtur scriptum (scilicet historia de Militibus Gedeonis aquam manu lambentibus) nempe quòd & manu, & linguâ operari debeant Milites Christi, hoc est, opere & verbo.

S. Ign. M. in epist. ad Ephes.

IV. Qui Christum profitentur se amare, non modò ex iis, quæ dicunt, sed & ex iis, quæ faciunt, cognoscuntur; ex fructibus enim arbor dignoscitur; præstat enim amicum esse, & tacere, quàm loqui, & non esse: non in sermone regnum DEI, sed in virtute est.

S. Chrysost. apud Lyr. apoph. 9. l. 1.

V. Ille Syllogismus certissimè concludit, qui per opera efficitur.

S. Bern. l. 3. de consid. c. 4.

VI. Spiritualis homo omne opus suum trina consideratione præveniat. Primò, an liceat: deinde, an deceat: postremò, an expediat; nam etiamsi constet in Christiana Philosophia non decere, quod non licet; non expedire, quod non decet, & non licet, non continuò tamen omne, quod licet, decere aut expedire consequens erit.

S. Basil. in ps. 33.

VII. Potest juxta Apostolicam adhortationem vir quivis bonarum artium studiosus cuncta facere ad gloriam DEI, ita, ut facta, dictáque ipsius omnia; omnísque spiritualis operatio vim laudis habeant. Sive enim bibat justus, sive edat, omnia ad DEI gloriam facit. Talis etiam, cùm dormit, cor vigilat, juxta verbum dicentis in Cantico Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat.

S. Gregor. l. 11. in Iob.

VIII. Vigilanti curâ per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat.

Necessitas.

Idem ho. 3. in Evang.

IX. Nec sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione respondeat. De dilectione Conditoris lingua, mens, & vita requiruntur.

Utilitas.

S. Bern. s. 05 ad Cler.

X. Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque veluti æternitatis semina jaciuntur: Stupebit insipiens, cùm ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, sive bonam, sive malam pro qualitate sementis.

Idem s. de Omn. SS.

XI. Ad quid opera illorum sequuntur, nisi ut laudent eos in portis? ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuum suarum saginentur vituli, quos ex testimonio Prophetico, cùm reædificabuntur muri Jerusalem, super altare Domini novimus imponendos.

§. IV.
EXEMPLA.

Marc. 7. v. 37.

I. CHristus usque adeò perfectè sua opera elaboravit, ut publicum à turba testimonium tulerit, dicente: Bene omnia fecit. Sed & S. Mariæ Magdalenæ quondam dixit: Sint omnia opera tua facta cum tanta mansuetudine, & cum actu seu gestu adeò humili, ut repræsentent Magnetem ad trahendas creaturas ad DEUM: & cum tanta prudentia, ut fiot regula membris meis, id est, animabus religiosis & tuis proximis. *(Vit. p. 1. c. 10.)*

Joseph. l. 1. antiq. c. 3.

II. Abel, teste Josepho, justitiam colebat, & omnibus actionibus suis DEUM præsentem ratus, virtuti operam dabat.

Gen. 6. v. 9.

III. De Noe testatur S. Scriptura, quòd fuerit vir justus, atque perfectus in operibus suis, & cum DEO ambulaverit.

Act. 13. v. 14. 3 Reg 15. v. 5.

IV. David erat vir secundùm cor DEI, & faciebat omnes voluntates ejus, & fecit rectum in oculis Domini, & non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.

2. Paralip. c. 31. v. 21. 4. Reg. 20. v. 3.

V. Ezechias operatus est bonum & rectum, & verum coram Domino DEO suo in universa cultura Ministerij domûs Domini, juxta legem & cæremonias, volens requirere DEUM suum in toto corde suo. Hinc etiam ausus est ad DEUM dicere: Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.

Job. 1. v. 8.

VI. De Jobo quoque dixit DEUS ad Satham: Numquid considerâsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, homo rectus, & simplex, ac timens DEUM, & recedens à malo.

p. 1. Vit. c. 5.

VII. S. Clara de monte Falco cum tanta cautela ac diligentia omnia sua peragebat, ac si quâvis horâ vocanda foret ad rationem DEO reddendam.

Lyraeus l. 4. apopht. 10.

VIII. Senex quidam ex antiquis Patribus, ad se venientibus dicere solebat: Non opus est verborum tantùm; sunt enim verba plurima in hominibus tempore hoc, sed opera necessaria sunt, hæc enim DEUS quærit, non verba, quæ fructum non habent.

§. V.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Laurent. Justin. in precam.

I. SIcut arbor, si virescat foliis, flores redoleat, etsi immaturis fructibus fecunda & amœna in se esse videatur, infructuosa censenda est; ita & opus quodlibet, si interna virtutis ac caritatis directione informatum non est, æternæ vitæ merito prorsus caret.

II. Sicut

Plutarch. de cognos profect. II. Sicut qui sepem aut aggerem construunt, quodvis congerunt lignum, saxum, aut columnam è sepulchro delapsam; at qui Regiam ædificat; nihil temerè componit; sic vir bonus nullam vitæ partem negligit incompositè.

Drex in amussi l. 2. c. 14. III. Sicut in templo Salomonis nihil erat, quod non auro tegeretur; sic in templo animæ nullum opus relinqui debet, quod non auro caritatis divinæ, seu purissimæ intentionis vestiatur.

Beaplat. tr. 9. in Dom. 7. post Pent. IV. Sicut homines avari nec minima lucra contemnunt, sed semper cumulo addunt; ita homo nec minimas benefaciendi occasiones prætermittere debet.

Ibid. V. Sicut in eo, qui rectè valet, calor naturalis omne alimentum in sanguinem convertit; sic in DEO radicatus, omnia quæ facit, &, quæ ei accidunt, materiam virtutis & boni operis facit.

Beyrl. tex. 9. in festo S. Cath. VI. Sicut Domini honoratiores, famulos suos, qui eos comitantur ad magnum Principem aut Imperatorem ituros, quàm possunt, optimè & decentissimè vestire solent; ita, cùm opera nostra nos olim ad DEUM Judicem nuros comitatura sint, æquum est, ut, quàm possimus, perfectissimè eadem peragamus.

Ibid. VII. Sicut ij, qui ad nuptias invitati sunt, omnem operam adhibent, ut honestissimè vestiti accedant; ita qui ad cælestes nuptias invitatos se credunt, non minorem diligentiam adhibent, ut pulcherrimis virtutibus, optimísque operibus ornati compareant.

Utilitas.

VIII. Sicut malis operibus quasi quibusdam vectibus ac seris vitæ nobis janua clauditur; ita absque dubio bonis operibus aperitur.

§. VI.

MOTIVA.

Jac. 2. v. 24. I. NEcessitas: Quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm, teste S. Jacobo. Et hæc sunt, ex quibus in altera vita vivere debemus, unde meritò hortatur Salomon: Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. *Eccles. 9. v. 10.*

1. Tim. 4. v. 8. II. *Utilitas*: Quia opera bona sunt veræ divitiæ spirituales ad omnia utiles, teste S. Paulo dicente: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem (quam Interpretes volunt in bonorum operum exercitio consistere) ad omnia utilis est. Unde & Christus tam sollicitè ad hos thesauros, quos nec fures effodiunt, & furantur, nec ærugo & tinea consumit, congregandos hortatur. *Matth. 6. v. 20.*

III. *Jucunditas*: Si enim tam jucundus est Operariis, Artificibus, Mercatoribus & Militibus labor ac certamen, quia per eos se divitias temporales & perituras obtenturos sperant; quantò magis jucunda accidere debet operum bonorum exercitatio, per quam veræ & æternum mansuræ divitiæ spirituales comparantur.

IV. *Dignitas*: Si enim in hac vita tantò quisque dignior censetur, quantò propiùs dignitate sua ad Regem vel Imperatorem accedit, quantóque major horum amicus creditur; quantam bonis operibus dignitatem inesse necesse est, per quæ sola homo proximè ad DEUM accedit, & amicus ejus carissimus efficitur.

V. *Facilitas*: Cùm enim DEUS, teste pio Authore, magis penset, ex quanto quis agat, quàm opus, quod facit, facilè patet, facillimum cuique esse, bonis operibus vacare; quam ob causam Christus onus suum leve, & jugum suave esse dixit. *Matth. 11. v. 30.*

§. VII.

MEDIA.

I. AMor DEI: nam, ut S. Gregorius ait, nunquam DEI amor est otiosus; operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est. *S. Greg. ho. 3. in Evãg.*

II. *Amor sui Ordinatus*: si enim temporalibus divitiis tantopere inhiamus, ut per eas nobis bene sit in hac vita; quantò magis operibus bonis studiosè vacandum est, quæ efficiunt, ut nobis in hac & altera bene sit. Hinc meritò B. Mechtildem, cùm quondam à Christo visitaretur, has Beatorum in cælis voces audivisse dicitur: O felices vos, qui in terris adhuc degitis, meritorum enim majores cumulos vobis potestis comparare! Si enim, quantùm quotidie meritorum mortalis sibi acquirere potest, probè intelligeret, quo temporis articulo manè expergiscitur, summo perfunderetur gaudio, advertens diem sibi illucéscere, quâ DEO vivere, & tantis se divitiis, meritísque locupletare se posset. *Bredenbach. l. 8. collat.*

III. *Amor & Zelus erga Proximum*: cùm enim hujus salus maximè per gratiam DEI efficacem procuretur (nam homo rigat, & plantat duntaxat, DEUS autem dat incrementum, teste D. Paulo) hæc autem gratia tantò certiùs & copiosiùs obtineatur, quantò gratior est is, qui eam petit, tantò autem DEO quisque sit gratior, quantò copiosiùs amorem suum operibus DEO gratis testatur, rectè infertur, optimum esse Proximo subveniendi medium, bonorum, id est, statui suo ac vocationi conformium operum exercitium. *1. Cor. 3. v. 6.*

IV. *Vitæ brevitas*: quis enim Mendicus, si Rex ei thesaurum aperiret, ac facultatem concederet, per unum diem auferendi ex illo thesauro, quantùm vellet, & posset, vel unicum momentum abire sineret, quem non pecuniis ex thesauro exportandis impenderet? quantò magis ergo cessare non debet manus nostra spatio tam brevi vitæ ad divitias cælestes comparandas concesso. Hinc meritò monet Apostolus: Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Eph. 5. v. 15.*

V. *Sæcularium fervor & exemplum*: si enim illi die noctúque à laboribus non cessant, ut honores, & opes, & voluptates perituras acquirere, fruique ijs possint; quid facere non deberet homo, ut æternas opes, ac voluptates, gloriámque consequatur? O utinam non cum veri- *Luc. 16. v. 8.*

tate dici posset: Filij hujus Sæculi prudentiores Filiis lucis in generatione sua sunt!

§. VIII.

ASCETICA.

I. TRia sunt præcipua, quæ Asceta de bonis operibus nôsse, aliisque bene inculcare debet. Primum est, ut bene cognoscat, quænam conditiones ad opus bonum requirantur, scilicet, ut quoad *substantiam* sit saltem indifferens: quoad *Modum* fiat cum debita diligentia & circumstantiis: & quoad *finem* fiat propter finem supernaturalem. Quod nonnulli breviùs expresserunt, dum dixerunt:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,
Quæ vult, quóve modo vult DEUS, & quia vult.

De primo quidem testatur Theodoretus his verbis: Qui DEUM amat, omnia alia despiciens, & eum solum, qui amatur, respiciens, illius curam, & suam in eum servitutem cæteris præfert omnibus, illa solùm dicens & faciens, quæ ei, quem amat, placent, & grata sunt; & abhorret omnia, quæcunque ille prohibet. Quod ipsum etiam sentiens B. Petrus Damiani ait: Unum est, quod mens cujusque fidelis debet solerter attendere, & intra semetipsum sollicitâ semper inquisitione versare, scilicet utrum placeat DEO, quod agit; & an ejus vitâ vel operibus DEUS delectetur; quid enim prodest, quidquid homo faciat, si hoc non placet DEO? Sicut enim, inquit Stapletonus, qui aliquem invitat, parat studiosè cibos, non suo, sed Hospitis palato gratos; sic si DEO per opera nostra placere volumus, ea oportet facere, quæ ipsi grata, non quæ nostris cupiditatibus accepta sunt. Porrò ut cognoscamus, quæ ipsi grata sunt, tres habemus Superiores, qui id indicent (ut bene notavit Joannes Ximenez Societatis JESU Coadjutor) DEUM in cælo, Superiorem in Capitulo, rationem in capite; nam, ut S. Laurentius Justinianus ait, hominis ratio, cùm splendore illustratur sapientiæ, & divino appropinquat lumini, est quædam spiritualis regula, & magistra virtutum, per quas, quid rectum, quidve obliquum versetur in corde, quid agendum, & quid omittendum sit, sufficienter intelligit. Ideo Christi legitimus servus, & perfectionis amator nunquam cesset, rationis judicio virtutum actus examinare, ne incuriâ discretionis, vitium sub virtutis velamine ad opus exeat. Sed & S. Basilius testatur, DEUM per naturæ legem, boni malique rationem nobis indidisse, sui Dominam, aurigandi gnaram, & rectricem optimam.

Theodor. orat. de carit. — *S. Petrus Dam. l. 5. ep. 5.* — *Vita P. Balth. Alvar. c. 21. & 45.* — *S. Laur. Iust. c. 24. de disc. & perf. mon. conft.* — *S. Basilius c. 7 de præscript.*

II. Quod verò etiam *eo modo*, qui DEO placet, facere opera nostra debeamus, sat clarè indicavit Apostolus, dum hortatus est, ut essemus abundantes in bono opere semper, id est, ut S. Basilius explicat, majore studio persequamur opus Domini, quàm ea, quæ vulgò sunt in studio apud homines; si enim idem Apostolus Dominis carnalibus voluit serviri non ad oculum, sed ex animo, cum timore & tremore, simplicitate & bona voluntate, quantò magis ab homine DEUS in suo servitio similem diligentiam requiret. Hinc per Siracidem hortatur: In omnibus operibus tuis præcellens esto.

S. Basil. in reg. brev. 190. — *Eccl. 33. v. 23.*

III. Quòd denique etiam facienda sint opera, *quæ DEO placent*: pulchrè inprimis indicavit S. Bernardus, dum ait, ex intentione rectitudinem operis, velut ex facie pulchritudinem corporis æstimari. Duo autem in intentione (quam faciem animæ esse diximus) necessaria requiruntur tanquam duæ genæ, res, & causa, id est, quid intendas, & propter quid. Et ex his sanè duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur. Illud porrò opus, teste Granatensi, est DEO gratissimum, quod solis ejus oculis conspicuum, ei, qui operatur, nec utilitati, nec honori, sed nec voluptati est, nisi hoc solo nomine, quòd DEI causa sit factum. E contrario verò juxta S. Bernardum, insipida DEO, & quodammodo insulsa est nostra obedientia vel patientia, nisi omnium, quæ vel agimus, vel patimur, ipse sit causa. Quàm autem sublimis sit hic gradus, testatur apertè S. Laurentius Justin. dum ait: Rarus profectò reperitur, qui solo testimonio contentus sit divino. Hoc probatissimorum virorum proprium est, qui in luce veritatis gradientes introrsus, DEO tantùm placere concupiscunt.

Lud. Gran. apud Drex. in amussi l. 2. c. 6. §. 6. — *S Bern. s. de obed. & pat.* — *S. Laur. Iustin. de compl. Christ. perf. cul. 19.*

IV. Alterum est, ut magnam de ejusmodi bonis operibus æstimationem concipiat, quam quidem haud difficulter hauriet, si certò sibi persuadeat, optimam vitam (qualis est, quæ optimis operibus abundat) esse *summum*, quem DEO exhibere possumus, *cultum*: *summum*, quod nobis ipsis hîc in vita procurare possumus, *gaudium*: & *summum* denique, quod defunctis æquè ac viventibus præstare possumus, *auxilium*.

V. Tertium est, ut medium idoneum & efficax nôrit, quo in ejusmodi bonorum operum exercitio juvetur, quale quidē præ reliquis æstimatur, si ita hoc exercitiū aggrediatur, ac si dies quilibet aut primus conversionis, aut ultimus vitæ esset; quorum mediórum primum S. Antonius suasit dicens: Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod cœperit. Alterum S. Basilius suggessit dicens: Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cùm enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; & cùm in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut faciliùs te possis refrenare ab omnibus vitijs.

Surius to. 1. p. 386. — *S. Basil. in instruct. ad fil. spir.*

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Thesaurizate vobis thesauros in Cælo*: possunt bona opera thesauro comparari. 1. *Propter varietatem operum*: sicut enim in thesauro res valde variæ repe-

Matth. 6. v. 20.

reperiuntur, ita vita quoque nostra variis operibus, ab obedientia ac DEI voluntate præscriptis, abundare debet. 2. *Propter antiquitatem*: quia sicut thesaurus est pecunia, vel aliæ similes res abscondita à longo tempore; ita ab antiquis jam Patribus ac Majoribus bona opera jam sunt exercita, & nobis pro thesauro, id est, ad imitationem relicta. 3. *Propter præstantiam & valorem*: quia sicut thesaurus divitem & beatum, omnibusque bonis affluentem facit hominem, ita id ipsum multò copiosiùs & sublimiùs bona opera faciunt, uti facilè fusiùs ostendi potest. Excitentur proinde Auditores, ut nulli labori parcant in hoc thesauro comparando, & effodiendo.

Apoc. 14. v. 13. II. Ex occasione thematis: *Opera enim illorum sequuntur illos*: potest narrari & explicari Parabola Barlaami de Amico, qui ad Judicem citatus, tres, quos habebat Amicos rogavit, ut secum irent, & apud Judicem defenderent; quorum primus (per quem divitias intelligebat) non nisi indusium aut vestem, qua honestè tegeretur, obtulit: alter (per quem Consanguinei significantur) non nisi ad domum usque Judicis, seu sepulchrum, comitabatur: tertius, quem minimè sibi conciliare studebat (opera bona puta) usque ad Judicem secutus est, fortitérque defendit. Excitentur proinde Auditores, ut hunc velut sincerissimum Amicum pluris æstiment, & ante omnes fovere per frequens exercitium studeant.

Matth. 25. v. 4. III. Ex occasione thematis: *Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*: possunt bona opera oleo comparari, lampas verò anima dici. Et 1. quidem necessitas bonorum operum ostendi, quòd scilicet, quàm parùm lumen sine oleo aut simili materia nutriri, tam parùm lumen gloriæ & visio beati ca sine bonis operibus conservari possit. 2. Ostendi potest gaudium, quod ex lumine gloriæ per oleum bonorum operum accenso vel obtento oritur, ubi fusiùs nuptiarum cælestium, & beatitudinis æternæ jucunditas explicari potest. 3. Ostendi possunt Mercatores, qui ejusmodi oleum vendunt, id est, occasiones variæ bonorum operum exercendorum proponi possunt, atque ad illas sollicitè apprehendendas Auditores excitari.

§. X.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Lyræus l. 1. apopht. 14. I. ECclesia, dum Epistolam recitari in Missa jubet, non frustra manus libro applicari præcipit, ut significet, non sufficere audire Verbum DEI, sed etiam manum applicandam esse, id est, opere complendum, quod lectum est.

II. Olim in veteri testamento non offerebantur pulli, nisi retorto ad collum capite, circa quem ritum S. Gregorius ait: caput ad pennulas retorqueri præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, & os ad opera conjungas; quid enim ait S. Prosper, agat domum dilectionis, si benevolentiæ sollicitudo non vigilet. Levit. 1. v. 15. S. Greg. ho. 7. in Ezech. S. Prosper apud Lyr. l. c.

III. Maximum hoc est & officium Sapientiæ, & judicium, ut verbis opera concordent, ut & ipse par tibi ubique, ibidémque sis. Quis hoc præstabit? pauci, aliqui tamen. Seneca ep. 20.

Necessitas.

IV. Cato Romanus neminem in civem Romanum admittebat, nisi qui callosas & labore induratas manus haberet; sic neque DEUS alios in cælum admittit, nisi qui in bonis operibus strenuè se exercuerunt. Engelgr. in luce Evang.

Utilitas.

V. Chiromantæ ex manibus hominis prosperam et vel adversam fortunam annunciant; veriùs tamen ex operibus bonis uniuscujusque vel mentis, felix et status æternitatis prædicitur. Lyræus l. c.

VI. Aristodemus, cùm uxor ei geminos Filios peperisset, ut de hærede regni Lacedæmonici judicare posset, atque adeò quis primogenitus esset, intelligere ex insidiis arbitros observare jussit, quem ex geminis Mater primum ubceribus admoveret, ulnis exciperet, osculis dulciaret, si quę ex hisce judicus primogenitus innotuit. Simili modo etiam noster erga DEUM amor, & primi amici ex operibus cognoscuntur. Ibid.

VII. S. Gertrudis divinitus edocta est, quòd, quandocunque aliquis scribit, vel alios docet eâ intentione, ut laus DEI per hoc promoveatur, & profectus animarum, tunc omnis profectus, quem unquam aliquis ex illa doctrina vel Scriptura etiam post mille annorum millia consequatur, cedit in illius salutem, qui sua interiore hoc primitus Domino libavit. L. 4. insin. c. 13.

§. XI.

AUTHORES.

I. NIcolaus Lancizius opusc. 3. c. 3. & 9. & opusc. 5. c. 3. & opusc. 10. c. 8. Item opusc. 11. c. 32. & c. 17.

II. Hadrianus Lyræus in apopht. S. Ignatii l. 1. apopht. 14.

III. Thomas Stapletonus tex. 3. & 5. in Dom. 7. post Pent. & tex. 7. in Dom. 12. post Pent. Item tex. 2. in Dom. Septuag.

IV. Hieremias Drexelius in amussi seu recta intentione. l. 2. c. 10.

V. Henricus Engelgrave. p. 1. Lucis Evang. embl. 39.

VI. Mathias Faber conc. 3. in Dom. 7. post Pent. & conc. 5. in Dom. 15. post Pent. Item conc. 1. in Dom. Septuag.



TITULUS

TITULUS XXX.

PAX.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Cassiod. in psalm. IUxta Cassiodorum, est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. Vel universaliùs, ut etiam animi pacem includat, est, plurium partium tranquillus consensus.

Divisio.

II. Dividitur in pacem cum DEO. Proximo, & seipso. *Pax cum DEO* consistit in perfecta voluntatis humanæ cum divina consensione, de qua Christo nato, Angeli cecinerunt: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Pax cum Proximo* in tranquilla hominum inter se conversatione vel cohabitatione, quam Christus optari ab Apostolis domum intrantibus voluit: Pax huic domui. *Pax cum seipso* consistit in omnimoda vitiorum ac passionum subjugatione, de qua Apostolus locutus est dicens: Pax *Philipp. 4. v. 7.* DEI, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias vestras.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Pax cum DEO.

Ps 71. v. 7. I. ORietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.

Apoc. 1. v. 4. II. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est.

Iob. 9. III. Quis restitit ei, & pacem habuit?

Ioan. 14. v. 27. IV. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo Mundus dat, ego do vobis.

Is 48 v. 22 V. Non est pax impijs, dicit Dominus.

Is. 32. v. 17. VI. Et sedebit populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

Pax cum proximo.

Hebr. 12. v. 14. VII. Pacem sequimini cum omnibus, & Sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM.

Ierem. 29. v. 7. VIII. Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad DEUM, quia in pace illius erit pax vobis.

Lev. 26. v. 6. IX. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit, qui exterreat, auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros.

Rom 14. v. 19. X. Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.

1. Cor 1. v. 10. XI. Obsecro vos, Fratres, per nomen Domini nostri JESU Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.

XII. In quamcunque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui: & si fuerit ibi filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. *Luc. 10. v. 5.*

Pax cum seipso.

XIII. Pax DEI, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo JESU. *Phil. 4. v. 7.*

XIV. Non est regnum DEI esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. *Rom. 14. v. 17.*

XV. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. *Psal. 118. v. 165.*

Utilitas.

XVI. Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. *Iob. 22. v. 21.*

XVII. Beati pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur. *Matth. 5. v. 9.*

XVIII. Quis est homo, qui vult vitam diligere, & dies videre bonos: declinet à malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & sequatur eam. *1. Petr. 3. v. 10.*

XIX. Pacem habete, & DEUS pacis & dilectionis erit vobiscum. *2. Cor. 13. v. 11.*

Jucunditas.

Secura mens quasi juge convivium. *Prov. 15. v. 15.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. TUnc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo Judice regitur, *S. Leo in serm.* & animus DEO præside gubernatur.

II. Hæc est vera pax, à DEI voluntate non dividi, & in his, quæ solius DEI sunt, delectari; *ibid.* quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, & voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc est serenitas mentis, & tunc est regnum DEI.

III. Numquid DEUS de uno pisce fecit omnes? de uno equo equos omnes? de una bestia omnes bestias? numquid non multas plantas simul terra producit? ventum est ad hominem faciendum, & factus est unus, & de uno genus humanum. Nec duos facere voluit separatim masculum & feminam, sed de uno unam. Quare sic? & quare ab uno genus humanum inchoatum? nisi quia generi humano unitas commendatur? *S. Aug. 20.*

Necessitas.

IV. Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Christianus dici non debet. Qui in hac non sperat, in lubrico vitam & pedem ponit, in tempestate navigat, in præcipitio ambulat, in arena seminat. *S Aug. f. 2. ad FF. in Erem.*

V. Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si unitatem non habet pacis: nec pervenit *Idē f 169. de temp.*

venit ad vocabulum Filij, si nomen non habet pacifici.

S. Greg. Nyss. tr. 1. in psal. VI. Si totus hic Mundus Musica quædam consonantia est, cujus Opifex & effector Deus: parvus verò Mundus homo est, simúlque similitudo & imitatio quædam ejus, qui Mundum concinnavit, necesse est, ut, quod ratio in magno illo & spatioso Mundo reperit, hoc, ut par est, in parvo itidem conspiciatur.

Rupertus in 6. Cant. VII. Castrorum acies ordinata tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata & densata, ut in nullo loco interrupta videatur; nam si locus vacuus, per quem hostis potuit ingredi, dimittatur, profectò jam suis terribilis non est. Et nos ergo cùm contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per caritatem semper uniti atque constricti, & nunquam interrupti per discordiam inveniamur, quia, quamvis quælibet bona in nobis fuerint, si caritas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos valeat hostis intrare.

S. Chrys. ho. 34. in Gen. VIII. Quamvis plurima pace, & cura externa fruamur, si intra nos cogitationum nascitur tempestas, tumultus & seditio, nihil externa pax nobis proderit. Sicut & neque miserabilis est aliquid civitate, quæ licet præsidiis & muris bene munita sit, intus tamen cives foveat proditores.

Utilitas.

S. Chrysol. f. 10. IX. Revera, Fratres, si essemus unum & humanum corpus, eos, qui pereunt, nostra viscera crederemus, afflictione jejunij, precum gemitu, effusione gemituum jugiter clamaremus: Domine, salva nos, perimus: & studeremus nobis in Fratribus subvenire: nec tanta Corporum, sed nec animorum naufragia sentiremus.

S. Aug. f. 169. de temp. X. Pax est, quæ hominem expoliat servitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione Personam, ex famulo liberum facit, filium ex servo, amicum facit ex DEO, Patrem reddit ex Domino.

Idem de verb. Dom. XI. Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iram comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari: hanc, qui acceperit, teneat; qui perdiderit, repetat: qui amiserit, exquirat.

S. Aug. de civit. DEI. XII. Tale bonum est bonum pacis, ut in rebus creatis nil gratiosiùs soleat audiri, nil delectabiliùs concupisci, & nil utiliùs possideri.

Tertull. ad Mart. XIII. Diabolus vos inveniat munitos, & concordiâ armatos, quia pax vestra bellum est illi.

S. Aug. de verb. Dom. XIV. Concorda cum Adversario tuo, nescis, quandò vita finiatur. Cùm vita finita fuerit, judex restat, & minister, & carcer. At si servaveris Adversario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro Judice invenies Patrem, pro ministro sævo Angelum tollentem te in sinum Abrahæ, pro carcere Paradisum.

XV. Dicamus, Fratres, his, qui nos odio habent: Parcam tibi in re aliqua parva, ut majus aliquid nempe concordiam accipiamus: vincamur, quò vincamus. *S. Gregor. Naz. f. 3. de pace.*

Jucunditas.

XVI. Si Uxor, Maritus, & Filij atque Domestici in concordia sunt, quid est domus, nisi cœlum? si autem discordia est inter illos, quid est, nisi infernus? *S. Thom. Villanov. in conc. ad Relig.*

XVII. O quàm bonum & jucundum habitare Fratres in unum. Id est, qui sic vivunt in unum (ut S. Augustinus explicat) ut unum hominem faciant, ut sit illis verè, quod scriptum est, una anima, & unum cor, multa quidem corpora, sed non multa corda. *S. Aug. in psal. 132.*

XVIII. Præcipuum illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit; nam, ubi hoc fit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim, cùm caput corpori connexum, conjunctúmque sit, ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? *S. Chrysost. ho. 4. in 2. ad Tit.*

Dignitas.

XIX. Angelicis & cœlestibus copiis nihil tam proprium est, quàm pax & concordia. Proinde, qui pacis, bonum amplexantur, dissensionémque oderunt, ad divinas mentes accedunt. *S. Gregor. Nazianz. orat. 1. de pace.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. NOn est pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in fervido & spirituali. *L. 1. c. 6. §. 2.*

II. Non fit pax tua in ore hominum, sive enim bene, sive malè interpretati fuerint, non es ideo alter homo. *L. 3. c. 28. §. 2.*

III. Ubi est vera pax, nónne in me? *Ibid.*

IV. Qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfruetur pace. *Ibid.*

V. Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant. Pax mea cum humilibus & mansuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. *L. 3. c. 25. §. 1.*

VI. In omni re attende tibi, quid facias, & quid dicas, & omnem intentionem tuam ad hoc dirige, ut mihi soli placeas, & extra me nihil cupias, vel quæras. Sed & de aliorum dictis vel factis nil temerè judices: nec cum rebus tibi non commissis te implices, & poterit fieri, ut parùm vel rarò turberis. *Ibid.*

VII. Quòd si ad plenum tuipsius contemptum perveneris, scito, quòd tunc abundantia pacis perfrueris, secundùm possibilitatem tui incolatûs. *Ibid. § 3.*

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

I. CHristus, teste V. Beda, pacatissimo sæculi tempore procreatus est, quia quòd pacem magnopere quæreret, & amaret, edocuit; *V. Beda in Luc. c. 2.*

edocuit; quia quòd pacis, caritatisque sectatores semper invisere dignaretur, indicavit. Sed

S. Ambros. c. 6. l. de Iacob.

& S. Ambrosius ait: Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & stabilitatem, ideo Dominus domum ejus perfectioribus reseravit, dicens: Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis. Perfectorum enim est, non facilè mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in litore tutissimo adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus invexit. Imò & de DEO idipsum affirmans S. Chrysostomus, author ipse rerum DEUS, ait, jam olim à principio sexcenta commentus est, quibus in unum nos conciliaret.

S. Chrysost. ho. 24. in 1. Cor.

Gerardus Rho l. 10. hist. Austr. p. 95.

II. Julius II. Pontifex cum Cæsare & Gallo apud Camerarium fœdus iniens, Hostiam in tres partes divisit, singulis distribuens, addito hoc Christiano voto, ut, sicut Sacrosancta Trinitas unus est DEUS, ita ipsi deinceps unanimes in hac confœderatione permaneant.

S. Aug. s. 12. de verb. Apost.

III. S. Augustinus de seipso dixit: Nolo habere, cum quo litigem. Multò est mihi optabilius, Inimicum non habere, quàm vincere.

Fab. conc. 6. in Fer. 3. Pasch.

IV. SS. Marcus & Marcellianus stipitibus affixi, Psalmum illum cantabant: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum: cúmque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus, & lanceis eos confodi jussit.

Idem in auctar. ib. 5. in Fer. 2. Pasch. n. 3.

V. In aula Clodovæi Regis cùm S. Remigius Episcopus præparaturus Regem ad baptisma coram Aulicis, exorsus esset verba salutis, repentè lux copiosa totam replevit Ecclesiam, & vox audita est, dicens: Pax vobis: ego sum, nolite timere: manete in dilectione mea.

Idem in conc. 6. Fer. 3. Pasch. n. 2.

VI. Fridericus Tertius Saxoniæ Dux, pacis amans, arces ac munitiones ab aliis conditas solo æquavit: nec pecunias collegit, sed in usus pios & utiles expendit. Causam rogatus dixit: Ne ego leviter offensus aliquando, arcibus & pecuniis meis confisus, nimis facilè vicinos meos inferiores lacessam, & pacem cum eis violem.

Ib. n. 5.

VII. Rudolphus Habspurgensis Comes cum Abbate Sangallensi lites gerens ultro se ad convivium invitans, pacem cum eo fecit, & discedens hoc præclarum monitum dedit: Cui tres sunt lites, meo judicio rectè fecerit, si duabus compositis tertiam tantò diligentiùs persequatur.

Maffeus l. 7. hist. Ind.

VIII. Barnagasius Præfectus exercitûs Regis Abyssinorum, cum Prætore Lusitano fœdus initurus, apprehensâ Cruce genibus nixus, quam, inquit, pacem JESUS Christus generis humani Redemptor Discipulis reliquit, eadem esto inter nos, qui ejusdem profitemur cultum & fidem.

Necessitas.

Fab. l. c. n. 4.

IX. S. Wolfstanus Episcopus Wigormensis, cùm in Dedicatione de pace sermonem fecisset, & pluribus reconciliatis inter se, unus cum Occisore Fratris sui reconciliari nollet, dixit eidem in medium deducto: Dominus dixit in Evangelio: Beati pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur: constat ergo, quòd si pacifici sunt beati & filij DEI, discordantes sint miseri & filij Diaboli. Quibus dictis eum Diabolo torquendum dedit, nec liberavit, donec pacem cum Inimico iniret.

Utilitas.

1. Reg. 11.

X. Saul contra hostes pugnaturus, cùm misisset in omnes terminos Israël, ut convenirent ad prœlium, illi egressi sunt *quasi vir unus*, licet fuerint trecenta millia, virorum Juda autem triginta millia. Hinc adeò hostes profligaverunt, ut non relinquerentur in eis duo pariter.

Iudith. 15. v. 4.

XI. Sed & in libro Judith legitur, quòd Assyrij, quia adunati non erant, in fugam iverint præcipites; Filij autem Israël uno agmine persequentes debilitaverint omnes, quos invenire potuissent.

Palladius. c. 64.

XII. S. Paphnutio olim revelatum est, quendam Heracleæ sibi meritis parem esse; quem cùm ille quæsivisset, invenit uxoratum quidem, sed cum Conjuge castitatem servâsse, justitiæ & pietati studuisse, & præsertim ad conciliandam inter discordes pacem incubuisse.

Rosvveid. in Vita.

XIII. S. Macario quoque revelatum est, ipsum in meritis duabus mulieribus uxoratis Alexandriæ parem esse, in quibus quæsitis & inventis nihil aliud speciale reperit, nisi quòd in eâdem domo per viginti annos inter se & cum Maritis concordes & pacificæ semper vixissent.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.

Engelgr. in cæl. empl. fest. Pent. §. 2.

I. S. Ignatius cùm Provincias institueret, & nova Collegia fundaret, solitus erat in ea cogere Collegas è diversis nationibus. Hinc Rector Romano Collegio Gallus, Hispanus Parisiensi, Perusino Belga, Patavino Gallus imponebatur. Ut vel sic tam exoptatam inter diversas nationes concordiam obtineret; quid enim mirabilius, inquit S. Basilius, quàm diversis ex Nationibus ac Religionibus profectos homines, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò in unum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantùm animus esse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta cernantur.

L. 2. Epist.

II. S. Franciscus Xaverius adeò proprium Societati pacis ac concordiæ studium dicebat, ut assereret, Societatem JESU nihil aliud esse, quàm Societatem amoris & concordiæ.

Engelgr. l. c.

III. P. Petrus Ribadeneira dicebat de se & sociis suis in Collegio Panormitano existentibus, qui omnes erant diversæ nationis: Erat enimverò videre Flandros, Italos, Hispanos & Gallos, tempore tantorum bellorum inter Hispaniam & Galliam, vivere nihilominus inter se cum tanto amore, ac si non haberemus nisi unum cor.

Ibid. §. 2.

IV. Gregorius XIII. Pontifex tria potissimũ in Societate admirari se dicebat, nempe tantam in tam variâ, excellentique doctrinâ demissionem animi: deinde tantam in tam viridi,

vivi-

vividáque Juventute continentiam. Denique tantam in nationum, ingeniorúmque diversitate unionem atque concordiam.

§. VI.
EXEMPLA PROFANA.

B. §. 2. I. LEgatus Turcicus, cùm Francofurti in electione Maximiliani II. Cæsaris tres Electores Saxo, Bavarus, & Juliacensis Cæsarem antecedentes monstrarentur, diceretúrque, quemvis ex his tam potentem esse, ut propriis opibus exercitum contra Turcam educere possit, risisse fertur, & dixisse, Germaniam sibi videri belluam magnis viribus quidem, sed diversis etiam Capitibus & caudis constantem; Imperatorem verò suum belluæ unicipiti similem esse, ob quam causam vires utpote unitas fortiores habeat.

Ibid. II. Alius quidam Legatus Turcicus, cùm apud RegemCatholicum Musicus quidam eum delectare jussus, multùm & diu laboraret in fidibus concordandis, Morione suo accito cum arcu utero inserto, è vestigio unâ fide ludere jussit, adjecto hoc cavillo, Turcicum imperium unâ fide & chorda constare, ad quam omnes salire deberent; nostram verò variis fidibus contineri ac distrahi.

Fab. c. 1. in Dom. 1. post Pasch. III. Cyneas Thessalus Legatus Pyrrhi Regis Epirotarum, cùm adverteret Regem cupidine Romanum imperium invadendi ardere, quæsivit, quid quæreret per illud bellum? cui cùm Pyrrhus responderet, se Italiam, Siciliam, Macedoniam & Græciam occupaturum, & his regionibus subactis in otio victurum, & mutuis cum Cynea & aliis compotationibus & colloquiis jucundè fruiturum, subjecit Cyneas: cur his ipsis, quæ per multum laborem, sudorem & sanguinem parare intendis, non potiùs jam fruimur? ad quod responsum iratus Rex bellum tamen suscepit, & à vetula saxo in obsidione petitus interijt.

Plutarch. in Græc. apopht. IV. Tyresius quæsitus, quâ de causâ Numantia priùs invita, postea eversa fuisset? respondit: Concordia victoriam, discordia exitium peperit.

Stobæus serm. 82. V. Scilurus Rex Scytharum moriturus octoginta suis Filiis fasciculum ex totidem sagittis colligatum porrexit, & frangere jussit, quod cùm singuli recusâssent, eò quòd id possibile non fosset, ipse fasciculum solvi, & cuilibet singularem sagittam frangendam dedit, quod cùm facili negotio præstitissent, eisdem dixit: Sic invicti & vos stabitis, si concordes manseritis: imbecilles verò, & expugnatu faciles efficiemini, si dissidiis & discordiis ab invicem distrahemini.

Sallust. de bello Iugurth. VI. Mycipsa Rex moriturus Filios suos paterno affectu monebat, ut concordes manerent, & aureis literis cordi hanc sententiam inscriberent: Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

Plutarch. apud Beyrlinck. to. 8. in festo Omnium Sanct. Ibid. VII. Agesilaus Rex percontanti, cur Spartana Civitas muris careret? cives exhibuit armatos & unanimes.

VIII. Isæus Sophista, cum Lacedæmonij de civitate sua mœnibus cingenda consultarent, Homericum versum recitavit: Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir: & adjecit: Sic Lacedæmonij state, & muris cincti sumus. *Lang. in polyanth.*

IX. Antoninus Pius dicere post Scipionem solebat, malle se unum civem servare, quàm mille hostes occidere, usque adeò pacem bello præferebat. *V. eod. Ibid.*

X. Otho Imperator, cùm videret, aut deponendum imperium, aut magna strage tuendum, statuit sponte mori; cúmque amici hortarentur, ne tam citò de belli eventu desperaret, negavit sibi vitam suam esse tanti, ut hâc de causa bellum civile nasceretur.

§. VIII.
SIMILITUDINES.
Qualitas.

I. SIcut ignis juxta materiam subjectam aut diu, aut multùm, parùmve ac parvo tempore ardet; sic pax animi juxta ea, in quibus quiescit, aut firma est, solidáque, aut fluxa ac inanis. *Staplet. in Dom. Alb. to 2.*

II. Sicut Musica in cantu & Organis argutè quidem concors est, ex acutis & mediis, & gravibus modis, quamquam sint dissimiles; ita summa amicitia non aliter atque una anima in multis corporibus æquabili ratione consistens. *Plutarch. l. de amic.*

III. Sicut unitas Trinitatis non confundit ordinem, sed unus est Pater, alius est Filius, alius Spiritus Sanctus; ita unio Caritatis non confundit ordinem Fratrum. *Toletus in Ioann.*

IV. Sicut longa malacia propinquam tempestatem navigantibus plerumque minatur; sic diuturna pax Ecclesiæ novarum sæpe turbarum index est. *Fab. conc. 1. in Dō. 1. post Pasch.*

V. Sicut in horologio plures sunt rotæ, sed omnes conspirant, & juvant ad horas indicandas; ita in fide Catholica conspirant Ordines & Status, tametsi quoad aliqua inter se discrepantes. *Ibid.*

Necessitas.

VI. Sicut nullum ædificium diu stare & sustentari potest, si vincula auferantur; ita nec communitas aliqua subsistere potest, si pax & concordia tollatur. *Ibid.*

VII. Sicut, si Princeps in longinquas regiones abiturus, Sponsæ suæ munus in signum amoris relinqueret, magnum esset & turpe ingrati animi vitium, si, eo terga vertente, Sponsa illud in sterquilinium projiceret; sic graviter quoque Christum offendet, qui pacem ab eo in cœlos abeunte relictam & commendatam non servat. *Staplet. in Dom. 5. quadr. to. 3.*

VIII. Sicut, ut navis peritè dirigatur, Epibatarum concordia requiritur; sic ut Communitas aliqua rectè regatur, membrorum unio necessaria est. *Beyrl. in festo Omnium Sanct. to. 8.*

IX. Sicut ex diversis fistulis quidem construitur organum, uno tamen spiritu inflante opus habet; ita licet communitas ex multis membris compaginetur, concordi tamen sensu opus habet, ut rectè gubernetur. *S. Thom. in 1. Cor. 12.*

X. Sicut anima non vivificat membra corporis, nisi unita sint; sic neque membra communitatis rectè reguntur à Superioribus, nisi per pacem & concordiam sint adunata. *S. Aug. de Civ. DEI.*

Utilitas.

Staplet. Dom. in Albis. XI. Sicut interdum duo canes semper alioqui inter se discordes, viso lupo; unanimiter ipsum sequuntur, & ab illo tempore concordes manent; ita carne & spiritu (quæ sibi invicem naturaliter adversantur) per Christi gratiam conciliatis, & communem hostem Diabolum impugnantibus, arctiori inter se fœdere conjunguntur.

Beyrl. in festo Omnium Sanct. XII. Sicut nervi corporis membra aduniunt, & unum corpus efficiunt; sic pacis vinculum civitates, familias, adeóque totam generis humani sobolem ligat, & connectit.

Dignitas.

Staplet. ser. 4. in Dom. Pent. XIII. Sicut Rex plurium Regnorum melioris Regni Rex denominatur, ut Hispaniæ Rex, tacito Neopolitano, Siciliano, Lusitanico &c. sic DEUS tanti pacem æstimat, ut DEUS pacis velit appellari.

Jucunditas.

Beyrl. l. c. XIV. Sicut nemo est, qui gaudere nolit; ita nemo, qui nolit habere pacem.

§. IX.

MEDIA.

Is. 48. v. 18 I. **M**andatorum observatio: sic enim DEUS ipse per Isaiam nos alloquitur dicens: Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen, pax tua. Hinc & S. Augustinus, duæ, inquit, sunt amicæ, Justitia & Pax; tu fortè unam vis, & alteram non facies. Nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes operari volunt justitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? uno ore respondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo. Ama justitiam, quia duæ amicæ sunt Justitia & Pax, ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Hinc & S. Paulus in omnibus ferè Epistolis pro salute ponit: Gratia & Pax. *S. Aug. in psal. 84.*

Senec. de benef. II. *Radicis sublatio*: de qua Seneca, quietissimam, inquit, vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba à natura omnium tollerent, meum ac tuum. Petrarcha verò, quatuor, ait, vobiscum habitant pacis hostes, avaritia, invidia, superbia, ira. Has in æternum pellite, pax æterna erit.

III. *Amor DEI*: nam, quò lineæ centro propinquiores sunt, hòc magis inter se coëunt, & propinquiores fiunt. Hinc S. Gregorius illud Jobi: Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines: huc applicat dicens: Rectè dicitur: Quia ædificant sibi solitudines. Solitudines quippe ædificare est, à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & intentione æternæ Patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos à se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? à frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam solitudinem semetipsum contulerat. A tumultu rerum corporalium magnum quendam secessum petierat, hoc est, quietam mentem, in qua tantò puriùs DEUM cerneret, quantò hunc cum se solo inveniret. *Iob. 3. v. 14.* *S. Greg. in lib. 4. mor.*

IV. *Crebra Eucharistiæ sumptio*: nam, teste divo Dionysio, divinissima unius, ejusdémque panis atque poculi communis, pacificaque communicatio, divinam illis velut Convictoribus morum conjunctionem sancit. Et ut S. Chrysostomus ait, propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus tanquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc est. Hinc & S. Cyprianus monet: Quibus unus est panis, unum est corpus, sit omnium unum cor, & anima una uni Christo adhærens. *S. Dionys. c. 3. hier.* *S. Chrys. ho. 61. ad pop.* *S. Cypr. s. de cæn. Dom.*

§. X.

ASCETICA.

I. **Q**uatuor sunt præcipuè, quæ de pace, interna maximè, nôsse & observare debet Asceta. Primum est, ut bene cognoscat, quid sit veram animi pacem habere. Nempe ut animus hominis nullo inordinato affectu aut passione, qui sunt gravissimi hostes animæ, turbetur. Perfecta namque victoria (& per consequens etiam pax) est, de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat DEO, hic verè victor est sui, & Dominus Mundi, inquit rectè Kempensis Thomas. In quem sensum etiam S. Augustinus, pacifici, inquit, in seipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, & subjicientes rationi & spiritui, carnalésque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum DEI, in quo ita ordinata sunt omnia, ut id, quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiísque communia. Atque idipsum, quod excellit in homine, id est, mens & ratio, subjiciatur potiori, DEO scilicet. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita consummati perfectique Sapientis. *L. 3. c. 53. §. 2.* *S. Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte.*

II. Alterum est, ut dignè æstimet, & ardenter quærat hanc pacem; quod obtinebit, si bene consideret, quod S. Hieronymus dixit: Omne secundùm Philosophos tantùm habet bonitatis, quantùm habet unitatis; propterea in exordio Mundi vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Imò, ut S. Augustinus ait, tanta vis & potentia unitatis est, ut quæ bona sunt, tunc multùm etiam placeant, cùm in universum aliquid conveniunt, atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Et verò fructus hujus pacis ex ipsa similitudine cum pace externa satis colligi potest; ut enim concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur; ita id ipsum de pace interna cum divitiis & opibus spiritualibus comparata dici potest. *S. Hier. in reg. monachor.* *S. Aug. l. 1. de Genes. contra Manich. c. 21.*

III. Ter-

III. Tertium est, ut fortiter rejicere nôrit potissima impedimenta pacis, quorum quatuor quidem assignat S. Bernardus, scilicet culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, & tribulationem cruciantem; sed fortè omnia ad inordinatam concupiscentiam reduci
Iac. 4. v. 1. possunt juxta illud S. Jacobi: Unde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. Et hoc est, quod pius Author indicare voluit, di-
l. 3. c. 17. §. 3. cens: Juvat igitur non quælibet res adepta vel multiplicata exteriùs, sed potiùs contempta, & decisa ex corde radicitus. Nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus, si vacat à vero fundamento status cordis.

IV. Quartum est, ut etiam adjumenta ad dictam pacem conducentia noverit, quæ quidem pariter ad quatuor capita revocavit pius Asce-
l. 3. c. 23. §. 1. ta, dum dixit: Fili, nunc docebo te viam pacis, & veræ libertatis. Stude alterius potiùs facere voluntatem, quàm tuam. Elige semper minùs, quàm plùs habere. Quære semper inferiorem locum, & omnibus subesse. Opta semper, & ora, ut voluntas DEI integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis, & quietis.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Seneca ep. 95. I. SApienter pronuntiavit Seneca: Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit.

S. Anselm. in lib. simil. II. D. Anselmus Concordiam perappositè Organo comparavit, cui hoc lemma supernè inscripsit: In uno Spiritu omnes nos. infrà verò: Conspirat amicè.

Granat. loc. com. f. 344. III. Melchisedech Rex Justitiæ, & Rex Pacis vocatus est, quia quisquis justitiam habet, comite ejus pace carere non potest.

Anton. f. de carit. IV. Philo dicebat, pacem maximum & divinum esse bonum, quod nullus mortalium præstare potest.

Valer. l. 15. pag. 145. V. In Æthyopia tanta copia anguium reperitur, ut, quoniam in gyrum convolvuntur, montium speciem referant; quæ causa fortè fuit, ut Caduceum in pacis & concordiæ argumentum effigie anguium exteræ gentes cingant.

Necessitas.

VI. Animalia in arca Nöe, etiamsi naturâ suâ fera & indomita fuerint, quamdiu tamen in arca manserunt, mansueta & pacifica fuêre; idem faciendum Christianis, si in Ecclesiæ arca manere volunt. *Staplet. te. 4. in Festo Pent.*

Utilitas.

VII. Ut circumspiciamus omnia, quæ Populo grata sunt atque jucunda, nihil tam populare, quàm pacem, quàm concordiam, quàm otium reperiemus. *Cicero pro lege Agraria.*

VIII. Nihil perniciosiùs Civitati, quàm divisio, ut nihil meliùs, quàm unio. *Plato de Republ.*

IX. Nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas. *Cicero in Philipp.*

X. Pacem, si sine vitiis veniret, & cæleste munus, & secundum nulli bonum fateor. Ratiò autem sine vitiis venit. *Petrarcha Dial. 106.*

XI. Romæ olim templum magnificentissimum Pacis exstructum fuit, in quo sacellum Deæ Viriplacæ erat, ad quod vir & uxor exorto jurgio conveniebant, &, quæ voluerant, locuti, contentione deposita concordes revertebantur. *Valer. Max. l. 2. c. 1.*

XII. Vespasianus, ut significaret, pacem esse mattem abundantiæ, nummis duas spicas è duabus manibus conjunctis egredientes insculpi jussit. *Fab. côc. 6. in Fer. 3. Pasch.*

XIII. Sertorius Dux Romanus, ut doceret exercitum Romanum per partes convelli posse, duos equos, validissimum unum, alterum debilissimum proposuit, & hujus caudam à fortissimo Juvene evelli, illius verò à Senibus paulatim per partes auferri jussit, quod isti facilè, non autem Juvenis potuit. *Valer. Max. l. 7. c. 3.*

§. XII.

AUTHORES.

I. HEnricus Engelgrave in Cælo Empyreo in Festo Pentec.

II. Matthias Faber conc. 1. in Dom. 1. post Pascha. & Fer. 3. Pasch. conc. 6.

III. Thomas Stapletonus te. 3. Dom. 3. Quadr. & te. 3. Dom. Pent. Item Dom. 1. post Pascha te. 2. & Dom. Pent. te. 4.

IV. Laurentius Beyrlinck in Promptuar. te. 8. in Festo Omnium Sanctorum. Item in theatro vitæ humanæ. V. eod.

V. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

VI. Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 339.



TITVLVS XXXI.

PERFECTIO CHRISTIANA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST plena & absoluta finis sui ultimi consecutio; tunc enim res quælibet in suo genere perfecta censetur, cùm finem, propter quem creata aut facta est, plenè obtinuit, uti omnium introductione patet; unde cùm finis hominis sit, ut DEO serviat, eúmque revereatur, laudet, & amet in hac vita, in altera autem perfectè possideat, facilè patet, perfectionem illius in perfecta caritate consistere, per hanc quippe moraliter unitur DEO, & quantùm in hac vita
Coloss. 3. v. 14. fieri potest, possidet DEUM. Hinc Apostolus ait: Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Divisio.

II. Dividitur in perfectionem Vitæ *Activa*,
S. Bern. in serm. *Contemplativa*, & *Mixta*, de quibus S. Bernardus ait: Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit: meliorem fortè, qui bene vacaverit DEO: optimum autem, qui perfectus est in utroque.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Gen. 17. v. 1. I. AMbula coram me, & esto perfectus.

Iosue 24. v. 14. II. Timete Dominum, & servite ei corde perfecto.

Matth. 5. v. 48. III. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

1. Ioan. 4. v. 18. IV. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate.

Io. 10. v. 10. V. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

1. Ioan. 2. v. 5. VI. Qui servat Verbum ejus, verè in hoc caritas DEI perfecta est: & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.

Matth. 19. v. 21. VII. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.

Iac. 3. v. 2. VIII. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Deut. 18. v. 13. IX. Perfectus eris, & absque macula cum Domino DEO tuo.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. SI vis perfectus esse, tu, qui perfectum te *S. August. l. de perf. iustit.* esse pollicitus es, quid aliud, quàm perfectam secutus es vitam? Perfectus autem servus Christi nihil prætet Christum habet; aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, cùm se perfectè DEO sit pollicitus, aut mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit animam; igitur ut concludam, si perfectus, cur paterna bona desideras? si perfectus non es, Dominum fefellisti.

II. Nemo perfectus est, qui perfectior esse *S. Bern. in epist.* non appetit, & eò perfectiorem quisque se probat, quò ad majorem tendit perfectionem.

III. DEO, à quo nos sumus facti, nos red- *S. Prosper l. 3. de vita Contempl.* damus, nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus, dominetur utilis ratio, subjiciatur corpus animo, animus DEO, & impleta est totà hominis perfectio.

IV. Perfectus est, qui ad perfectionem ir- *S. Aug. l. &c. c. 9.* reprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa etiam peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.

V. Indefessum proficiendi studium, & jugis *S. Bern. in ep. 129.* conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.

VI. Hominis proprium est, ut semper pro- *S. Laur. Iustin. in proem. de grad. perfect.* ficere appetat, & nunquam ab inquisitione torpescat, & ad hujusmodi proficiendi sollicitudinem naturali impulsu ducitur, & ad hoc est conditus, ut potiora semper concupiscens perveniat quandóque ad id, quo nihil est melius, quod est ipse DEUS.

VII. Summa rationalis creaturæ perfectio *Granat. loc. com. f. 115.* est, principio suo conjungi, illíque, quatenus licet, assimilari. Quò enim fuerit illi similior, eò erit perfectior.

VIII. Electis, cùm foris ætas corporis, in- *S. Gregor. l. 22. mor.* tus, si dici liceat, crescit ætas virtutis.

IX. Christus, sicut in illo ipso homine, *c. 13.* quem gessit, ita in nostris mentibus quosdam *S. Paulin. Ep. ep. 3. ad Sever.* gradus corporeæ ætatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter parvulus aut infirmus, & pauper sit.

X. Verus amor gradu uno contentus non *S. Laur. Iustin. c. 2. de cast. connub.* est, ad altiora semper nititur, & ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere. Quas habet, non magni facit virtutes, proficiendi accensus desiderio.

§. IV.

§. IV.
EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

l. 1. c. 3. §. 4. I. OMnis perfectio in hac vita quandam imperfectionem sibi habet annexam.

l. 1. c. 11. §. 2. II. Quare quidam Sanctorum tam perfecti & contemplativi fuerunt? quia omnino seipsos mortificare ab omnibus terrenis desideriis studuerunt, & ideo totis medullis cordis DEO inhærere, atque liberè sibi vacare potuerunt.

Ibid. §. 3. III. Totum & maximum impedimentum est, quia non sumus à passionibus & concupiscentiis liberi, nec perfectam Sanctorum viam conamur ingredi.

l. 3. c. 25. §. 2. IV. Neque tunc aliquid magni te repures, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione, atque dulcedine, quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis, nec in istis consistit profectus & perfectio hominis. In quo ergo, Domine? in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas inter prospera & contraria, omnia æquâ lance pensando.

l. 3. c. 26. §. 1. V. Domine, hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cælestium animum relaxare, & inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogativâ quâdam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo.

§. V.
EXEMPLA.

Gen. 6. v. 9. I. NOë, ipsius S. Scripturæ testimonio, vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum DEO ambulavit. Hinc & gratiam invenit coram Domino.

Gen. 17. v. 1. II. Abrahamo dixit ipse DEUS: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus, ponámque fœdus meum inter te & me, & multiplicabo te vehementer nimis. Et iterum: *Gen. 12. v. 2.* Faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erísque benedictus.

Act. 13. v. 22. III. De Davide Rege ipse DEUS etiam testatus est: Inveni David Filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hinc addit: *Psal. 88. v. 1.* Oleo sancto meo unxi eum: Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Iob. 1. v. 8. IV. Sed & de Jobo dixit DEUS ad Sathan: Numquid considerâsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens DEUM, & recedens à malo? Hinc & mortuus est senex, & plenus dierum.

Philipp. 3. v. 8. V. S. Paulus de seipso scripsit Philippensibus: Verum tamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Non quòd jam acceperim aut perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo JESU. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.

§. VI.
EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius omnes suas cogitationes, verba, & opera in DEUM tanquam finem referebat. *Relat. pro Canoniz.* Hinc & assiduò in Constitutionibus & Regulis verba ista: *Ad majorem DEI gloriam: majus DEI obsequium semper intuendo:* repetebat, ita ut ducentis quadraginta duabus vicibus eum id repetisse, Lancizius testetur. Ex his nimirum oriebatur gaudium illud spirituale, quo hic DEI servus plenè repletus erat: illa serenitas, quam semper in vultu præseferebat, illa pax interior animi. Sed & perfectissimum dominium omnium suarum commotionum & perturbationum consecutus fuerat. Unde ipsemet aliquando dicere auditus est, se vivere non posse, si quid in anima sua humanum, & non omni ex parte divinum adverteret. *Lancit. op. 18. c. 7.* Quocirca Julius III. Pontifex de eo dixit, *Ibid.* Nihil, quod pium, sanctúmque non sit, in exemplari Ignatij vita, moribúsque reperiri. P. Andreas Frutius intimus S. Ignatij subditus, & Angelus ab eo nuncupatus, dicere solebat, cælestem Christi gratiam quasi ingenitam eíque connaturalem videri. Alij verò Domestici excellenti judicio pollentes, admirati ejus sanctimoniam dicebant, verè & ad vivum expressam esse in eo omnem illam perfectionem, quæ tum in Constitutionibus Societatis à S. Ignatio conscriptis, tum in aureo libello Thomæ de Kempis, tum in libello Exercitiorum legitur. Nominatim verò P. Ludovicus Gonzalez Confessarius Regis Lusitaniæ, *Lanciz. op. 2. n. 322.* vir summi judicij & prudentiæ confessus est, se nullo tempore orationis vel lectionis tantopere ad amorem DEI incitari, quàm eo tempore, quo S. Ignatium aspexisset. S. Franciscus Xaverius autem tanti eum *Idē op. 18. c. 18.* æstimabat, ut coram domesticis non nisi sanctum vel beatum appellaret, literas ad ipsum flexis genibus scriberet, & nomen illius adhuc viventis à literis resciffum, in reliquiaria theca circumportaret.

II. S. Franciscus Xaverius perfectissimâ suâ *Ibid.* vitâ tantam sibi sanctitatis opinionem conciliaverat, ut statim ab obitu pro Sancto haberi & coli cœperit, non à Christianis tantùm, sed Ethnicis etiam, plurésque etiam post mortem mortui fuerint resuscitati, lampades autem coram ejus imagine suspensæ solâ aquâ superinfusâ, sine oleo arderent; imò interdum extinctæ, sponte accenderentur.

III. B. Aloysius unicè conabatur, ut mentis suæ lumen factis æquaret, *Lanciz. op. 3. n. 266.* & ut quodlibet munus,

munus, officium, negotium cum Christi, Sanctorúmque exemplo consentiret.

B. n. 284. IV. B. Stanislaus Koska, teste Sacchino, adeò in cunctis rebus absolutam honesti formam tenore æquabili tenuit, expressítque, ut vel consueta disciplinæ domesticæ munera obiens, quendam splendorem insolitum & lucem adderet. Itaque etiam cùm eadem solùm, quæ cæteri faciebat, plura tamen atque ampliora videbatur præstare, quàm cæteri.

Vita l. 2. c. 11. V. P. Petrus Faber tum exemplo Christi, qui triginta annis priùs facto docuit, quæ verbo postea docturus erat, incitatus: tum, quòd sciret, DEUM valde desiderare profectum nostrum, persuasus, nitebatur quotidie insignem progressionem in perfectione facere. Quem in finem sequentes industrias adhibebat. 1. Quotidianam singularum actionum ordinationem. 2. Accuratum Examen conscientiæ. 3. Tristem peccatorum, & plenam dolore confessionem. 4. Sollicitudinem piè sacrificandi. 5. Sacramentorum prudentem & consideratam administrationem. 6. Diligentem & perattentam psalmodiam. 7. Frugiferam Verbi divini tam in privatis colloquiis, quàm publicis concionibus tractationem. 8. Frequentem renovationem & inspectionem sui statûs. 9. Compunctionis internæ, & assiduæ occupationis studium.

Vita c. 11. VI. De P. Balthasare Alvarez revelavit DEUS S. Teresiæ, quòd tunc in terris adeò excelso in gradu perfectionis sit constitutus, ut eo tempore nullus esset in altiori.

Colleg. Mex. annua 1602. VII. P. Joannes de la Placa Hispanus, Societatem jam Theologiæ Doctor ingressus, ita perfectionis omnes partes assecutus est, ut Novitius adhuc Tyronum Magister fieret, & in rebus spiritualibus à gravissimis Patribus consuleretur.

Annua 1650 f. 21. VIII. P. David Locher per plures annos enixè precatus est, ut ex hac morte quantocyus evocaretur ad vitam, vel si porro hic vivendum esset, ut non viveret, nisi sanctus. Unde illud illi non infrequens: aut mori, aut in sanctum evadere.

Vit. p. 2. pag. 62. IX. Joannes Berchmannus non solùm in rebus semel susceptis constans fuit, sed etiam semper nova excogitabat media ad profectum suum spiritualem. Ejus axioma fuit: Nisi ego sanctus evadam interea, dum sum Juvenis, nunquam ero sanctus.

In Narrat. præfixa Itinerar. Fil. Israel. X. P. Sebastianus Barradius tantam sanctitatis famam sibi comparaverat, ut in Lusitania tota sanctus audiret, & illa vox omnium esset, si illa adhuc tempora forent, quibus Populi, doctiorúmque consensus aliquos Sanctos declarârunt, Sebastianum statim illis fuisse annumerandum. Ultimis concionibus è cathedra descendens, sat negotij habuit, ut vestem à contrectantium osculis evelleret. Multi peregrè venêre, ut solo ejus aspectu sanctitatis pleno ad virtutem accenderentur: alij, ut fimbriam aut capillos à Tonsore impetrarent, dicentes, se non minoris ea facere, quæ attigisset, quàm si canonizatus esset.

XI. P. Sebastianus à Campo tantæ erat sanctitatis, ut, ubi per urbem Campanarum pulsu mors ejus innotuit, omnes eum statim ut Sanctum invocârunt. Vestes illius omnes scissæ sunt à Populo concurrente, imò & aliquot pedum digiti amputati, ex quibus mox purissimus sanguis cum omnium stupore effluxit. Reliquiæ ejus omnes morbos & infirmitates curabant, & innumera miracula patrabant. *Annua Sardinia 1609. Coll. Salfaritano.*

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut is, qui Grammaticam docet, perfectus quidem Grammaticus dici potest, superior tamen illo, & perfectior est Rhetor, & his omnibus longè eminentior Philosophicæ doctrinæ perfectio; ita & cùm S. Paulus dicit: non quòd jam assecutus aut perfectus sim; ad apicem cælestis perfectionis videbatur aspicere. Cùm verò dicit: Quicunque ergo perfecti sumus &c. ad humanæ tantùm perfectionis gradum respexit. *Origen. l. 10. in epist. ad Rom.*

II. Sicut is, qui fundamenta jacit domûs, aut unum, alterumve parietem ædificat, non dicitur domum exstruxisse, sed illi tantùm hæc laus attribuitur, qui singula membra ædificij ad profectum perducit; ita neque is, qui in virtutum studio se exercet, perfectus statim dici potest, sed insuper requiritur, ut etiam ad caritatis apicem ædificium spirituale perducat. *Idem in ep. ad Rom.*

III. Sicut domus etiam illa mundissima dicitur, quæ, quamprimum aliquis sordidis pedibus ingressus est, statim eluitur, & purgatur; ita perfectus dici adhuc potest, qui interdum labitur in levia peccata, modò illa statim per confessionem aut contritionem deleat. *Fab. cōc. 5. in Dom. 4. post Pent.*

IV. Sicut Dux Militaris, si constanter hostem impugnet, & vellicet, egregij Ducis Nomen obtinet, licet non omnino expugnet, & deleat, imò quandóque minùs feliciter pugnet; sic perfectus Christi Miles dici potest etiam is, qui interdum à passione vincitur, modò à contentione pugnæ non desistat. *Ibid.*

V. Sicut si nihil nutrimenti decederet ex quotidiana cibi sumptione, in magnam proceritatem corpora excrescerent; ita virtus perfectorum, cùm ad modum ciborum ingesta non egeratur, altiores semper per sese participantes efficit, sui semper adjectione magnitudinem augens. *S. Gregor. Nyss. in ps. Beati, qui habitant.*

VI. Sicut Zeuxis Dianæ simulachrum à Crotoniate depingere jussus, omnes Virgines speciosas in uno loco colligi jussit, ut futuri elegantiam operis ex earum posset specie mutuari; sic & perfecti ex variis Virorum sanctorum virtutibus, unius in se veri DEI restaurant imaginem. *S. Petrus Dam. apud Lanciz. opusc. 3. n. 286.*

VII. Sicut in utero imperfectus Infans non statim concrescit in hominem, sed paulatim formatur, & gignitur, ita multò magis cælestia Mysteria multis gradibus atque promotionibus acqui- *S. Macar. ho. 15.*

acquiruntur, & tum, qui per multas exercitationes & varia rerum pericula progressus fuerit, perfectus evadet.

S. Gregor. Nyss. de perf. hom. Christ. forma.

VIII. Sicut participatione Christi, Christiani appellationem adepti sumus; ita per consequens convenit, omnium quoque sublimium (virtutum ac perfectionum) nos asciscere communionem & societatem.

Utilitas.

S. Bern. f. de dilig. DEO.

IX. Sicut stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere à se videtur, dum & saporem vini induit, & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, pristinâ, propriâque formâ exutum: & quomodo Solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur; ita perfecti, dum DEO toti immerguntur, deificantur quodammodo, & in DEUM penitus transformantur.

Fab. cōc. 5. in Dom. 4. post Pent.

X. Sicut volucris, cùm utramque habet alam, facilè se per aërem librat; quæ tamen si unam tantùm haberet, difficulter se à terra elevaret, cùm sola sit onus, utraque verò levamen; ita qui sola statuit servare præcepta, cum magna difficultate se, suámque mentem ad cælestia attollet, atque in perpetuo labendi periculo versabitur; secus verò, qui & præcepta, & consilia Evangelica servare decrevit.

§. VIII.
MOTIVA.

S. Leo f. 1. de jejun. 10. mens.

I. QUia sic *Creationis* beneficium exigit: nam, ut sapienter S. Leo dixit, si fideliter & sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem à DEO ad imaginem DEI conditum, ut imitator sui esset Authoris; & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat.

S. Laur. Iust. f. de Exalt. S. Crucis.

II. Quia *Incarnationis* beneficium id meretur: nam, ut rectè dixit S. Laurentius Justinianus, hæc potissima Incarnationis Christi causa fuit, quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima tribueret DEUS, quibus peccator homo, amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, & cælestem, à qua elongaverat multùm, remearet ad Patriam. Hinc meritò monet S. Gregorius Naz. Simus ut Christus, quoniam Christus quoq; sicut nos: efficiamur Dij propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est. Huc enim, ut alibi ait, Magistra lex tendit, huc exinanita Deitas, huc assumpta Caro.

S. Gregor. Nazianz. orat. 40. in Pasch.

Eph. 5. v. 7.

III. Quia beneficium *Redemptionis* id ipsum suadet: nam ideo, teste Apostolo, Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

Gen. 17. v. 2. & 15. v. 1.

IV. Quia etiam beneficium *Glorificationis* ad id impellit: hîc enim quivis meritò illud Abrahamo olim factum promissum applicat: Ambula coram me, & esto perfectus: & Noli timere, Abraham: ego ero protector tuus, & merces magna nimis.

S. Bern. ep. 341. ad e. Monach.

V. Quia *Filiorum sæculi exemplum* stimulos addit: quem enim ambitiosum, ait S. Bernardus, vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? sic & curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid? eorum, qui avaritiæ serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas sectantur hominum laudes, nónne & ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ ac tepiditatis? Pudeat certè spiritualium bonorum nos minùs cupidos inveniri. Erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari justitiam, quàm iniquitatē anteà sectaretur. Est enim causa valde dissimilis. Stipendium quippe peccati mors: fructus autem justitiæ vita æterna. Pudeat proinde negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in mortem ire, & minore studio salutis inquirere, quàm perditionis augmentum.

§. IX.
MEDIA.

Cornel. in c. 4. Osee.

I. VEhemens desiderium: nam, ut sanctus quidam Doctor ait, quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissimè. Et S. Augustino teste, tota vita boni Christiani sanctum est desiderium proficiendi. Hic sinus noster est, hic saccus, &, quia angustus est, extendendo facis capaciorem.

S. August. tr. 4. in ep. 1. Ioan.

Sap. 7. v. 7.

II. *Oratio assidua*: sic enim Salomon exemplo suo suasit, dum dixit: Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præposui illam Regnis, & sedibus, & divitias nihil duxi in comparatione illius. Quæ omnia æquè, imò potiori jure perfectioni applicari possunt.

2. Tim. 3. v. 16.

III. *Lectio frequens librorum spiritualium*: nam huic convenit illud S. Pauli, Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus. Cujus medij efficaciam S. Augustinus, S. Ignatius Lojola, aliiq; plures sunt experti.

S. Gregor. Nyss. l. de vita Moys.

IV. *Vita & Exempla Sanctorum frequenter ob oculos proposita*: nam, ut S. Gregorius Nyssenus ait, credendum est, idcirco vitas præstantissimorum virorū exquisitissimè perscriptas esse, ut vita nostra imitatione ad virtutem & bonum rectiùs deducatur. Quod ipsum confirmans S. Basilius, Vitæ beatorū hominum, inquit, literis traditæ sunt velut imagines quædam vivæ, divinæ Reipublicæ ad bonorū operum imitationem propositæ. Unde quemadmodum Pictores quando imaginē ex imagine pingunt, identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur, ita oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutum partibus perfectum reddere, Sanctorum vitas velut simulachra quædam viva & efficacia respicere, illorumq; bona opera per imitationē sua facere.

S. Basil. opusc. 49. c. 7.

§. X.
ASCETICA.

I. SEptem ferè sunt capita, quæ de perfectione, tanquam proprio objecto, scire debet Asceta.

Asceta. Primum est, ut sciat, quid requiratur ad perfectionem scilicet, ut declinet quis perfectè à malo, id est, peccato; & faciat bonum, id est, id, *quod* DEO magis placet: & *modo*, qui ei magis placet: & *fine*, qui ei maximè placet. Hoc enim indicavit ipse Christus, dum dixit: Estote & vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est, scilicet cognoscendo & amando perfectissimè seipsum, ac omnia propter seipsum & gloriam suam perfectissimè operando.

Rodriq. p. 1. tr. 3. c. 14.

Unde Alphonsus Rodriquez tres ponit gradus hujus perfectionis, seu perfecti amoris. Primus est, ut omni affectu erga terrena exuto, in solo DEI beneplacito quiescat, diceréque possit cum Esther: Tu scis, Domine, quòd nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine DEUS Abraham.

Esther. 14. v. 18.

Minùs enim te amat, teste S. Augustino, qui aliquid amat, quod propter te non amat. Secundus est, ut etiam erga seipsum omnem amorem exuat, séque non nisi in DEO & propter DEUM amet; id enim Christus insinuavit, dum dixit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.

Luc. 9. v. 23.

Tertius est, ut operetur, non ut ipse DEO placeat, sed quia placet ipsi DEUS, vel quia placet DEO, quod operatur; ita ut, quemadmodum S. Bernardus loquitur, delectet non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quòd ejus in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videatur.

S. Bern. de dilig. DEO.

Quem gradum extollens idem Sanctus, ô amor sanctus, exclamat, & castus! ô dulcis & suavis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis, eò sanè defæcatior & purior, quò in ea nihil de proprio jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quò totum divinum est, quod sentitur. Sic affici, deificari est.

II. Alterum est, ut meminerit, non omnes ad hanc summam perfectionem sectandam vocatos esse, atque adeò etiam non promiscuè hortetur ad illam, aut inducat, sed potiùs saluberrimæ doctrinæ à S. Gregorio prolatæ sit memor: Mons, inquit, altitudinem virtutum designat, ad quam Angelus hortatur; qui non vident, se posse conscendere, meliùs est, ut in Segor, id est, in parvula civitate remaneat, contentus laicali & communi vita, quàm montem virtutis arripiat, & ad sæcularia redeat. *Est Civitas hæc juxta &c.* juxta dicitur, & tamē ad salutem tuta, quia activa vita est nec à mundi curis ex toto discreta, nec à gaudio salutis æternæ aliena.

S. Gregor. in Gen. 19.

III. Tertium est, ut sciat perfectionem non in asperitatibus corporis, aut aliis similibus rebus & exercitiis sitam esse, uti interdum aliqui falsò sibi persuadent, sed hæc media duntaxat esse ad perfectionem, uti rectè Abbas Moyses apud Cassianum advertit, dicens: Jejunia, Vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatū non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem.

In Collat. PP. coll. 1.

IV. Quartum est, ut firmiter sibi persuadeat, nunquam se veram quietem possessurum, nisi perfectionem, ad quam vocatus est, assequi sincerè studeat; nam, ut sapienter Abbas Joañes dixit, miserum est, cujuslibet artis ac studij disciplinam quampiam profiteri, & ad perfectionem ejus minimè pervenire.

Abbas Ioãnes in sua collat.

V. Quintum est, ut ordinatè ad perfectionem tendendum meminerit; nam, ut rectè advertit S. Bernardus, nemo repente fit summus, & ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scalæ.

S. Bern. s. 1. de S. Andrea.

Quod confirmans S. Laurentius Justin. quisquis, ait, in spirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, juxta Prophetæ admonitionem ascensionis sibi in corde spirituales componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipsum DEUM ex parte comprehendere valeat, à quo plenissimè comprehensus est.

S. Laurent. Justin. in proœm. de grad. perf.

VI. Sextum est, ut non concidat animis, si interdum in perfectionis studio se languere, aut omnino cadere advertat, sed potiùs novas vires & fervorem assumat, memineritque sententiæ à S. Hieronymo prolatæ: Hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas.

S. Hieron. in ep. ad Ctesiph.

Cui etiam S. Augustinus adstipulans, semper, inquit, tibi displiceat, quod es; si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixeris, sufficit, & periisti. Hinc ait, Apostolum priùs suam imperfectionem confessum esse, & postea se perfectum dixisse, quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum.

S. Aug. s. 15. de verb. Apost.

VII. Septimum est, ut non statim perfectum se esse judicet, si nullius aut certè non multarum imperfectionū aut culparum sit conscius; nam, ut sapienter S. Gregorius dixit, plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspicimus, & jam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc Artifex considerat, & limat; laudari jam audit, & tamen ea tandem meliorare non desinit.

S. Gregor. l. 4. dial.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. CRates impossibile esse dicebat, quemquam inveniri, qui nunquam lapsus sit, sed veluti in malo punico granum quoque aliquod putrescere.

Laërt. ap. Langium.

II. Rex Theodoricus dicere solebat: Culpæ genus est, non te fecisse, quod summum est.

Cassiod. l. 5. ep. 5.

III. Rectè quoque S. Ambrosius, Imitatores, inquit, sui nos esse voluit DEUS, ut priùs faciamus aliqua, postea venustemus, & semper venustemus magis ac magis.

S. Ambros. l. 1. hex. c. 7.

IV. Galenus dicere solebat, cuique curandum, ut aliquando vivat continentius, & meliùs hodie, quàm heri.

Galen. l. 6. de Cur. morb.

V. Pulchrè etiam Plutarchus, maceriam aliquam, inquit, aut sepem conficientibus, nihil refert, obvium quodque lignum, aut lapidem humi jacentem adhibere, aut columnam à monumento delapsam subjicere; quomodo

Plutarch. de cognosc. profectu.

& ho-

& homines vitiosi omnia facta promiscuè, omnes temerè actiones congerunt, & coacervant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ veluti regij & sacri ædificij jactum est aureum fundamentum, nihil eorum, quæ temerè aguntur, admittunt, sed veluti amussi rationis aptant singula, atque concinnant. Quo de ædificio usurpari potest Polycleti dictum, qui difficillimum opus eos tractare pronunciavit, quibus lutum est ad unguem exigendum.

Dignitas.

Lucius Apulejus de DEO Socratis. VI. Nihil est similius & gratiosius DEO, quàm vir animo perfectus bono, qui in tantùm homines ceteros antecellit, quantùm ipse à Diis immortalibus antecellitur.

§. XII.

AUTHORES.

I. Alphonsus Rodriquez de perfect. Christiana.

II. Ludovicus de Ponte de perfect. tomis quatuor.

III. Lucas Pinellus de perfect. Christ.

IV. Bernardinus Rosignolius de disciplina Christ. perfect.

V. Nicolaus Lancizius opusc. 3. c. 10. & opusc. 10. toto.

VI. Ludovicus Granatensis in locis comm. f. 114.

VII. Matthias Faber conc. 2. in Fer. 3. Pent. & conc. 5. in Dom. 4. post Pent.

VIII. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

TITULUS XXXII.

RESURRECTIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Luc. 20. v. 38. EST reditus à morte ad vitam. de quo dixit Christus: DEUS autem non est mortuorum, sed vivorum; Omnes enim vivunt ei.

Divisio.

II. Dividitur in Resurrectionem *corporalem*, quæ consistit in reunione animæ separatæ cum corpore; quo modo Christus & Lazarus resurrexerunt. Et *spiritualem*, quæ consistit in recuperatione gratiæ divinæ amissæ, de qua Apostolus locutus est, dicens: Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEO. *Rom. 6. v. 11.*

Circumstantia.

Matth. 24. v. 31. III. *Missio Angelorum* cum tuba & voce magna, qui congregabunt electos ejus à quatuor ventis, & dicent; Surgite mortui, venite ad judicium.

IV. Locus, ubi resurgent, incertus est, & ab admirabili DEI providentia dependens; alij enim in valle Josaphat, ubi judicandi sunt, futuram putant; alij conformiùs putant Scripturæ, si dicantur mortui ex sepulchris suis resurrecturi, cùm S. Joannes dicat: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij DEI, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij. *Jo. 5. v. 28.*

V. Tempus quoque incertum est; nam alij horâ matutinâ ad imitationem Resurrectionis Christi; alij intempestâ nocte, juxta illud Christi: Mediâ nocte clamor factus est: alij alio tempore futuram divinant potiùs, quàm affirmant, ut videre est apud Marchantium. *Marchant. in Horto Past. tr. 4. lect. 15.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas.

I. SCio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabo pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum. *Job. 19. v. 25.*

II. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus. *Is. 26. v. 19.*

III. Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex Mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. *2. Mach. 7. v. 9.*

IV. Nolumus autem vos ignorare, Fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quòd JESUS mortuus est, & resurrexit; ita & DEUS eos, qui dormierunt per JESUM, adducet cum eo. *1. Thess. 4. v. 13.*

V. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de vestris sepulchris, & inducam vos in terram Israël. *Ezech. 37. v. 12.*

VI. Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat. *Jo. 5. v. 21.*

VII. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit, non perdam ex eo, sed resuscitem in novissimo die. *Jo. 6. v. 39.*

VIII. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. *1. Cor. 15. v. 20.*

IX. Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt in vitam æternam, & alij in opprobrium, ut videant semper (idest, supplicia æterna experiantur.) *Daniel. 12. v. 2.*

1. Cor. 15. v. 51. X. Ecce mysterium dico vobis. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui surgent incorrupti (id est, immortales.)

2. Mach. 12. v. 44. XI. Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, pro mortuis orare.

1. Cor. 15. v. 35. XII. Sed dicet quis: quomodo resurgent mortui? quali autem corpore venient? insipiens, tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.

Phil. 3. v. 20. XIII. Expectamus Salvatorem Dominum nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Abac. 3. v. 16. XIV. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad Populum accinctum nostrum.

Ezech. 37. v. 7. XV. Ossa arida audite Verbum Domini: Ecce ego intromittam Spiritum in vos, & vivetis.

1. Cor. 15. v. 42. XVI. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

Resurrectio spiritualis.

Apoc. 7. v. 14. XVII. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Rom. 6. v. 4. XVIII. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

Apoc. 20. v. 6. XIX. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Veritas.

S. Gregor. in moral. I. Redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere confidamus.

S. Maximus in f. de Pasch. II. Est in Christo homine uniuscujusque nostrûm caro, sanguis, & portio; ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus, dominari me sentio: ubi glorificatur caro mea, gloriosum me esse cognosco.

Qualitas.

S. August. in Enchir. III. Resurgent corpora Sanctorum sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, sine difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.

Cassiod. in psalm. IV. Resurget Justus, ut judicet: peccator, ut judicetur: impius, ut sine judicio puniatur.

Utilitas.

S. Chrysost. in Matth. 20. V. In omni re aut actu virtus agendi spes est futuri; qui enim arat, arat, ut metat: qui pugnat, pugnat, ut vincat. Tolle ergo spem resurrectionis, & resoluta est observantia omnis pietatis.

S. Hilar. in ps. VI. Confringi nos tanquam vas figuli nunc gaudeamus, ut per hunc novæ nativitatis profectum, in beatam illam ac DEO placentem iteratæ reparationis nostræ speciem reformemur.

§. IV.

EXEMPLA.

Veritas.

S. August. in f. de Pasch. I. De Christi resurrectione sic loquitur S. Augustinus: Ecce surrexit ab antro sepulchri rediviva caro Phœnicis, quam cinnamomum decoxerat pietatis: granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione; solus enim mortuus est, sed solus minimè resurrexit, quorum enim sepulchra in ejus passione sunt patefacta, horum corpora, Christo resurgente, sunt de pulvere suscitata: & sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur.

Surius in vita. II. Cùm S. Stanislaus Poloniæ Episcopus Petrum quendam, ad testimonium de agro à se vendito coram Rege perhibendum resuscitâsset, illique longiorem vitam impetrare vellet, respondit ille, se malle in Purgatorio ad modicum adhuc tempus agere, quàm ad vitam tot periculis & molestiis refertam redire.

Surius in vita S. Brun. III. Famosus ille Doctor Parisiensis ter è feretro surrexit, dixitque: Justo DEI judicio accusatus, judicatus, & condemnatus sum, quæ causa fuit S. Brunoni & aliis, ut in solitudinem secederent.

Marchant. in horto past. tr. 4. lect. 13. prop. 2. IV. S. Germanus Episcopus cùm sepulchrum S. Cassiani Martyris adiisset, & quasi viventem allocutus dixisset: Quomodo tibi est, Frater? quomodo tecum agitur? audivit respondentem in hæc verba: Quantùm ad animam, æterna felicitate fruor; quantùm verò ad corpus, quiescit hic usque ad generalem resurrectionem. Quo audito S. Germanus, quiesce ergo, inquit, ô Frater, ad id tempus, & roga Dominum, ut resurgentes ad sonum tubæ, tecum possimus æterna beatitudine frui.

Ib. prop. 1. lect. 14. V. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, cùm librum contra resurrectionem scripsisset, à Gregorio Legato ita convictus est, ut Imperator Tiberius ejus librum in ignem projiceret, & Eutychius ipse doctrinam suam retractaret, & instante morte, pellem manûs suæ tenens diceret: Confiteor, quia in hac carne omnes resurgemus.

Ib. prop. 5. VI. S. Cæciliæ corpus à Clemente VIII. post nongentos & ampliùs annos integrum repertum est.

Ib. prop. 1. VII. Cùm S. Stanislai Episcopi corpus in septuaginta duas partes dissectum, & avibus projectum fuisset, ab Aquilis custoditas partes autem Clerici collegissent, ita eæ in unum corpus coaluerunt, ac si nunquam divisæ fuissent. Cùmque unus adhuc digitus deesset, eum quoque

que

que lucerna cælestis in vicinam piscinam conjectum, & à pisce devoratum demonstravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, suóque loco restituerunt.

Lipelous 29. Mart. VIII. Jonas Persa, cùm Magorum Principes ei manuum & pedum digitos præcidi, & ante oculos jactari fecissent, dicentes: Ecce nunc digitos tuos in terra seminavimus, exspecta inde, ut messis tempore multos digitos recipias: respondit, Ego multitudine digitorum non egeo, sed DEUS, qui me formavit, ille tempore judicij corpus hoc reformabit.

Utilitas, resurrectionis cogitata.

Job. 19. v. 27. IX. S. Job in mediis afflictionibus spe futuræ resurrectionis solabatur se dicens: Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum &c. reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Surius in vita. X. S. Jacobus intercisus, cùm ambarum manuum ac pedum digiti ei abscinderentur, ad singula tormenta benedicebat DEUM, gratias agens, quòd eum amputaret quasi vineam, ut postea repullularet, ac refloreret, & fructum uberiorem ac suaviorem faceret.

Marchant. tr. 4. lect. 13. prop. 3. XI. S. Nicasius Rhemorum Episcopus cùm in templo à carnifice feriretur, versum illum: *Adhæsit pavimento anima mea:* recitare cœpit, capútque à reliquo corpore separatum, speciali miraculo reliqua verba: *Vivifica me secundùm verbum tuum:* absolvit.

2. Mach. 7. v. 9. & 11. XII. Cùm Antiochus Rex septem Fratres Machabæos crudeliter necari jussisset, & primo cutis capitis eum capillis abstraheretur, dixit ad illum; Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex Mundi defunctos pro legibus suis in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Sed & tertius linguam postulatus, & manus citò protulit, & eum fiducia dixit: E cælo ista possideo, sed propter DEI leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea *v. 14.* recepturum spero. Quartus verò dicebat: Potiùs est ab hominibus morti datos spem exspectare à DEO, iterum ab eo resuscitandos, ubi enim ad vitam resurrectio non erit.

§. V.

SIMILITUDINES.

Veritas.

S. Chrysost. hom. de resurrect. I. Sicut is, qui videt granum, quod corrumpitur, & dissolvitur, non dubitat de ejus resurrectione; sic cogita & in corpore tuo: cùm vides corruptionem, tunc de resurrectione philosophare.

Lud. Vivis c. 7. in introduct. ad sap. II. Sicut de nocte dormiisti, postea evigilâsti; sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, & postea reddenda vitæ à Christo, cùm apparebit Judex vivorum & mortuorum.

S. Epiph. to. 1. l. 2. f. 259. III. Sicut Artifex statuam à se factam, ubi viderit mutilatam, iterum conflat ac dissolvit, ac reparat; ita DEUS humana corpora per mortem destructa denuò reformat, pristinæq; formæ restituit.

§. VI.

ASCETICA.

I. Tria sunt præcipua, quæ de Resurrectione advertere debet Asceta. Primum est, ut possibilitatem illius bene apprehendat; quâ in re S. Augustinus lucem præferet, dicens: Tota hujus Mundi administratio, testimonium est resurrectionis futuræ. Videmus hyemis tempore arbores spoliari pomis & foliis, sed & verno tempore speciem resurrectionis exprimere, quæ quidem primò incipiunt surgere in gemmis, ornari floribus, vestiri foliis, postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore isto, quo DEUS disposuit, producuntur? dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? quæ nusquam quidem videntur, sed tamen DEUS, qui omnipotens est, secretâ suâ virtute producit. Sic & herba, quæ antè vixit, & moritur, rursus reviviscit ex semine. Ita & nostrum corpus reviviscet ex pulvere. *S. August. f. 34. de verb. Apost.*

II. Alterum est, ut necessitatem, aut potiùs æquitatem resurrectionis bene apprehendat; quam quidem clarè Athanagoras indicavit, dum dixit: Nisi præmia manerent vitæ sequentis, providentia, justitiáque divina traheretur in dubium; quin etiam ipsis brutis miserabilior foret homo, qui religionis & justitiæ gratiâ se corporeis privat oblectamentis, & incommoda subit innumera. Itaque virtus, religio, leges deliramenta forent ac detrimenta. *Athanag. de resurrectione.*

III. Tertium est, ut hujus resurrectionis spe se ad perfectionem semper majorem excitet; & sicut Apelles omnes suas picturas cum magna diligentia ac perfectione absolvit, quia æternitati se pingere dixit; ita & ipse omnia opera sua cum summa perfectione peragere studeat, eò quòd æternam pro illis mercedem, laudem, ac gloriam se recepturum speret.

§. VII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni;* ostendi potest, quomodo quivis Christianus cum Christo spiritualiter resurgere debeat, nempe 1. Ut resurgat *verè*, id est, cum vera contritione, confessione, & satisfactione; alioquin enim ex defectu unius ex istis partibus, ficta duntaxat erit resurrectio, ut Samuelis à Pythonissa suscitati; diceturque tali, quod Episcopo Sardicensi dictum est: Nomen habes, quòd vivas, & mortuus es. *Apoc. 3. v. 1.* 2. Ut resurgat *integrè:* nam, ut S. Bonaventura rectè advertit, Christus neque manum, neque pedem reliquit in sepulchro; sic tu à peccatis resurgas totus; qui enim adhuc manus operum vel pedes affectuum mortuos habet, vel qui conversus injusta bona, vel odium, vel aliud vitium non relinquit, nondum resurrexit. 3. Ut *firmiter* resurgat: exemplo Servatoris, qui resurgens à mortuis jam non moritur; sic ergo & tu, inquit D. Bonaven-

aventura, perseveranter resurgas in conversione, ut de cetero non moriaris in transgressione, sed dicas cum Davide: Non moriar, sed vivam. Quæ tota materia fusiùs tractata videri potest à Matthia Fabro conc. 5. in Dom. Resurrect. & ab Henrico Engelgr. in Cælo Empyreo in eodem Festo. §. 3.

Psal. 117. v. 17.

II. Ex occasione thematis: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis*: potest Auditor excitari, ut duplicis gratiæ, quam per resurrectionem suam Christus nobis procuravit, participem faciat, scilicet resurrectionis è sepulchro peccatorum; & resurrectionis à torpore ignaviæ spiritualis, de quibus sic loquitur Guarricus: Duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparavit, dum & quotidie reviviscunt à morte peccati per operationem mysterij, & hodie maximè resurgunt à somno torporis per devotionem gaudij; quis enim ille tam piger ac tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam: *Resurrexit Dominus*: non totus in exultatione suscitetur, non totus reviviscat, & recalescat spiritu. Utraque ergo hæc resurrectio, quomodo practicè fieri debeat, paulò fusiùs explicetur, & claudatur denique concio ejusdem Authoris verbis: O anima mea, ego dormivi, & exurrexi, ait Christus. Surge & tu, quæ dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. An non, Fratres, mortuo similis, qui adhuc stertit orto jam Sole, qui adhuc negligentiâ & socordiâ premitur, quasi desperato sepultus torpore, jam ubique gratia resurrectionis rutilante. Vide hæc ipsa fusiùs apud Engelgrav. in Cælo Empyreo, in Festo Resurrect. §. 2.

Ephes. 5. v. 14.

Guarric. s. 3. de resurr.

III. Ex occasione thematis: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*: potest explicari, quare in hac die exultandum sit, nempe 1. Quia est dies *admirabilis*, cùm mors superetur, vita reparetur, aditus æternitatis reseretur. 2. Quia est dies *amabilis* propter gloriam Christi, in cujus faciem gloriosam desiderant Angeli & Sancti prospicere. 3. Quia est dies *desiderabilis*, à cælis, ut reparentur ruinæ: à terris, ut illuminentur homines sedentes in tenebris; à mortuis, ut resurgant, & novam vitam participent. In altera parte concionis ostendatur, quàm verè hæc dies etiam respectu cujusque hominis spiritualiter resurgentis sit *admirabilis* propter justificationem, quæ, teste S. Thoma, majus est opus, quàm creatio cæli & terræ, & quàm donum gloriæ beatificantis: *amabilis* propter gaudium & fructus, qui ex hac justificatione oriuntur; *desiderabilis* denique ob desiderium, quo DEUS, Angeli, Sancti, Justi in terris, & ij maximè, quibus cura nostræ salutis commissa est, justificationem nostram & spiritualem resurrectionem desiderant. Quâ de materia fusiùs agens Henricus Engelgrav. in cit. conc. videri potest.

Ps. 117. v. 24.

IV. Ex occasione thematis: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum*: potest explicari gaudium & solatium, quod quisque ex Resurrectione Christi, & sua percipere deberet. Et 1. quidem ex Resurrectione Christi, quia caput ipsius est, atque adeò ob illius gaudium & gloriam ei congaudere oportet; & sperare, quòd cùm illa nunc cælos penetrârit, etiam nos velut membra, si ei per gratiam adhæreamus, in illos ingressuri simus. 2. ex resurrectione nostra, quæ omnem lacrymam absterget, & omnia, quæ hîc propter DEUM dimisimus, meliora restituet; ea verò, quæ hîc passi sumus, copiosè remunerabitur, dum, sicut socij passionum Christi fuimus, ita & gloriæ socij futuri simus. Meritò ergo hæc spes nobis perinde, ut S. Job in sinu reposita, & pro solatio in adversis casibus esse debet.

Job. 19. v. 25.

§. VIII.

MISCELLANEA.

Veritas.

I. Etiam Ethnicos cognovisse resurrectionem testantur verba illa Platonis: Est certè, ô Cebes, maximè omnium ita, ut mihi videtur: ex mortuis reviviscentes homines fiunt, mortuorum supersunt animæ, atque bonis meliùs est, malis pejùs. *Plato in Phæd.*

II. Sed & Seneca, desinunt, inquit, ista, non pereunt, etiam mors, quam pertimescimus, & recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet, dies. Æquo animo debet rediturus exire, observa orbem rerum in se remeantium. Æstas abiit, sed alter illam annus adducit: hyems occidit, referent illam sui menses: Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abigit. *Senec. ep. 36.*

III. Narrat Nicephorus septem Fratres à tempore Decij Imperatoris usque ad tempus Theodosij Junioris, annis scilicet ducentis in quâdam cavernâ, sine corruptione sui aut vestium dormiisse ad certificandam veritatem resurrectionis. *Surius 27. Iul.*

IV. Sicut olim Josephus Patriarcha dixit Pincernæ Pharaonis: Tres propagines tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem juxta officium tuum. Ita & justis idem continget, post tres enim dies recordabitur DEUS ministerij & servitij nostri, & in regiam cælestem assumet. Est autem prima dies passionis in hac vita; altera dies est dies mortis, & tertia resurrectionis universalis, de quibus Oseas locutus est, dicens: Vivificabis nos post duos dies, in tertia die suscitabis nos. *Gen. 40. v. 13.* *Oseæ 6. v. 3.*

V. Pulchrè Minutius Felix resurrectionis possibilitatem sequentibus verbis persuadet: Vide, quàm in solatium nostrum resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur, & nascitur: astra labuntur, & redeunt; flores occidunt, & reviviscunt: post senium arbusta frondescunt: semina non nisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sæculo, ut arbores tempore hyberno occultant viriditatem ariditate mentitâ. Quid festinas, ut cruda adhuc *Minutius Felix apud Fabr. in andat. them. 3. in Dom. Resurr.*

adhuc hyems revirescat, & redeat? exspectandum etiam corporis ver est.

S. Greg. Nyss. l. de creat. hom. c. 28. VI. Hydrargyrum sive argentum vivum, licet in minutissimas partes dividatur, mox tamen in pristinam formam confluit & coalescit, si manu associetur, & conjungatur; quantò magis DEUS partes corporis dissociatas & dilaceratas conjungere poterit.

S. Alb. Magn. de anim. l. 24. VII. Alphota primùm vermis est, pòst in piscem transit, rursum tabe consumptus extra aquam, ut omnis caro ab ossibus defluat, si in aquam remittatur, iterum carne vestitur, ut priùs, & quasi renascitur, fitque longè vivacior, quàm si corruptus non fuisset.

Faber in Auctar. th. 3. in Fer. 2. Pasch. VIII. Cùm Parentes quidam cum Filio ad S. Jacobum Compostellanum peregrinarentur, & in via Filius à Filia Hospitis ad stuprum frustra pellectus, & ideo Calice occultè in cucullum imposito, furti apud Judicem falsò accusatus, & suspensus fuisset, Mater Compostellâ rediens, & Filium in patibulo pendentem semel adhuc videre cupiens, vivum esse audivit, Judicique id nuntiare jussa est, qui, cùm in convivio existens Gallum & Gallinam fortè appositam haberet, Mulieri dixit: Falleris, ô mulier: Filius tuus vivit, sicut hæ aves. Quo dicto mox Gallus & Gallina vivi surrexerunt, & in mensa ambulârunt, & in locum templo vicinum deportati Septennio vixerunt, & pullum ac pullam similis, id est, candidissimi coloris reliquerunt, sicque singulis Septenniis idem fit à sobole. Quòdque mirum, licet Peregrini illac transeuntes, pennas ab illis auferant, nunquam tamen pennæ illis deficiunt.

§. IX.

AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum, tr. 4. lect. 13. 14. & 15.

II. Henricus Engelgr. in Cœlo Empyr. in festo Resurrectionis. & in Luce Evang. p. 2. embl. 21. & p. 1. embl. 22.

III. Mathias Faber in Auctario them. 2. & 3. Dom. Pasch. & them. 3. in Fer. 2. Pasch. Item in opere tripart. conc. 3. & 4. in festo Resurr.

IV. Antonius Dauroltius in Catech. Historiali. c. 1. a. 11.

V. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

VI. Laurentius Beyrlinck. te. 10. in Fer. 2. Pasch.

TITULUS XXXIII.

SOCIETAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. in opusc. cont. Relig. impugn. c. 5. EST duorum, pluriúmve conjunctio, contracta ob commodiorem usum, & quæstum uberiorem. Sive est adunatio hominum ad aliquid perficiendum, ut S. Thomas definivit. Unde Aristoteles ait: Sunt Societates omnes quædam velut partes civilis Societatis. *Arist. l. 8. Eth. c. 9.* Conveniunt enim homines emolumenti alicujus causâ, & ut suppeditent aliquid, quod ad vitæ usum, cultúmque pertinet. Putant aliqui Socium à Sodali in hoc differre, quòd Socius propriè dicatur, qui in re seria ac laboriosa juvat alterum; Sodalis autem, qui in rebus levioribus alteri Societatem præstat.

Divisio.

II. Dividitur in *bonam* & *malam*; illa est, quæ inter bonos & virtuti deditos reperitur; ista, quæ à malis & sceleratis hominibus malâ intentione contrahitur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Societas bona.

Ps. 17. v. 26. I. CUm Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris.

II. Qui cum Sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur. *Prov. 13. v. 20.*

III. Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoveris observantem timorem Dei. *Eccl. 37. v. 15.*

IV. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum. *Psal. 132. v. 1.*

V. Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matt. 18. v. 20.*

VI. Si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Eccl. 6. v. 36.*

VII. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata mihi ministrabat. *Psal. 100. v. 6.*

VIII. Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui. *Prov. 27. v. 17.*

Societas mala.

IX. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Eccl. 13. v. 1.*

X. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt. *Prov. 1. v. 10. & 15.*

XI. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. *Eccl. 7. v. 2.*

XII. Exite de illa Populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. *Apoc. 18. v. 4.*

XIII. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. *Isaia 52. v. 11.*

XIV. Recedite à tabernaculis hominum impio- *Num. 16. v. 26.*

impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.

Eccl. 8. v. 20. XV. Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.

Exod. 34. v. 18. XVI. Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.

Eccl. 12. v. 13. XVII. Quis miserebitur Incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? & sic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis ejus.

Societatis utilitas.

Eccl. 4. v. 9. XVIII. Melius est, duos esse simul, quàm unum; habent enim emolumentum Societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebunt se mutuò, unus quomodo calefiet? etsi quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur.

Qualitas.

Eccl. 13. v. 19. XIX. Omne animal diligit simile sibi; sic & omnis homo proximum sibi, omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Bern. in epist. I. INter bonos bonum esse, salutem habet, inter malos verò, etiam laudem: illud tantæ felicitatis est, quantæ etiam securitatis; hoc tantæ virtutis, quantæ difficultatis. Quale nempe est illud, tangere picem, & non inquinari ab illa, in igne sine læsione versari.

Societas bona.

S. Ambr. l. 2. offic. c. 41. II. Ad instructionem jungi bonis, plurimùm proficit, & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim Adolescentes, se imitatores esse, quibus adhæserint, & ea convalescit opinio, quod ab his vivendi acceperint similitudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem.

S. Chrys. sup. Matt. III. Bonus sic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut citò ab invicem separentur; amicitiæ enim pares aut quærunt, aut faciunt.

IV. Amabilis Socius est omnibus officiosus, & nulli onerosus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini servus, Proximi socius, mundi Dominus, Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium.

S. Petrus Chrysol. V. Melior est Societas simplicis inter Sapientes nutriti, quàm prudentis cum peccatoribus educati. Dulcior est vita Sapientis aspera inter Sapientes, quàm dulcis inter insipientes.

Societas mala.

S. Chrys. sup. Matt. VI. Rerum natura est, ut, quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur; diversitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, & multos sollicitat felicitas nefanda.

Isid. l. 2. soliloq. VII. Ante ignem consistens, etsi ferreus sis, aliquando dissolvêris: proximus periculo diu tutus non erit. Per assiduitatem citò peccat homo. Sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe, quod voluntas non potuit, assiduitas superavit.

VIII. Melius est habere malorum odium, quàm consortium. Sicut bona multa habet communis vita Sanctorum; sic plurima mala affert Societas malorum. *Ibid.*

IX. Agnoscite, dilectissimi, & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt. *S. Bern. s. 1.*

X. Gratulandum est, cùm mali de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi sævâ suâ & venenatâ contagione prædentur. Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. *S. Cyprian. de simplic. Prælat.*

§. IV.

EXEMPLA.

Fuga

Societatis mala.

I. NOë cæteris omnibus dissolutam vitam agentibus, solus ipse arcam parabat, & in diluvio intrabat. *Gen 7.*

II. Tobias Senior, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam Rex Israël, solus ipse fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum DEUM Israël. *Tob. 1.*

III. Mathathias ab Antiocho ad Gentilismum compulsus dicebat: Etsi omnes Gentes Regi Antiocho obediant, ut discedat unusquisque à servitute legis Patrum suorum, & consentiat mandatis ejus, ego, & Filij mei, & Fratres mei obediemus legi Patrum nostrorum. *1. Mach. 2. v. 19.*

IV. Joseph Patriarcha tantopere exosus est malam Societatem, ut ne mortuus quidem inter Ægyptios morari voluerit, sed reliquias suas asportari jusserit. *Gen. 50. v. 24.*

V. De Jobo scribit Origenes, quòd fuerit tanquã columba inter raptrices aquilas, tanquã agnus in medio luporum diripientium, tanquam stella in medio nubium teterrimarum. Item justus inter injustos, inter profanos sanctus, inter obscænos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tanquam Smaragdus in luto, tanquam Margarita in arena. Cùm ergo inter tales esset, non fuit talis quales illi; cùm inter impios esset, non declinavit ad impietatem: cùm esset inter injustos, non est commistus eorum injustitiis, sed permansit in medio impiorum tanquam adamas immobilis, tanquam lucerna inextinguibilis, tanquam lumen, quod immutatur, tanquam radius, qui non occidit. Sic etiam nos oportet esse, ô amici, ut fulgeamus tanquam luminaria cæli in mundo, verbum vitæ continentes in diem Christi. *Origen. in lib. Iob.*

VI. De S. Joanne Baptista canit Ecclesia: *In offic. diei.*

Antea

Antra deserti teneris sub annis Civium turmas fugiens, petîsti, ne levi posses maculare vitam crimine linguæ.

Vita PP. VII. Arsenius interrogatus, cur tantopere hominum consortium fugeret? non posse se cum DEO simul & hominibus vivere, respondit.

Damnum
Mala Societatis.

2. Paral. 19. v. 2. VIII. Josaphat ob societatem cum Achabo initam, propè interemptus esset, sed & à Jehu audire debuit: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco quidem iram Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te.

Matt. 26. v. 70. IX. S. Petrus, licet animosissimus, ubi in domo Caiphæ impiis militibus se miscuit, Dominum negavit.

Euseb. l. 3. c. 33. X. Adolescens, quem S. Joannes Evangelista Episcopo cuidam commendâtat tanquam depositum suum, consuetudine malorum Sodalium non latro modò, sed Princeps latronum factus est.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 16. XI. Gordiana S. Gregorii Magni Amita, licet sanctissimo Sororum suarum Tharsillæ & Æmilianæ exemplo frueretur, tamen quia plùs æquo consuetudine laicarum Puellarum gaudebat, post mortem Sororum miserè seducta est.

S. Aug. l. 2. conf. c. 9. XII. S. Augustinus de seipso scribit: Præceps ibam tantâ cæcitate, ut inter coætaneos meos me puderet minoris dedecoris, quàm audiebam eos jactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent; libebat malum facere non solùm libidine facti, verùm etiam laudis. Quid dignum est vituperatione, nisi vitium? ego, ne vituperarer, vitiosior me fingebam fecisse, quod non feceram, ne viderer abjectior, quò innocentior eram; & ne vilior haberer, quò eram castior. Ecce cum quibus Comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno tanquam in cinnamomo & unguentis pretiosis.

Societatis bonæ fructus.

Gen. 30. v. 30. XIII. De Jacobo Patriarcha ait Scriptura, quòd ad Laban Socerum dixerit: Modicum habuisti, antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixitque tibi DEUS ad introitum meum.

Gen. 39. v. 5. XIV. Sed & Putipharis domui benedixit Dominus propter Joseph, tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam.

Gen. 18. v. 32. XV. Sodoma servata fuisset ab incendio precibus Abrahæ Patriarchæ, si vel decem justi reperti in ea fuissent.

Discipulus serm. 56. lit. b. XVI. Cùm aliquando sancto cuidam Eremitæ revelatum fuisset, eum brevi moriturum, Monasterium ille accessit, & suscipi petiit; mirantibus verò Monachis, quòd in senectute primùm recipi peteret, respondit, sibi mortis horam, & transitum suum revelatum esse, qui, cùm periculosus sit, malle se inter Fratres, quàm solitarium peragere. Itaque receptus, & paulò pòst mortuus est.

§. V.
SIMILITUDINES.
Fuga
Societatis malæ.

Drexel. in Niceta c. 9. l. 1. §. 3. I. Sicut is, qui farinam vitare cupit, & vestium pullarum candidos nævos, molam vitet, necesse est; & qui atrorem metuit, Cyclopum & Fabrorum ferrariorum officinas ac fornaces declinare debet; ita qui à malis sociis demigrari non vult, eorum Societatem declinare omni studio debet.

S. Athan. in vita S. Anton. II. Sicut piscis de aqua eductus continuò languescit, & emoritur; ita, qui à bona Societate ad malam transit, brevi languescere, & spiritualiter mori incipiet.

Drexel. l. c. III. Sicut vinum dilutum colorem perdit, etsi non omnem vini virtutem perdit; ita boni nominis ac famæ colorem amittit, qui socios tam dilutæ probitatis admittit.

Idem in Noemo c. 2. §. 2. IV. Sicut tersum speculum vel halitu solo inficitur; ita probus homo solâ improbi viciniâ inquinatur.

Isaia 52. v. 11. V. Sicut qui picem tangit, inquinatur ab ea, ita qui communicaverit superbo (aut alteri malo socio) induet superbiam (aut alios mores malos.)

Drex. l. c. VI. Sicut animalcula quædam parva sic mordent, ut morsus quidem non sentiatur, sed tamen graviter noceat, partémque læsam intumescere faciat; sic pravi socii occulto, blandóque lædunt vulnere, &, quod de Basilisco scribitur, solo aspectu vel halitu pravi exempli inficiunt.

1. Cor. 5. v. 6. VII. Sicut modicum fermentum totam massam corrumpit; ita unicus malus socius totam communitatem corrumpere potest.

S. Gregor. sup. Ezech. VIII. Sicut malus aër assiduo flatu tractus inficit corpus; ita perversa locutio assiduè infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, assiduitate pravi sermonis.

Granat. in com. loc. f. 242. IX. Sicut in suavissima multarum vocum consonantiâ, si vel una vox dissonans accedat, totam harmoniam dissolvit; ita vel unus improbus in conventu & Societate bonorum moribus inter se similium, totam planè Societatis concordiam turbare solet.

Ibid. X. Sicut potentior est exigua aceti portio ad vini pretiosi dolium corrumpendum, quàm totum illud dolium ad exiguam aceti portionē in vinum permutandam; ita unicus malus socius potentior est ad plures pervertendos, quàm multi boni ad unum malum emendandum.

Engelgr. in cœl. fest. XI. Sicut annulus annulo magnetis vim; ita socius socio vim affricat.

Epiph. §. 3. Ibid. XII. Sicut imperitus Natator jamjam submergendus socium adnatantem secum in profundum trahit; ita malus socius bonum, ipsum emendare volentem, secum in exitium sæpe rapit.



Utilitas
Bona Societatis.

S. Basil. hom. in Gord. Mart. XIII. Sicut suavia aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quibus præsentes recreantur; ita vir bonus, toti sibi commorantium contubernio salutaris & jucundus est.

S. Climac. in compend. XIV. Sicut currentes equi cursu invicem certant; ita & optima quoque societas se invicem excitat.

Discip. serm. 56. lit. A. XV. Sicut carbo frigidus accenditur ex conjunctione cum ferventibus; ita & tepidi ex adjunctione ferventium calefiunt.

Ibid. XVI. Sicut lux sive ignis non meliùs accenditur, quàm aliam lucem vel ignem applicando; ita servi DEI non facilius inflammantur, quàm simul habitando.

Ibid. XVII. Sicut in civitate unus murus aut turris corroboratur ex alio; sic in corpore Congregationis unus per alium in bono solidatur.

§. VI.
MOTIVA.

I. Necessitas: quia si unus solitariè vivens ceciderit, non habet sublevantem aut consolantem se.

II. Utilitas: quia per Societatem, si bona sit, magis quis accenditur, roboratur in bono, protegitur ab hostibus, & faciliùs à DEO exauditur, eique parcitur; cùm Christus ipse dixerit: Si duo consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo: Et DEUS Sodomæ propter decem justos parcere voluerit. Matth. 18. v. 19.

III. Jucunditas: cùm, teste Davide, bonum & jucundum sit habitare Fratres in unum; tum propter jucunditatem pacis & concordiæ; tum propter præsentiam Christi, quam promisit illis, qui in nomine suo congregati fuerint.

§. VII.
MEDIA.

I. Consideratio infirmitatis alienæ: sic enim cùm sciamus, S. Scripturâ teste, sensum hominis in malum pronum esse ab adolescentia sua, ultro incitabimur, ad malam Societatem studiosè vitandam, ne per exemplum malum sociorum vehementiùs ad lapsum impellamur. Gen. 8. v. 21.

II. Consideratio infirmitatis propriæ: sic enim, ut per alios fulciamur, & adjuvemur, bonorum nobis sociorum consortium providebimus, memores sententiæ à Salomone prolatæ: Frater, qui adjuvatur à Fratre, quasi civitas firma. Prov. 18. v. 19.

III. Consideratio conditionis humanæ: cùm enim homo ex natura sua sit animal sociabile, atque adeò difficulter sine socio vivere possit; ratio dictabit, bonorum potiùs, quàm malorum Societatem esse quærendam, cùm, teste Siracide, omne animal diligat simile sibi, & omnis homo simili sui sociari desideret. Eccl. 13. v. 19.

IV. Consideratio corporis Mystici: id est, Ecclesiæ; sic enim, ut nullum in corpore nostro putridum & noxium membrum patimur, sed mox abscindimus; ita socios quoque malos velut putrida & noxia membra ultro detestabimur, & à nobis, aliisque abscindemus.

§. VIII.
ASCETICA.

I. Quatuor sunt præcipua, quæ de hac materia Asceta bene discere, & observare debet. Primum est, ut bene cognoscat commoda & fructus, qui ex Societate hauriuntur, eùmque in finem sententiam S. Gregorij ob oculos habeat dicentis: Pensate, quæso, ubi erit patientia, si deest, quod toleretur? Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum Societas purgatio bonorum est. S. Greg. l. 5. ep. 39.

II. Alterum est, ut sciat, quibus potissimùm sociis bonis se adjungere debeat; id quod S. Ambrosius sequentibus verbis docet: Sequatur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusque Senioribus; namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quantò magis Adolescentes cum Senibus debent novum sibi iter viæ aggredi, quò minùs errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere? nihil enim pulchrius, quàm eosdem & Magistros vitæ, & testes habere. S. Ambros. L. 1. offic. c. 45.

III. Tertium est, ut regulam cognoscat, malos socios à bonis discernendi, quam sapienter Plutarchus assignat, dum ait: Una cavendi insidias occultè malorum ratio est, quod in promptu semper habendum memoriâ: Cùm animi nostri pars una veritati & honestati dedita, rationi rectæ obtemperet, altera bruta sit, falsi appetens, incertisque obnoxia motibus, amicum semper meliori parti se accommodare consiliarium ac monitorem, instar Medici sanitatem augentis & conservantis: adulatorem (is est perniciosus Sodalis) brutæ, & cupiditatibus addictæ parti se applicare, eámque pravis voluptatibus submittendis scabere ac titillare, & à rectæ rationis obsequio avertere. Plutarch. de discrim. adul. & amici.

IV. Quartum est, ut bene apprehendat periculum, quod à malis sociis imminet, id quod bene Drexelius sequentibus verbis declarat: Nemo vitiosus non aliquod nobis vitium commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit: Sunt vitia, quæ commendantur exemplo: alia imprimuntur Sermone: plurima allinuntur conversatione. Tutissimum est, omnes suspectæ vitæ amicos Sodales cavere, & discessionem ab ijs maturè facere. Et iterum paulò pòst: Drex. in Nic. l. 1. c. 4.

Viva

Viva vox & convictus ad docenda vitia, & suavis, & potens est persuasio; habet enim vim præcepti frequenter aspici, audire frequenter. Socium ergo improbum aut imiteris necesse est, aut insecteris, utrumque vitandum est, ne aut malis similis, aut multis inimicus fias. Malorum enim ubique plurimos invenies.

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Luc. 10. v. 30. I. EX occasione Thematis: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in Latrones:* possunt mali Socij latronibus comparari, uti olim S. Bernardus eos vocavit, cùm adhuc Juvenis à malis sociis ad scelus incitarus exclamavit: Latrones, Latrones. Et meritò primò, quia sicut Latrones plerumque in silvis & desertis locis se detinent; ita & mali socij habitant in ijs locis, quæ DEUS, Angeli, & Sancti suâ custodiâ & auxilio deseruerunt, & in quibus non nisi bestiales homines habitant, nullus autem fructus bonorum operum reperitur. 2. Quia sicut Latrones clamoribus fallacibus, vel fistulis decipiunt homines, & in manus suas perducunt; ita mali socij fallacibus & blandis sermonibus illaqueant, & in insidias suas præcipitant. 3. Sicut Latrones spoliant vestibus & divitiis; ita mali socij auferunt gratiam, unà cum virtutibus & meritis. 4. Sicut Latrones sæpe vulnerant, & omnino occidunt; ita & mali socij plerumque exitium & interitum animæ afferunt. Quæ omnia facilè fusiùs explicari possunt.

Prov. 1. v. 15. II. Ex occasione Thematis: *Prohibe pedem tuum à semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt;* potest ostendi, quomodo mali socij devitari possint, ijs scilicet mediis, quibus Latrones effugere solemus; nempe 1. vitando loca, in quibus habitant, id est, consortium eorum declinando, ne alioqui amando periculum, in illo omnino pereamus. 2. Adsciscendo socios, ut, dum Frater adjuvatur à Fratre, sit quasi civitas firma, atque adeò accessus Latronibus non pateat. 3. *Contemptu rerum terrenarum:* cùm cantet vacuus coram Latrone viator; & omnes lites ac tentationes etiam à malis sociis provenientes, ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris oriantur. 4. *Præsidium militare procurando* (Ein Convoy) id est, Cælitum opem implorando. Quæ omnia quâ ratione in praxi usurpanda sunt, fusiùs erit ostendendum.

Matt. 2. III. Ex occasione Thematis: *Surge, & fuge in Ægyptum:* potest ostendi, quòd mali socij sint Herodianis militibus crudeliores. 1. Quia illi tantùm vitam corporalem ademerunt; hi autem etiam spiritualem eripiunt. 2. Quia illi vi apertâ, hi verò fraudulentis insidiis circumveniunt. 3. Quia illi ad imperium Herodis, isti ad imperium Dæmonis, Mundi, Carnis interimunt innocentes. 4. Quia illi semel tantùm, hi toties occidunt, quoties ad actus turpes & vitiosos invitant. Unde meritò tantò magis sunt vitandi, quantò graviora damna inferunt.

IV. Ex occasione Thematis: *Fili mi, si te lactaverint Peccatores, ne acquiescas eis: nec ambules cum eis:* ostendi potest, quomodo mali socij dignosci queant, videlicet ex diversis cucullis (Nebel-Kappen) Et 1. quidem ex *nigra:* per quam intelliguntur, qui ad nocturnas grassationes invitant, ideóque oderunt lucem; ut non arguantur opera eorum. 2. Ex *russa* (Leibfarb) per quam indicantur ij, qui per turpia colloquia aut facta alios seducere conantur; quos proin exemplo S. Thomæ Aquinatis, & Josephi Patriarchæ, fugere oportet. 3. *Ex viridi, cum straminea corona:* per quam significantur Potatores ad hospitiorum frequentationem & immoderatum haustum invitantes; qui proin sollicitè etiam vitandi; quia ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina, ad conflictum animæ producuntur, teste S. Gregorio. 4. Ex *variegata:* per quam innuuntur, qui stultis & falsis axiomatis seducunt: qualia sunt, venialia peccata non magni facienda: oportere se tempori & hominibus accommodare: interponenda interdum curis gaudia: mendaciis & negationibus honorem & famam defendendam: vulpinandum cum vulpibus: devotionem Monachis & Monialibus relinquendam. Quæ proin, quàm falsa sint breviter ostendendum erit. *Prov. 1. v. 10.*

§. X.

MISCELLANEA.

Societas bona.

I. OMnium Societatum nulla præstantior, nulla firmior est, quàm cùm viri boni moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. *Seneca epist. 11.*

II. Nulla res magis animos inhonestos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim Præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri. *Ibid.*

III. Apollonius Thyanæus hoc unum à Diis petijsse fertur: Nôsse bonos, malos vitare. *Alex. ab Alex. l. 4. c. 7.*

IV. Aristippus interrogatus, quid in vita maximè admirandum esset? respondit: Vir bonus inter improbos. *Stob. s. 38.*

V. Themistocles Dux Atheniensis prædium venale proponens jussit à Præcone addi: Et vicinum habet bonum. *Plut. in polit.*

VI. Dentices pisces Societatis tam amantes sunt, ut non ferant à gregalibus suis se separari, atque hâc mutuâ Societate se contra Piscatores tuentur; nam ubi hi cibum demiserint, cógregati, & in orbem consistentes circumspiciunt, & quasi signo dato admonent, ne propiùs accedant. Accidit autem, ut interdum solivagus quispiam hamum devoret, ac proin solitudinis suæ pœnam morte luat. *Fab. conc. 8. in Dom. 1. post Pasch. lit. C.*

Societas mala.

Masel. coll. 1. Cantic.

VII. Sturnus cùm didicisset hæc verba: Cave tibi à mala; eáque frequenter cecinisset, tandem aliis sturnis se adjungens in aucupis retia incidit; ubi advertit, se monitum suum suo damno non servâsse.

Seneca apud Drex. in Nicet. l. 1. c. 9.

VIII. Versat nos, inquit Seneca, & præcipitat, traditus per manus error, alienísque perimus exemplis. Nemo sibi tantùm errat, sed alij erroris causa & auctor est.

IX. Unicus Socius plures interdum corrumpere potest:

Juven. Sat. 2.

Sicut Grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine Porci.
Uváque conspectâ livorem ducit ab uvâ.

Senec. l. 3. de ira c. 8.

X. Sumuntur à conversantibus mores, ait Seneca, & ut quædam in contactos vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit.

Engelgr. in cæl. fest. Epiph. §. 3.

XI. Ergoviæ cùm quidam Pater Stemmate nobilis & senex, duos Filios in lacu se natando exercentes aspiceret, subitò eorum alter in voraginem incidit, cumque Frater ei succurrere vellet, etiam ipsum secum in profundum traxit. Idem sæpe malis sociis evenit.

Necessitas.

Senec. ep. 11.

XII. Nullius rei sine socio jucunda possessio est.

Arist. l. 1. de republ.

XIII. Si quis est, qui congressus & Societates hominum ferre non potest, aut nullo egeat, quòd seipso contentus sit, is profectò in parte Civitatis non est habendus. Ita vel bellua, vel DEUS putandus est.

Seneca l. 4. de benef. c. 18.

XIV. Fac nos singulos, inquit Seneca, quid sumus? præda animalium & victima, ac vilissimus & facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui, satis virium datum est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt; hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium, terribilem cæteria fecit. Nudum & infirmum Societas munit.

§. XI.

AXIOMATA.

I. Qui tangit picem, inquinabitur ab illa. *Eccl. 13. v. 1.*

II. Homo Homini lupus. Homo homini Dæmon.

III. Comes facundus pro vehiculo est in via. *Granat. f. 243. loc. com.*

IV. Scabiosa ovis totum inficit gregem.
Ein räudiges Schaaf macht das ander räudig. *Sen. in prov.*

V. Nulla sine socio jucunda possessio. *Sen. ep. 11.*

VI. Frater, qui adjuvatur à Fratre, quasi civitas firma. *Prov. 18. v. 19.*

§. XII.

AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Niceta l. 1. c. 9.

II. Henricus Engelgrave in Cœlo Empyreo in festo Epiphan.

III. Joannes Busæus in Panario V. Societas mala.

IV. Discipulus concion. 56.

V. Matthias Faber p. 3. operis tripartiti variis in concion.

VI. Ludovicus Granatensis in locis comm. f. 243.

VII. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ hum. V. eodem.

VIII. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

TITULUS XXXIV.

TEMPUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Arist. l. 4. phys.

EST juxta Aristotelem, numerus motûs secundùm prius & posterius; seu, ut alij explicant, est quantitas continua certo partium numero circumscripta, per se apta mensurare motum. Unde veteres pinxerunt tempus super globum stans, quia semper rotatur: alas in plantis gerens, quia semper avolat: novaculam in manu gerens, quia omnia conficit: fronte capillatum, & retro calvum, quia instans solum capi potest, elapsum autem revocari nequit. *Fab. conc. 6. in festo S. Cath.*

Divisio.

II. Dividitur in *Præteritum*, *Præsens*, & *Futurum*: de quibus Apostolus locutus est dicens; quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. *Philipp. 3. v. 13.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. ECce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. *2. Cor. 6. v. 2.*

II. Tempus breve est: reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. *1. Cor. 7. v. 29.*

III. Senectus autem venerabilis est non diuturna, neque annorum numero compu- *Sap. 4. v. 8.*

tata

tata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.

Temporis usus.

Eph. 5. v. 15. IV. Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (id est, miseri & ærumnosi.)

Eccl. 14. v. 14. V. Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.

ib. 4. v. 23. VI. Fili, conserva tempus, & devita à malo.

Gal. 6. v. 10. VII. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei.

Jo. 12. v. 35. VIII. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. August. l. 11. conf. c. 14. I. QUid familiarius & notius commemoramus, quàm tempus? & intelligimus utique, cùm id loquimur: intelligimus etiam, cùm alio loquente id audimus. Quid ergo est tempus? si nemo ex me quærat, scio: si explicare velim quærenti, nescio.

S. Bern. f. ad Scholar. II. Nihil pretiosius tempore, & heu! nihil hodie vilius reputatur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat. Nemo sibi perire diem, & numquam rediturum causavit: sed, sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore.

S. August. hom. 1. in tr. 50. III. Quid est redimere tempus, nisi, cùm opus est, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda & capessenda, spatia temporis comparare?

S. Hieron. in c. 41. Eccl. IV. Ne dicas, priora tempora meliora fuêre, quàm nunc sunt: virtutes faciunt dies bonos, vitia malos.

Utilitas.

S. Laur. Iust. de vit. solit. c. 10. V. Quis mente assequatur, ut pretiosum est tempus? aut quis linguâ caritatem ejus explicet? nôrunt, qui amiserunt, hi enim grato animo erogarent opes, honores, delicias, &c. quidquid est voluptatis pro una horula, nam exiguo illo tempore possent iram ac furorem divinæ justitiæ sedare, Angelos exhilarare, flammis æternis se eripere, & cæleste regnum adipisci.

S. Bern. f. ad Scholares. VI. Nemo vestrûm parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Libet fabulari, ajunt, donec hora prætereat. O, donec hora prætereat! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericratio Conditoris indulserat. O donec transeat tempus! quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.

S. Bernard. dm. Fer. 4. post Dom. 1. Quad. c. 4. VII. Vide, Peccator, temporis pretiositatem, quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, & gloriam.

Idem. VIII. Tempus tantùm valet, quantùm DEUS: quippe in tempore bene consumpto comparatur DEUS.

§. IV.
EXEMPLA.

S. August. l. 1. conf. c. 21. I. S. Augustinus, quanti faceret tempus, ipsemet testatus est, dum dixit: Caro mihi valent stillæ temporum.

S. Bern. f. 20. in Cantic. II. S. Bernardus, ut redimeret præteritum tempus, sic alloquebatur DEUM: De mea misera vita sume obsecro residuum annorum meorum; pro his verò, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum ne despicias.

S. Damasc. in vit. III. S. Barlaam senex, cùm rogatus à Josaphat Principe, quot annorum esset? respondit, annos, nî fallor, quinque & quadraginta natus sum. Rursus verò miranti Principi responsum tale, dixit: Si annos meos ab ipso vitæ ortu nôsse quæris, rectè sanè eos plùs, quàm septuaginta esse conjecisti; at mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos censentur, qui in mundi hujus vanitate consumpti sunt.

Engelgr. in Cale Emp. §. 2. in Fest. Novi anni. IV. Clemens VIII. variis de jactura rerum suarum conquerentibus respondisse fertur, eam jacturam rei gravissimam esse, quæ semel amissa recuperari non potest, eámque temporis esse.

Ibid. V. Quidam Miles, cùm Antverpiæ in Nosocomio lecto affixus contabesceret, cùm nec Rosarium nôsset recitare, doctus est, ita id recitare, ut singulis, quibus vixit, diebus (erat autem sexagenarius) unum Rosarium responderet; incepit ergo triginta diebus singulis Rosaria recitare, & eo numero post biennium completo è vivis excessit.

Ibid. VI. Mulier quædam Japonensis nomen Amidæ sui singulis diebus 14000. pronunnare, & ad hoc à Dæmone bene manè excitari solita, postea ad fidem Catholicam conversa, toties SS. JESU & MARIÆ nomina recitavit, atque ad hoc faciliùs præstandum ab Angelo bono excitata est.

Ibid ex Humberto de 7. donis. VII. Cùm vir quidam Religiosus audivisset horribilem ejulatum, quærens, quis, & quâ de causâ sic lamentaretur? audivit, se unam ex animabus damnatis esse, nihilque se, & alios damnatos lugere magis, quàm temporis jacturam.

§. V.
EXEMPLA PROFANA.

Dio Cassius in vita Adriani. I. SImilius cùm plures annos in Præfectura invitus, septem verò duntaxat ultimos in suburbano prædio cum quiete transegisset; sepulchro suo inscribi jussit: Similius hîc jacet, cujus ætas multorum quidem annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit.

Stobaus f. 96. II. Simonides rogatus, quot annis vixisset, respondit: tempus quidem exiguum, annos verò multos.

S. Hieron. in ep. ad Gal. c. 6. v. 10. III. Titus Vespasiani Filius, cùm quâdam nocte recordaretur, se eo die amicis nullum beneficium contulisse, cum gemitu dixit: Hodie diem perdidi.

Ælian. l. 1. c. 12. IV. Alexander Magnus, cùm quidam diceret, se granum ciceris per foramen acûs, quoties vellet, trajicere velle, graviter ei succensuit, quòd re tam vanâ discendâ tantùm temporis perdidisset.

Valer. l. 8. c. 6. V. Cato Uricensis nunquam sine libro Curiam adire solebat, ut illud temporis, quo Senatus coit, fabulis non consumeret, ociosus non permaneret.

Idem c. 8. VI. Platonis ea constantia fuit in legendo, ut moriens Sophronem Poëtam Syracusium capiti suppositum habuerit.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Roterod. in simil. I. Sicut unda undam perpetuò propellit; ita dies diem trudit.

Idem. II. Sicut à currente flumine tantùm habes, quantùm hauris; ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocâris.

Idem. III. Sicut Ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, eò quòd clanculùm faciant utrumque; ita tempus Juventutis non sentimus advenire, sed advenisse: tempus Senectutis non sentimus discedere, sed discessisse.

Usus temporis.

Fab. côc. 6. in Festo S. Cath. n. 3. IV. Sicut Sartor, quando parùm habet panni ad conficiendam vestem, tunc antequam eam scindat, sedulò metitur per ulnas, & nihil temerè abjicit, sed, quibus potest, modis extendit; ita, quoniam scimus, pauculos esse dies nostros, sedulò eos metiri, nihilque perdere, sed omnes horas utiliter collocare debemus.

S. August. s. 24. de verb. Apost. V. Sicut das nummos, & panem emis, aut vinum, aut aliud quidpiam; sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est, tempus DEO & tibi vacandi.

Beyrlinck. in theat. verb. eod. VI. Sicut nemo balsamum vel aliud pretiosum unguentum abjicit in cloacam, vel calceis inungendis impendit; sic neque tempus abjicere, aut rebus inutilibus impendere oportet.

Anonym. VII. Sicut meritò graviter culpandus censeretur Cellarius, qui epistomium dolio non diligenter applicaret, & pretiosissimum vinum in terram effluere sineret; ita non minùs reprehensione dignus censeri debet, qui tempus, quo nihil est pretiosius, sine fructu elabi sinit.

Idem. VIII. Sicut Telonarij nullum viatorem transire sinunt, à quo telonium non exigant; ita neque homo ullum deberet tempus transire sinere, à quo non telonium boni operis petat.

Idem. IX. Sicut si Pauperi thesaurus regius aperiretur, cum facultate eo die, quid, quid posset, exportandi, nec momentum is sine exportatione abire sineret; ita cùm jam merendi tempus habeat homo, nullum negligere deberet.

Idem. X. Sicut Mercatores Nundinarum tempus accuratissimè observant; ita non minùs tempus hujus vitæ, quod Nundinis comparant SS. Patres, diligenter observari oportet, monente Ecclesiaste: Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare. *c. 9. v. 10.*

§. VII.

MOTIVA

Ad tempus utiliter collocandum.

I. *Brevitas temporis*: hinc Seneca dicere solebat: Eò magis indignor, aliquos ex hoc tempore (quod sufficere ne ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissimè fuerit) in supervacua majorem partem erogare. *Seneca ep. 49.*

II. *Nobilitas temporis*: de qua rectè Concionator quidam hortatur: Cogita de tempore, quod perdis, quòd illi, qui in inferno sunt, darent totum mundum, si haberent, pro eo. *Engelgr. in Festo Novi añi.*

III. *Irrevocabilitas*: nam, ut rectè Seneca dixit, nemo annos, nemo tot dies optimos restituet, nemo iterum te tibi reddet. Hinc illa cujusdam lamentatio: *Seneca de brev. vit. c. 9.*

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus. *Apud Drexel. c. ult. aurif.*

§. VIII.

MEDIA

Ad eundem finem.

I. *Intentio bona*: hæc enim est, quæ tempus redimit, ne sine fructu abeat. Hinc S. Hieronymus ait: Quando tempus in bono consumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitiâ hominum venditum fuerat; sicque dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. *S. Hier. in c. 5. ep. ad Eph.*

II. *Ordinis diurni exacta observatio*: sic enim fiet, ut à passionibus non abripiamur ad multa ociosa & inutilia opera perpetranda, cùm animus semper certo operi affixus sit.

III. *Gratiæ & Gloriæ divinæ digna æstimatio*: hæc quippe faciet, ut non minùs avidè harum lucrum quæsituri simus, quàm Mercatores lucro temporalium divitiarum inhiare soleant.

§. IX.

ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ Asceta de tempore specialiter observare debet. Primum est,

est, ut sciat, quòd nullum tempus æstimandum sit, nisi quòd in bonis operibus consumptum est. Hinc Saul duobus duntaxat annis regnâsse dicitur, quia licet multis annis regnaverit, illis tamen solis regnâsse dicitur, in quibus innocens & humilis fuisse perhibetur, ut ait S. Gregorius, qui & addit: Illo ergo solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter & humiliter viximus; nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minimè memorantur. Unde & Richardus Victorinus, melior est, inquit, senectus morum, quàm annorum: meritorum, quàm temporum. Perfecta est ætas, ubi perfecta virtus est. Nec malè Poëta:

S. Gregor. in 1. Reg. c. 18.

Richard. Vict. tr. de diff. sacrif.

Vive precor, sed vive DEO: nam vivere Mundo
Mortis opus; una est vivere vita DEO.

S. August. ep. 36 ad Paulin.

II. Alterum est, ut medium nôrit, quo præteritum tempus redimere queat; id quod præclarè S. Thomas ostendit, dicens: Contingit quandoque, quòd aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, & hoc est tempus perditum: sed quomodo redimet, cùm homo non sufficiat ad debita persolvenda? respondeo: dicendum est, quòd tantò magis debet vacare operibus bonis, quantò priùs institit malis. Nam, ut S. Hieronymus ait, subitus calor longum teporem vincit. Hinc cùm quondam S. Gertrudis peteret à DEO & Sponso suo Christo, ut peccatorum suorum, & defectuum non recordaretur ampliùs, rapta est à Christo in cælum, & cum veste lacinus & centonibus consuta coram Patre cælesti apparuit; ubi, quamprimum Christus pro ea peroravit, & pretium vitæ ac sanguinis obtulit, derepente vestis illa, in qua omnes illius defectus distinctè repræsentabantur, laminâ aureâ, instar chrystalli lucidâ, cooperta fuit.

S. Thom. in epist. ad Eph. 5. c.

S. Hieron. in epist. ad Paulin.

Insin. l. 4. c. 28.

III. Tertium est, ut firmiter statuat reliquum vitæ tempus bene impendere, eúmque in finem meminerit, vitam nostram, teste S. Gregorio Nazianzeno, quasi mercatum esse, cujus dies, cùm abierit, tempus non erit emendi, quæ velis. Dicat proinde cum S. Chrysologo: Vivamus DEO paululum, qui sæculo viximus totum; dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies: tempus est, ut aliquando domui tuæ provideas.

S. Gregor. Naz. sanct. in sentent.

S. Chrysol. s. 12.

IV. Quartum est, ut sciat modum legitimum tempus suum dispensandi, quem quidem jam pridem Bias Philosophus docuit, dum dixit, ita metiendum cuique esse tempus, quasi diu & parùm victuri simus.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Fili, conserva tempus, & devita à malo*: potest ostendi, quòd vita nostra sit telonio similis, cùm semper transeat tempus, à quo telonium boni operis petere jubemur, de quo quatuor partes nobis relinquit, scilicet fructum meritorium, satisfactorium, impetratorium, & consolatorium, seu gaudij, quod ex bono opere parrato sequitur; solam quintam, ut olim Joseph Patriarcha fecerat, sibi reservat, scilicet fructum laudis & gloriæ, quam alteri non dabit. Unde duo potissimùm corollaria deducentur. 1. Quanta bona ex tempore bene impenso sperare quis possit, utpote de quo tot partes ipsi à DEO relinquuntur. 2. Quàm gravis culpa & negligentia censenda sit eorum, qui tempus inutiliter consumunt; si enim Telonarium illum meritò culpabilem diceremus, qui nullam telonij, quantumvis levis, rationem haberet, quantò magis culpandus censebitur, qui tam pretiosi telonij curam non habet?

Eccl. 4. v. 23.

II. Ex occasione thematis: *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes redimentes tempus*: potest ostendi, vitam nostram mercatui similem esse; atque ideo 1. inferri, quanta cura habenda sit temporis, utpote in quo opera nostra tam carò vendere, & tam pretiosas merces comparare possimus. 2. Quas potissimùm merces emere, aut vendere debeamus, scilicet optimas quasque, id quod faciemus, si multùm pro DEO patiamur & agamus: opera nostra cum magno fervore peragamus: purissimam iisdem intentionem præfigere studeamus.

Ephes. 5. v. 15.

III. Ex occasione ejusdem thematis potest ostendi, quomodo tempus redimere possimus, plerique enim clamare coguntur cum Poëta:

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

Id autem obtinere possumus, 1. si tantam jacturam patienter feramus; sic enim fortè ut Jobo DEUS duplicia restituet. 2. Si vitam præteritam amarè defleamus; nam, ut S. Anselmus ait, tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. 3. Si ex occasione præteritæ negligentiæ causam majoris fervoris in servitio DEI arripiamus, eorum viatorum more, qui, ubi in via tardiùs se progressos advertunt, gressum fortiùs accelerant. Sic, teste S. Chrysostomo, Hæmorrhoissa, licet ultima venerit, curata recessit, quia etsi ægritudine tardabatur, fidei tamen voluntate volabat. Et multi, ut S. Gregorius loquitur, dum se errâsse conspiciunt, damna præterita lucris sequentibus compensant; dum consummati brevi, explent tempora multa. Sic S. Paulus juxta S. Thomam novissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Et hoc modo, dicit S. Doctor, fieri potest, ut ex fervore recuperetur res priùs amissa.

S. Anselm. in epist. ad Eph.

S. Thom. in c. 20. Matt.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Infinita est velocitas temporis, inquit Seneca, quæ magis apparet respicientibus, nam ad præsentia intentos fallit.

Senec. ep. 49.

II. Nec

II. Nec malè Poëta:

Fugit irreparabile tempus,
Omnis quippe dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit.

III. Et Ovidius:

Ovid. l. 3. Fast. Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Idem lib. 6. Fast. IV. Nec quæ præteriit, rursum revocabitur unda:
Nec quæ præteriit, hora redire potest.

Idem l. 4. Pont. V. Tabida consumit ferrum, lapidésque vetustas,
Nullâque res majus tempore robur habet.

Lib. 4 trist. eleg. 6. Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, mœstáque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas.

Utilitas.

Beyrl. in theatr. V. eodē VI. Thales togatus, quod esset in rerum natura sapientissimum? tempus, respondit; docet enim, eruit, & invenit omnia. Hinc dicere solemus: tempus docebit. Et Psalmista *Ps. 18. 3.* ait: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Usus.

Fab. c. 6. in Festo S. Cath. VII. Falcones Norvegiæ, quia brevissimi ibi dies sunt, magna cum velocitate prædantur, ne à nocte præveniantur, quantò magis homo brevitate temporis concessi uti debet?

Senec. l. 9. Epist. VIII. Ita fac, mi Lucili, inquit Seneca, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige, & serva. Persuade tibi, hoc sic esse, ut scribo; quædam tempora surripiuntur nobis; quædam subducuntur, quædam effluunt; turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit. Et si volueris attendere, maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet?

Engelgr. Dom. 9. post Pent. §. 1. IX. Cùm Poëta quidam Solem in theatrum induxisset, sublimi quadrigâ splendentem, à duodecim Nymphis alatis (quæ veloces horas referebant) tractum, quæsitus, cur alias minores, alias majores induxisset? respondit, parvas designare horas orationis, mediocres negotiorum, longissimas somni, prandiorum, ludorum, compotationum &c.

X. Nihil turpius est, quàm grandis natu Senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. *Senec. l. 3. de tranq.*

XI. Longa est vita, si plena est. Quid illum sexaginta anni juvant per inertiam acti? non vixit ille, sed in via moratus est: nec serò mortuus est, sed diu. At ille obiit viridis, sed officia boni civis, boni amici, boni filij executus est, in nulla parte cessavit, licet ætas ejus imperfecta sit, vita perfecta est. *Idē ep. 93.*

XII. Non ætas rejicitur florentior, ubi morum est senecta. Theclam non senecta, sed virtus probavit. *S. Ambros. apud Engelgr. in festo S. Luc.*

XIII. Rectè in eundem finem Martialis:
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus, hoc est
Vivere bis, vitâ posse priore frui. *Martial. l. 10. epigr. 23.*

§. XII.

AXIOMATA.

I. Omnia alia aliena sunt, solum tempus nostrum est. *Senec. ep. 9. l.*

II. Sæpe, quæ ratione sanari non poterant, sanata sunt tempore. *Idem l. de morib.*

III. Omnia tempus habent; seu ut alius ait: *Eccl. 3. v. 1.*

Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi.

IV. Omnia fert tempus. **Alles kombt mit der Zeit.** *Florileg. polit. V. eod.*

V. Ipsa dies quandóque Parens, quandoque Noverca est.

Ein jeder Tag hat seine Plag.

VI. Occasio calva est. **Die Zeit leydt kein Weil.** *ibid.*

VII. Miserum, venire post Festum. **Wer nach der Kirchweyh kombt / wird schlecht empfangen.**

§. XIII.

AUTHORES.

I. Henricus Engelgrave in Cælo Empyreo Festo S. Lucæ. Et p. 1. Luc. Evang. embl. 37. Dom. 9. post Pent.

II. Matthias Faber conc. 6. in Festo S. Catharinæ.

III. Hieremias Drexelius in Aurifodina. c. ult.

IV. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

V. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.



TITULUS

TITULUS XXXV.

TRISTITIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.



Langius in Polyanth. EST apprehensio disconvenientis in appetitu intellectivo, vel volitivo, nobis nolentibus evenientis. Vel, ut Valentia clariùs describit, *Valent. q. 6 pu. 1.* est passio, per quam appetitus cum quadam perturbatione (intelligendo per hanc, amaritudinem quandam vitalem ex præsentia mali, quod odio habetur, & vitari nequit, exortam) & inquietudine execratur malum jam præsens secundùm rem, vel saltem secundùm apprehensionem. Unde tristitia, seu dolor strictè acceptus, non est formaliter ipsa tactio disconveniens subjecto, ut communis vulgi habet opinio, sed est actus ipsius appetitûs, malum aversantis.

Divisio.

II. Dividitur in *bonam* & *malam*; seu, ut *Rodriq. p. 2. tr 6, c. 7.* Alphonsus Rodriquez, post S. Leonem Papam, & Cassianum vocat, *Mundanam* & *Spiritualem*. Mundana seu mala est, quæ ob jacturam cujuspiam rei caducæ, aut alium casum ærumnosum concipitur, de qua loquitur S. Paulus, *1. Thess. 4. v. 12.* cùm ad Thessalonicenses scribit: Nolumus vos ignorare, Fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Spiritualis & bona est, quæ propter & secundùm DEUM concipitur; atque ut Rodriquez notat, ex quatuor causis oritur. 1. *Ex peccatis propriis*, de qua S. Paulus dixit *2. Cor. 7. v. 9.* Corinthiis: Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam; contristati enim estis secundùm DEUM; quæ enim secundùm DEUM tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. 2. *Ex peccatis alienis*: quemadmodum S. David de se- *Psal. 118, v. 139.* ipso fatetur: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. 3. *Ex perfectionis desiderio*: juxta illud Christi: Bea- *Matth. 5. v. 6.* ti, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. 4. *Ex dilatione Beatitudinis*: quâ tristitiâ iterum correptus S. David excla- *Psal. 119. v. 5.* mabat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!

Azor. to. 1. l. 3. c. 13. q. 4. III. Azor alio quoque modo dividit tristitiam, scilicet in *luctum*, qui est tristitia ex ejus, qui carus fuerat, acerbo interitu concepta: *Mœrorem*, quæ est tristitia flebilis: *Ærumnam*, quæ est tristitia laboriosa & diuturna: *Dolorem*, quæ est tristitia torquens & crucians: *Lamentationem*, quæ est tristitia cum ejulatu: *Sollicitudinem*, quæ est tristitia cum cogitatione: *Molestiam*, quæ est tristitia permanens: *Afflictationem*, quæ est tristitia cum vexatione corporis: & *Desperationem*, quæ est tristitia omni rerum meliorum exspectatione carens.

Effectus.

IV. Primus est, *obscuratio ingenij* ob spiri- *S. Thom. 1. 2. q. 37.* tuum obtenebrationem, &, quia per objectum dolorosum omnes animæ vires occupantur, quò minùs se ad operationes ingenij extendere possint.

V. Secundus est, *aggravatio inclinationis naturalis*, quò minùs bono, ad quod propendet, frui queat.

VI. Tertius est, *transmutatio corporalis, naturæ contraria*, quatenus scilicet naturalis motus cordis, & sanguinis vitalis diffusio impeditur.

VII. Quartus est, *debilitatio operationis*: quia quæ cum tristitia & contra voluntatem fiunt, minori cum diligentia & alacritate perficiuntur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Dormitavit anima mea præ tædio. *Psal. 118. v. 28.*

II. Cor pravum dabit tristitiam, & homo *Eccl. 36. v. 22.* peritus resistet illi.

Fuga.

III. Tristitiam non des animæ tuæ, & non *Eccl. 30. v. 22.* affligas temetipsum in consilio tuo.

IV. Tristitiam longè repelle à te; multos *Ib. v. 25,* enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.

V. Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Ib. 7. v. 9.*

VI. Ne dederis tristitiæ cor tuum, sed re- *Ib. 38. v. 21.* pelle eam à te, & memento novissimorum.

Damnum.

VII. Omnis plaga, tristitia cordis est. *Eccl. 25. v. 17.*

VIII. Mœror in corde viri humiliabit il- *Prov. 12. v. 25.* lum, & sermone bono lætificabitur.

IX. Cor gaudens exhilarat faciem: in mœ- *Ib. 15. v. 13.* rore animi dejicitur spiritus.

X. Animus gaudens ætatem floridam facit, *Ib. 17. v. 22.* spiritus tristis exiccat ossa.

XI. A tristitia festinat mors, & cooperit *Eccl. 38. v. 19.* virtutem, & flectit cervicem tristitia cordis.

XII. Non est sensus, ubi est amaritudo. *Ib. 21. v. 15.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Tristitia bona Utilitas.

S. Chrysost. hom. 5. ad popul. I. Mulctatus est quispiam pecuniâ, tristatus est, mulctam non emendavit. Filium quis amisit, doluit, mortuum non resuscitavit. Flagellatus est quis, doluit, contumeliam non revocavit. In morbum quis incidit gravissimum, doluit, morbum non sustulit, sed difficiliorem reddidit. Vides, horum nulli prodesse tristitiam. Peccavit quis, tristatus est, peccatum delevit, dissolvit debitum.

Cassian. l. 9. de instit. II. Illa (scilicet bona tristitia) obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis, ac patiens, utpote ex DEI caritate descendens, habens in semetipsa omnes fructus Spiritûs sancti; hæc verò (nempe tristitia mala) aspera, impatiens, dura, plena rancore, & mœrore infructuoso, ac desperatione pœnali universos fructus spirituales evacuat.

Tristitia mala detrimentum.

S. Hieron. sup. Matth. III. Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio, id est, tristitia, quæ ducit hominem ad mortem, hæc abominanda ebrietas est.

Cass. l. 10. c. 4. IV. Ab omni contemplatione virtutum & intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis hujus zelo fuerit sociata.

S. August. de gen. ad lit. V. Tristitia spiritûs orationes explere cum solita cordis hilaritate non permittit, non sacrarum lectionum sinit remedijs incubare; tranquillum quoque ac mitem Fratribus esse non patitur, & ad cuncta operationum vel Religionis officia impatientem & asperum reddit.

S. Basil. de grat. act. hom. 4. VI. Multos sanè novimus, cùm calamitate ingenti affligerentur, sibi vi à lacrymis temperâsse, deinde in quosdam morbos insanabiles cecidisse, in apoplexias, inquam, ac paralyses; alios verò penitus exanimatos esse, cùm vires ipsorum perinde ac debile fulcrum quoddam, tristitiæ onere confringerentur.

S. Chrysost. l. 2. de prov. VII. Mœror, etiam absente dœmone, multa per se horrenda efficit, plurimósque eorum, qui sibi vel nexuerunt laqueos, consciverunt gladios, vel fluvij se undis, vel flammia donaverunt, vel alio quovis genere perdidêre seipsos, solâ doloris ac mœroris vi ad ita occumbendum impulsos reperiemus.

Fuga.

S. Ambros. orat. I. in Satyr. VIII. Depone mœrorem, si potes; include, si non potes. Aut absorbendus omnis, aut premendus est dolor. Cur enim mœstitiam tuam non ratio potiùs, quàm dies leniat? nam quod obliteratura est temporis series, meliùs prudentia mitigabit.

Cassian. l. 9. inst. c. 12. IX. Absque illa tristitia, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnia tristitia tanquam sæculi, &, quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel phylargyriæ, vel iræ, de nostris cordibus penitus extrudenda.

X. Miseros nos facere poterit nemo, nisi nosmetipsos faciamus; sicut scilicet nec beatos, nisi nos efficiamus cum DEI gratia. *S. Chrysost. hom. 18. ad popul.*

§. IV.

EXEMPLA.

Fuga.

I. S. Apollonius negabat, ullo modo decere illos, qui sua corda in DEO fixissent, ab eodémque cælorum regnum exspectarent, tristari. Tristentur, ajebat, Gentiles, Judæi, cæterique Infideles; neque item Peccatores modum lugendi faciant; at Justis, quos spea viva perennium bonorum alit, quæ causa merendi? *Vita PP. apud Rosweyd. p. 2. tr. 6. c. 7.*

II. S. Franciscus Seraphicus, si quem ex suis subtristem conspexisset, graviter objurgabat, dicens, oportere eos, qui Dœmoni, Carni, & Mundo serviunt, non verò, qui DEO serviunt, tristes esse, nisi fortè in culpam aliquam inciderint. *Lyraus apophs. 6. lib. 1.*

Damnum.

III. Monialis quædam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis apparens dixit, se cælesti quidem gloriâ nunc potiri, quinque tamen horarum spatio in purgatorio hærere debuisse ob immoderatam tristitiam, quam animo prædominari passa fuisset. *Ibid.*

IV. S. Gregorius, teste D. Thoma, ob mœrorem animi, plenitutem explanationem in Ezechielem Prophetam intermisit. Atque idipsum sibi etiam evenisse S. Hieronymus fatetur. *Busæus in Panar. V. eod.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut vermes maximè in lignis teneriori-bus crescunt; sic mœrores utplurimùm in homines molliores cadunt. *S. Basil. or. de mær.*

Bona tristitia.

II. Sicut vermis in ligno natus ipsum comminuit; sic tristitia de peccato nata, peccatum conterit per pœnitentiam inducta. *S. Chrysost. hom. 7.*

Mala tristitia.

III. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita viri tristitia nocet cordi. *Prov. 25. v. 20.*

IV. Sicut nubes condensata, & sub solatem radium currens, omnem retrorsum splendorem avertit; sic & tristitiæ nebula, cùm ante animum nostrum steterit, non sinit facilem esse orationis cursum, sed suffocat, & cum multa necessitate intus reprimit. *S. Chrysost. hom. 2. de advers.*

V. Sicut vestimentum tinearum esu attractum, nullius precij vel honesti usus poterit ulterius habere commercium, itidémque lignum vermibus exaratum non jam ad ornatum vel mediocris ædificij, aut sustinendum aliquod pondus, sed ad combustionem ignis meretur deputari; ita igitur & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit.

VI. Sicut

Plutarch. ep. ad Fanium.

VI. Sicut fabricitantibus ille calor, gelidúsque horror, longè est molestior, quàm sanis, qui pro diverso anni tempore aut frigent, aut calent; ita tristitia ex propriis oriunda culpis, longè sæviùs animum excruciat, quàm quæ aliunde ex casibus fortuitis procedit.

Busæus in pan. V. tristit.

VII. Sicut amara herba cibis admixta, omnes cibos reddit insipidos; sic tristitia omnes nostras actiones reddit fastidiosas.

§. VI.

MOTIVA

Ad tristitiam malam fugiendam.

I. Quia tristitia est *radix vitiorum* plurimorum: ut non immeritò illi attribuant aliqui hæc S. Davidis verba: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Item: Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Psal. 103. v. 20. Ps. 10. v. 2.

II. Quia, ut S. Franciscus Seraphicus rectè advertit, in *desperationis barathrum* præcipitat, aut certè voluptatibus mundanis dissolvit; quæ causa est, ut vehementer ob eā lætetur Dæmon.

Rodriq. p. 2. tr. 6. c. 5.

III. Quia *summa amentia* indicium est, uti S. Chrysostomus pronuntiavit, dicens: Summæ est amentiæ in rebus incertis certo se jam cruciatu conficere.

S. Chrysost. l. 2. de prov.

IV. Quia & *DEO summè displicet*; ut enim hilarem ille datorem diligit, teste S. Paulo, ita non potest non illi tristis dator summopere displicere.

2. Cor. 9. v. 7.

§. VII.

MEDIA.

Jac. 5. v. 13.

I. Oratio: sic enim S. Jacobus suasit, dicens: Tristatur aliquis vestrûm? oret. Hinc & Christus cuidam in summo mœrore jacenti dixit: Surge, atque ad meditandam meam passionem accingere. Quod, ubi is fecit, omnis animo angor discessit.

Rodriq. p. 2. tr. 8. c. 5.

II. *Sermo jucundus*: sic Salomon docuit; dum dixit: Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.

Prov. 12. v. 25.

III. *Vita bona*: non enim contristabit justum, quidquid ei acciderit. Hinc Hugo ait: Vis nunquam esse tristis? bene vive; bona vita semper gaudium habet.

Ib. v. 21.

IV. *Memoria DEI*: uti S. David exemplo suo docuit, dicens: Memor fui DEI, & delectatus sum. Et confirmat S. Isidorus Pelusiota, dum ait: Animum mœrore oppressum & profligatum nihil perinde oblectare potest, ut DEI memoria. Quemadmodum enim Mulieris illius cruento profluvio laborantis morbus, qui nec exinaniri, nec à Medicis tractari ac sedari poterat, temporis puncto depulsus est, sic etiam humana mœstitia consolationem propellens, ut cui nihil solatij adhiberi queat, ad solam DEI recordationem facessit, & evanescit.

Ps. 76. v. 4. S. Isid. l. 3. ep. 129.

V. *Spes beatitudinis*: nam, ut Cassianus ait, hanc perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, ut mentem nostram spiritali meditatione jugiter occupatam futura spe, & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus.

Cassian. l. 9. instit. c. 13.

VI. *Phantasiæ correctio*: sicut enim Pueris larvas formidantibus larvas in manus damus, & equos ad quævis objecta ferri solitos, calcaribus admotis ad ea propellimus, ut nihil timendum esse advertant; ita Phantasiæ quoque & Intellectui nostro inanitatem terriculamentorum ex adversis oriri solitorum ostendere debemus. Hinc rectè dixit S. Chrysostomus: Hominem nihil expertum mox, si quæ fortuitò oboriuntur turbulentiæ, imò non solùm res ipsæ, sed & stultæ opiniones, & rerum umbræ pavidum reddunt & perterrent. Verùm qui non omnino inexercitatus in certamen ingreditur, sed multa antè mala perpessus est, in omnibus postea Superior fit, & tanquam graculos crocitantes, eos, qui minantur, contemnit. Non parva autem hæc est corona, neque exigua merces, quòd illum nihil humanarum rerum movere potest.

Staplet. to. 1. in Dom. 4. post Pasch. S. Chrysost. s. de resurrect.

VII. *Alienarum calamitatum consideratio*: sic Demonax Philosophus quendam Filij mortem inconsolabiliter lugentem adiens promisit, se Filij umbram ab Inferis revocaturum, si tres ex omni hominum numero nominare posset, qui nullius obitum luxissent, & quibus nullum obogisset infortunium. Cúmque ille nec unicum ostendere posset, subjecit Demonax: quid igitur, tanquam rem novam & insolitam passus esses, teipsum inaniter discrucias?

Stapl. l. c.

§. VIII.

ASCETICA.

I. Tris sunt, quæ de Tristitia singulariter Ascetæ sunt observanda, & scienda. Primum est, ut bene cognoscat, quantopere illa perfectionis studio obsit; certè Cassianus toto libro eam persequens concludit, non minori studio curandum esse hunc morbum, quàm cæteros, si spiritualis agonis certamina cupiamus desudare, utpote quæ omnem intelligendi & volendi facultatem quasi obstupefacit, & obtundit.

Cass. l. 9. c. 13.

II. Alterum est, ut solidum & efficacem sciat modum, pellendi hanc tristitiam, qui quidem in eo potissimùm consistit, ut omnem ex animo rerum creatarum concupiscentiam extirpantes, in solo DEO lætari assuescamus; nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, qui aut non habita concupiscit, ut habeat; aut adepta metuit, ne amittat; & dum in adversis prospera, in prosperis formidat adversa, huc, illúcque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. E contrario verò, ut S. Chrysostomus ait, in Domino gaudens, hâc voluptate ex nullo accidente excidere potest. Alia quippe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia. Nec hoc solùm, sed etiam apud nos manentia, nascentem ex aliis rebus tristitiam repellere non possunt.

S. Gregor. l. 22. mor. c. 14. S. Chrysost. hom. 14. ad popul.

III. Tertium est, ut certò sibi persuadeat id, quod S. Chrysostomus iterum sapienter docuit, nullam jacturam fieri per tristitiam & dolorem,

reparabilem, nisi quam peccatum affert, atque adeò huic soli eam impendi debere. Hinc S. Leo dicere solitus erat, religiosam tristitiam aut alienum peccatum lugere, aut proprium.

S. Leo apud Beyrl. te 4. in Festo Omn. SS.

§. IX.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Seneca in orat. consol.

I. Lyciorum Legislator suis præcepit, ut, quoties in luctum incidissent, veste induti muliebri lugerent; indicare volens, hujusmodi affectum muliebrem, & viro indignum esse.

Necessitas.

Maxim. s. de dolor. ac trist.

II. Socrates rogatus, quomodo quis vitam tristitiâ vacuam degeret? respondit, fieri non posse, ut, qui in civitate vel familia habitat, & hominibus conversatur, non aliquando tristetur.

§. X.

AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Alphonsus Rodriquez. p. 2. tr. 6. toto.
III. Matthias Faber. conc. 2. in Festo SS. Philippi & Jacobi.
IV. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.
V. Laurentius Beyrlinck. in theatro vit. hum. V. eod. & in Promptuario te. 4. in Festo Omnium Sanctorum.
VI. Hadrianus Lyræus, in l. t. apophr. S. Ignatij. apopht. 6.

TITVLVS XXXVI.

VERBUM DEI.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Serar. in proleg. c. 1. q. 2.

EST id, quod loquitur DEUS, ut definit Serarius; sic enim etiam Verbum increatum involvitur. Quòd si tamen solum creatum Verbum, de quo hic potissimùm Sermo erit, definire quis velit, dici potest, quòd sit Sermo à DEO immediatè vel mediatè prolatus.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *Increatum* & *Creatum*. Illud est ipsa æterna DEI Sapientia, seu Filius DEI, de quo S. Joannes dixit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Istud est Verbum DEI in tempore ad Angelos vel Homines prolatum; de quo S. Paulus ad Hebræos locutus est, dicens: Multifariam, multisque modis olim loquens DEUS Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum.

Jo. 1. v. 1.

Hebr. 1 v. 1.

III. Subdividitur 1. in *scriptum*, & *non scriptum*. Illud est, quod in S. Scriptura seu Biblijs continetur. Hoc est, quod à primo suo Authore scriptum non fuit, sed solùm oretenus traditum est, unde & *Traditio* vocatur, de quo S. Paulus Thessalonicensibus dixit: Tenete traditiones, quas accepistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam. Iterùmque subdividitur in *divinam*, quæ ab ipso Christo Apostolis tradita est, qualis est Sacramentorum materia: *Apostolicam*, quæ ab Apostolis accepta est, qualis est jejunium Quadragesimæ, & quatuor temporum, & similia: & *Ecclesiasticam*, quæ nihil aliud est, quàm consuetudo quædam antiqua, quæ vel à Prælatis, vel à Populis inchoata, tacito consensu vim legis obtinuit.

2. Thess. 2. v. 15.

IV. Subdividitur 2. in Verbum *prædicatum*, de quo dixit Christus: Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Et *auditum*: de quo idem dixit ad turbas: Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.

Marc. 16. v. 15.

Luc. 11. v. 28.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum: recti sunt intelligentibus, & æqui invenientibus scientiam. *Prov. 8. v. 8.*

II. Omnis Sermo DEI ignitus, clypeus est sperantibus in se: ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax. *Prov. 30. v. 5.*

III. Non voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirata, locuti sunt Sancti DEI homines. *2. Petr. 1. v. 21.*

IV. Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram. *1. Cor. 10. v. 11.*

V. Habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. *2. Petr. 1. v. 19.*

VI. Lucerna pedibus meis Verbum tuum: & lumen semitis meis. *Psal. 118. v. 105.*

VII. Verbum sapiens quodcunque audierit sciens, laudabit, & ad se adjiciet; audivit luxuriosus, & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suum. *Eccl. 21. v. 18.*

Necessitas.

VIII. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Prov. 28. v. 9.*

IX. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram; non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi Verbum Domini. *Amos 8. v. 11.*

X. Ecce

Ierem. 19. v. 15. X. Ecce ego inducam super civitatem hanc, & super omnes urbes ejus universa mala, quæ locutus sum adversus eam, quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

Io. 12. v. 48. XI. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit illum in novissimo die.

Heb. 2. v. 1. XII. Propterea abundantiùs oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.

Utilitas.

Hebr. 4. v. 12. XIII. Vivus est sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum.

2. Tim. 3. v. 16. XIV. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus.

Rom. 15. v. 4. XV. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.

Matth. 4. v. 4. XVI. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.

Jucunditas.

Ier. 15. v. 16. XVII. Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei.

Ps. 118. v. 103. XVIII. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.

Cant. 4. v. 11. XIX. Favus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingua tua.

Verbum DEI audiendum.

Io. 8. v. 47. XX. Qui ex DEO est, verba DEI audit. Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.

Io. 10. v. 27. XXI. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Deut. 11. v. 18. XXII. Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.

Faciendum.

Iac. 1. v. 22. XXIII. Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.

Prov. 7. v. 1. XXIV. Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi.

Rom. 2. v. 13. XXV. Non auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificabuntur.

Iac. 2. v. 23. XXVI. Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.

Matt. 7. v. 26. XXVII. Omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & fuit ruina illius magna.

Iac. 1. v. 25. XXVIII. Qui perspexerit in legem perfectã libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.

Prædicandum.

XXIX. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. *2. Tim. 4. v. 2.*

XXX. Clama; ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia Populo meo scelera eorum. *Is. 58. v. 1.*

XXXI. Notum facio vobis Evangelium, Fratres, quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem JESU Christi. *Gal. 1. v. 11*

XXXII. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marc. 16. v. 15.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. Plus est, verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem moriturae carnis terreno cibo satiare. *S. Greg. ho. 6. sup. Evang.*

II. Scriptura, ut fidelis speculi nitor, nullius accipit adulandam Personam, sed ad laudanda & vituperanda hominum facta, illis ipsa indicat, vel legentibus judicanda proponit. *S. Aug. l. 22. contra Faust. c. 65.*

III. Mare est Sacra Scriptura, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum Ænigmatum; in quod mare plurima introëunt flumina: ex hujus fluminis plenitudine quicunque acceperit, elevat vocem suam: ex hoc flumine aqua saliens in vitam æternam, quæ lætificat civitatem DEI. *S. Ambr. l. 7. ep. 44.*

IV. Scriptura Sacra cibus est nobis in obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur: potus est in locis apertioribus, quia ita absorbetur, sicut invenitur. *S Greg. l. 1. moral. c. 21.*

V. Arcus est Scriptura, de qua ad corda hominum, sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Hunc arcum DEUS tetendit, quia per Scripturas Peccatoribus minas exhibet; in eo paravit vasa mortis, quia secundùm eloquij sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. *Idem l. 19. mor. c. 28.*

VI. Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo Sapientiæ, ut animosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cùm consummaverit homo, tunc incipiet. *S. Aug. ep. 3. ad Volus.*

VII. Scriptura & Creatura ad hoc sunt, ut ipse quæratur, ipse diligatur, & qui ipsam creavit, & qui illam inspiravit. *Idem l. 2. de Trin.*

VIII. Sic loquitur S. Scriptura, ut altitudine Superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate Parvulos nutriat. *Idem l. 2. in Gen. c. 19.*

Necessitas.

S. Aug. de doct. Christ. IX. Titubat fides, si divinarum Scripturarum vacillet authoritas. Porro fide titubante ipsa etiam caritas langoescit.

Utilitas.

S. Chrys. sup. Matt. 24. X. In Scripturis ignorans invenit, quod discat; contum ıx, quod omeat: laborans præmia, pusillanimis mediocris justitiæ cibos, qui, etsi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui auteio est magni animi, iovenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum prope ad Angelorum naturam, qui verò est vulneratus à Diabolo, invenit ibi cibos medicinales, & salutem per pœnitentiam.

S. Isid. l. 3. de summ. bono. XI. Geminum confert donum lectio Scripturarum Sanctarum, sive quia mentis intellectum erudit, seu qoòd à vanitatibus mundi abstractum hominem ad amorem DEI perducit.

S. Ambr. in ser. 40. XII. Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim potest panem seculi capere, qui pane reficitur Salvatoris. Negligit famem corporis, qui pabulo lectionis intendit: nec ventris curam habere poterit, qui alimentum cibi cælestis acquirit; ipsa est enim omnium refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cùm de divinis Scripturis cibum eloquij perennis accipimus.

S. Bern. ser. 85. sup. Cant. XIII. Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illumioetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad Sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fecunditatem, qoo fruatur ad jucunditatem.

S. Chrysost. ho. 43. de ira. XIV. Omnium medicinarum thesaurus divinæ Scripturæ sunt, &, sive stultitiam exuere, sive affectus sedare, sive pecuniarum cupiditatem expellere, sive dolores contemnere, sive fortem animum induere, sive adversa æquo animo tolerare velimus, quàm plurima hinc remedia invenire possumus.

S. Ambros. l. 6 ep. 41. XV. Paradisos est S. Scriptura, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ spei mandata diffundit per universos populos.

S. Cyprian. in ps. 118. XVI. Omnis doctrina cælestis lux nobis ad iter viæ est, quæ lucernæ modò in hac nocte seculi præferenda est, cùm aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, ut eâ in omnem progressum cujuscunque operationis utamur.

S. Hier. in epist. ad Dam. XVII. Utere S. Scripturæ lectione vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, & pulchriora faciendo, Scriptura enim speculum est, fœda ostendens, & corrigi docens.

S. Aug ho. 26. ex. 50. XVIII. Qui Verbom Divinum libenter audit, in aures animæ de patria Paradisi transmissas se suscepisse non dubitet.

S. Hier. ep. ad Demetr. XIX. Ama Scripturas Sanctas, & amabit te Sapientia: dilige eam, & servabit te: honora illam, & amplexabitur te.

S. Cypr. de orat. Dom. XX. Evangelij præcepta, Fratres dilectissimi, nihil sunt aliud, quàm magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, munimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis.

XXI. Eadem Divina quædam, & ineffabilis est passionum extinctio; nam & spinas passionum extirpat, tellurémque puram reddit, semináque dimittit pietatis, atque ad vigorem fructum agit. *Idem ho. 2. de pan.*

Jucunditas.

XXII. Manna habet omne delectamentum, & divinus sermo omnibus congruens qualitati audientium condescendit, quem, dum electus quisque utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit. *S. Greg l. 8. c. 7. mor.*

XXIII. Quoties Episcopi & Sacerdotes in Ecclesia prædicant, toties convivium præparatur; in hoc aotem convivio tales potiones, taliáque infirmis antidota anteponuntur, quibus cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curantur, mortui resuscitantur, omnésque morbi, omnésque infirmitates sanantur. *S. Basil ho. 2. de ieiun.*

XXIV. Favus distillans labia tua, expositio Sacrarum Scripturarum, mel & lac in doctrina tua sub lingua tua, eò quòd lacte parvulos nutris, in melle diversorum vulnerum, peccatorum putredines tollis. *S. Bern. in Cantic.*

Dignitas.

XXV. Qoid vobis plus esse videtur, Verbum DEI, an Corpus Christi? Si vultis verum respondere, hoc utique dicere debetis, quòd non sit minus Verbum DEI, quàm Corpus Christi, & ideò non minùs reus sit, qui Verbum DEI negligenter audiverit, quàm ille, qui Corpus Christi in terram oegligentia sua cadere permisit. *S. Aug. in serm. quod.*

XXVI. Si in viris prudentibus exspectari id maximè solet, ut ea, quæ loquuntur, gravitate eorum, doctrinâque digna sint, omnísque sermo non sit fortuitus & vagus, sed ex rationabilibus causis profectus, & exspectaooni audientium utilis, & authori cognitus differeotium. Quantò magis id in cælestibus eloquiis opinandum est, ut, quidquid in his excelsum est, divioum, rationabile, & perfectum esse existimetur. *S. Hilar. in ps. 145.*

XXVII. Major est hujus Scripturæ authoritas, quàm omnis ingenij humani perspicacitas. *S. Aug. 15. sup. Gen.*

XXVIII. Tanta ac talis est divinæ Scripturæ sublimitas, ut non solùm verba, quæ à Saoctis, vel ab ipso Domino dicta referuntur, sed etiam circumstantiæ rerum, quæ simpliciter positæ videntur, spiritualibus sint plenæ Mysteriis. *Idem in hom.*

Prædicatio.

XXIX. Prudentibus viris oon placent phalerata, sed fortia: quando non res pro verbis, sed pro rebus enumerandis verba sunt instituta. *S. Prosp. l. 3. de vit. con. c. ult.*

XXX. Verborum flosculos non quæramus; qui maturitatis fructom quærit, despicit amœna camporum. *S. Chrysol. s. 18.*

XXXI. Ego quid sum, nisi cophinus Seminatoris? ille in me ponere dignatus est, quæ vobis spargo: nolite attendere ad utilitatem *S. Aug. ho. 26. ex. 50.*

cophi-

cophini, sed ad claritatem seminis, & potestatem Seminatoris.

S. Greg. ho. 11. in Ezech. XXXII. Ut prædicandi veritas servetur, vivendi altitudo teneatur.

§. IV.

EXEMPLA.

Dignitas.

Luc. 2. v. 51. I. B. Virgo, ut Lucas testatur, omnia verba, quæ Christus loquebatur ad ipsam, conservabat in corde suo.

Esdr. 2. c. 8. II. Sed & de Esdra narrant S. Literæ, quòd, cùm librum Legis Populo prælegeret, tantus in eo clamor & tumultus fuerit excitatus, ut compulsi fint Levitæ Populo silentium & quietem ei imperare. Sed & aures Populi omnis erant erectæ ad librum, licet à mane usque ad mediam diem legeretur.

Luca 4. & Marc. 3. III. Cùm Christus in terris concionaretur, turbæ irruebant in eum, ut audirent verbum ejus, ita ut neque possent panem manducare.

Act. 17. IV. Cùm Paulus & Silas Berœam venissent, nobiliores susceperunt verbum cum omni aviditate.

Eusob. Cæs. l. 4. de vit. Constant. V. Constantinus Imperator Eusebium Cæsariensem concionantem audiens, non nisi stare voluit, dicens, Verbum DEI à stantibus audiri debere, ut altiùs animo insideat.

VI. B. Francisca à JESU discalceata magna voluptate & copioso lacrymarum imbre Verbum DEI excipiebat, cùmque interrogaretur, quomodo interdum conciones tam ineptas tanta cum voluptate audire posset? respondit: Peregrini, exulésque, qui Literas aut Nuntios de Patria cognatis aut Amicis audiunt, parùm admodum de eleganti eorum elocutione, aut literarum stylo curant, dummodo gratissimam habeant narrationem; quidni ergo quicunque peregrinamur à Domino, etiam minùs disertè de eo narrantes, libentissimis auribus ac animis hauriamus?

Engelgr. p. 1. Luc. Ev. Dom. Sexag. §. 2. VII. Margaretha Conjux Ludovici XI. transiens atrium quoddam, cùm conspexisset Alanum Oratorem valde disertum, dormientem, accessit, & osculum genis impressit. Cuidam verò miranti, & dicenti, cur hominem tam deformem oscularetur? respondit, non hominem, sed os illud aureum exosculor, è quo tot flumina salutaris doctrinæ ac moralis prudentiæ profluxerunt.

S. Aug. ep. 19. ad S. Hier. VIII. S. Augustinus dicebat: Ego solis ijs Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc honorem, timorémque deferre, ut nullum eorum Authorum scribendo aliquid errâsse, firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut, quantâlibet sanctitate doctrinæ præpolleant, non ideo verum putent, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

Luc. 10. v. 39. IX. S. Maria Magdalena sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, magno utique desiderio & atentione.

Eusob. l. 8. hist. c. 2. X. Romana Ecclesia secundo die Januarij celebrat commemorationem illorum SS. Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo Sacri Codices tradi jubebantur, potiùs corpora Carnificibus, quàm Sancta dare canibus maluerunt.

Balinghem in præf. ad loc. com. c. 1. XI. S. Carolus Borromæus nudo capite, & flexis genibus Sacra Biblia lectitare consueverat.

Ibid. c. 4. XII. Alphonsus Aragonum Rex sacrum Bibliorum volumen decies quater evolvit, idque etiam Commentariis illustravit, unde ita illas memoriæ impressit, ut bene longas partes verbotenus recitare posset.

Ibid. c. 5. XIII. S. Cæcilia sacrum Evangelij Codicem perpetuò gestabat in sinu, & volvebat.

Baron. ad ann. 20. XIV. Alatini in Africa, cùm fidei hostes, Diocletiani jussu Sacros Libros in ignem pararent injicere, repentè, licet sereno cœlo, copiosus imber de cælo delapsus ignem extinxit.

Surius 16. Nov. XV. S. Edmundus, cùm quâdam die S. Scripturam legens obdormijsset, & interim candela in Codicem decidisset, ubi evigilavit, Codicem, licet candela ardens diu illi inhæserit, prorsus illæsum reperit.

Utilitas.

S. Aug. l. 8. conf. 12. XVI. S. Augustinus, cùm diu secum circa mutationem vitæ luctaretur, denique auditâ voce: *Tolle, lege:* Sacra Biblia in manus sumpsit, &, ubi illa verba: *Non in Comessationibus &c.* legisset, lux & serenitas cordi illius infusa, omnes dubitationis tenebras discussit.

S. Hier. in vita. XVII. S. Paula jugi S. Scripturæ lectione usque adeò se roborabat, ut in quovis eventu, quantumcunque sinistro, semper eadem & læta appareret.

S. Bonav. in vita. XVIII. S. Franciscus Seraphicus, cùm illa Evangelij verba: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta: statim sibi eam regulam sequendam proposuit.

Fab. conc. 6. post Epiph. n. 9. Matt. 19. v. 21. XIX. Serapion Anachoreta, cùm in sacro Codice legisset: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*: foras egressus incidit in nudum mendicum, cui detractam sibi vestem dedit; ipse verò propè nudus cùm ab aliis rogaretur, quis eum tam miserè spoliâsset? digito in Codicem, quem sub axilla gerebat, intento: *Hic est*, ajebat, *qui me spoliavit.*

Ibid. Matt. 5. v. 3. XX. Unica Evangelij lectio, quâ S. Simeon Stylites illa verba legerat: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur*: effecit, ut octoginta annis in columna staret, orationi assiduò vacaret, pene sine cibo & potu viveret, & Angelus potiùs, quàm homo videretur.

S. Chrys. ho. 92 in Gen. XXI. S. Ephrem quondam orans hanc vocem audivit; *Ephrem manduca:* cúmque ille responderet: *quis mihi cibum dabit?* iterum vox dixit: *Abi ad Basilium*, hic te docebit, & panem æternum tibi porriget. Confestim ergo surgens Ephrem S. Basilium quærit, eúmque in sacra æde concionantem reperit. Unde facilè collegit, Verbum DEI esse cibum illum, quem man-

manducare jussus erat; maximè cùm videret columbam S. Basilio in aurem suggerentem, quidquid in medium proferebat.

Pedag. Christ. p. 2. c. 22. §. 1. n. 5. XXII. S. Ida Sanctimonialis Cistercienfis non infrequenter totam concionem cælesti rore madentem vidit, quamdiu ex suggestu dicebatur, implente scilicet DEO, quod olim petebat Moyses: Concrescat in pluviam doctrina mea: fluat, ut ros, eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.

Prædicatio.

Matt. 7. v. 29. XXIII. Christus prædicabat Verbum DEI ut potestatem habens, erátque sermo illius potestate plenus.

Act. 4. v. 19. XXIV. S. Petrus cùm ipsi & S. Joanni esset à Principibus Sacerdotum prædicatio interdicta, dixit ad eos: Si justum est in conspectu DEI, vos potiùs audire, quàm DEUM, judicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.

1. Cor. 2. v. 12. XXV. S. Paulus de seipso ad Corinthios scribit: Ego, cùm venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi: non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi JESUM Christum, & hunc Crucifixum. Et *2. Cor. 2. v. 17.* iterum: Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes Verbum DEI, sed ex sinceritate, sed sicut ex DEO, coram DEO, in Christo JESU loquimur.

Vita l. 4. c. 4. XXVI. S. Dominicus multas sub concione lachrymas emittebat, unde mirè Auditores commovit, multisque secum lachrymas ex oculis elicuit.

Vita. XXVII. S. Thomas Aquinas multam habebat gratiam in concionibus, in quibus tamen vitabat ea, quæ ad curiositatem potiùs, quàm utilitatem Auditorum pertinere videbantur, ad hominum illorum, quibus concionabatur, captum se accommodans, & acutas, subtiléque disputationes ac quæstiones ad scholas amandans.

Balingh. in praef. ad loc. com. c. 22. XXVIII. S. Petrus Martyr, ut de eo scribit Antonius Balinghem, tanto cum confluxu Populi concionabatur, ut in carruca pictus afferibus clausis fuerit ad cathedram deportandus, ne à Populo, ut antea fieri consueverat, tantopere comprimeretur.

S. Gregor. Naz. orat. 21. q. 2. XXIX. S. Gregorius Nazianzenus per plures sæpe horas disseruit, tanto cum fructu, solatio, & aviditate Auditorum, ut nullum murmur, nulla tussis, nullus screatus audiretur, sed soli frequenter gemitus erumperent.

Raderus in vita. XXX. Venerabilis Beda cùm aliquando ob defectum Auditorum concionem finiret, lapides responderunt: *Amen, venerabilis Pater:* unde hoc nomen ei deinceps constanter datum est.

S. Bonav. c. 8. vit. XXXI. De S. Francisco scribit D. Bonaventura: Erat verbum ejus, quasi ignis ardens, penetrans intima cordis, cùm non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Ejus assidua erat concio: *labor modicus, voluptas æterna: voluptas modica, pœna perpetua: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.*

XXXII. S. Vincentio Ferrerio verba facientè interdum 80000. hominum ad ipsum audiendum confluebant, ita ut sæpe in campis illi prædicandum foret. *Surius in vit.*

XXXIII. S. Antonium de Padua Populus etiam ardente Sole, & stillante pluvia sub dio audiebat; quin & pisces ad illum audiendum littori fluminis Marecchiæ adnatâsse scribuntur. *Fab. con. 2. in Dom. 4. post Pent.*

XXXIV. S. Equinus cùm quidam interrogaret, cur ipse sacris Ordinibus non initiatus concionari præsumeret? respondit, quâdam nocte speciosum Puerum sibi apparuisse, atque in lingua medicinale ferramentum, seu fleubotomum posuisse dicendo: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Ex quo die, etiam, cùm voluero, de DEO tacere non possum. *S. Greg. Dial. l. 1. c. 4.*

XXXV. Fulco de Gandavo, Canonicus apud Insulas, cùm à Jacobo Vitriaco Legato Apostolico rogatus, ut secum Crucem per Flandriam prædicaret, constanter id renuisset, Jacobus rogavit DEUM, ut eum non solùm ad hoc opus, quod spreverat, sed alia etiam omnia inutilem redderet; ad quæ verba mox eum quartana febris invasit, & usque ad finem vitæ per viginti quatuor annos irremediabiliter lecto affixum retinuit. *Cantipr. l. 1. apum. c. 24.*

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius censebat Societatem non posse meliùs innotescere, quàm concionibus bonis. Ajebat autem, Concionatoribus, quæ dicturi sunt, diligenter scribenda, & multò antè præmeditanda esse: nihil temerè asserendum: vitia hominum potiùs modestè castiganda, quàm plausibilia afferenda, quæ aures tantùm delectent. Suarum verò concionum materia erat, vitiorum detestatio, virtutum prædicatio, & ut Peccatores ad cor redirent, & infinitum DEI in se amorem agnoscerent. *H. S. p. 1. l. 16. n. 81.* *Ribad. l. 5. c. 11.*

II. S. Franciscus Xaver. Bononiæ cũ ingenti fructu cõcionabatur. Modus ejus erat, maximus ardor, sententiæ gravissimæ, nullus fucus orationis, totius corporis ad modestiam & humilitatem conformatio, emicans ex ore & oculis pietas, quæ ostendebat, quidquid diceret, ex intimo pectore proficisci: Materia ejus erat amor, timórque Domini. Unde una die in Insula Travancoride decem hominum millia Christianæ fidei amore accendit, Christóque per baptismum genuit. Nec dubitavit Thomas Bozius dicere, plures ab eo per decem annos ad Catholicam fidem adductos, quàm per universos Hæreticos seductos esse. *Vita l. 1. c. 7.* *Bozius l. 6. de sign. Eccl. sign. 20.*

III. Primi decem Patres, dum in diversis Italiæ Civitatibus anno 1537. concionari inciperent, hunc sibi concionandi modum præfixerunt, ut in Auditorum pectoribus studium virtutis ingenerent, & odium acre vitiorum, Decalogi, Ecclesiæq; præcepta diligenter enucleent, *Hist. Soc. p. 1. l. 2. n. 24.*

dicent, & ad ea servanda sempiternis aut Superûm præmiis objiciendis impellant, aut inferorum suppliciis, omninóqoe intelligant, sibi magis agendum ad Populum ardore animi atque oculorum, quàm oratione composita, delectúque verborum.

Vita. l. 2. c. 19.

IV. P. Petrus Faber ajebat, Concionatorem eo Spiritu dicere debere, quo concepit; concipere autem debere ex Spiritu Sancto; sic Christum venisse in templum.

Ib. l. 8. n. 18.

V. P. Jacobus Laynes sæpe octo, novémque Auditorum millia habuit. Una concione de S. Magdalenæ lacrymis octo meretriculas convertit.

Ib. p. 1. l. 4. n. 48.

VI. P. Franciscus Strada Lovanij Metaphysicæ Studiosus, & anoorum viginti quatuor, suggerente materiam P. Petro Fabro, concionabatur præcipuis Theologiæ Doctoribus tanto Spiritûs ardore, ut ubertim illis lacrymæ ex oculis fluxerint. Concurrebant & Feminæ linguæ Latinæ ignaræ, tantùm ut os spectarent agentis, & à sacro illius igne incalescerent. Unde & Brixiæ intra modicum tempus centum & plures Adolescentes, licet ipsemet adhuc Adolescens cócionibus ad varias Religiones perduxit.

Ib. l. 15. n. 93.

VI. P. Basilius Avila cùm Hispali de condonandis injuriis fuisset concionatus, elatis in media oratione clamoribus multi professi sunt eodem in loco se cuncta remittere, hic Patris necem, ille Matris, tertius Filiæ, inimicitias alij inexpiabiles.

Pædagog. Christ. p. 2. c. 22. §. 2.

VII. P. Franciscum Ribetam S. Andreæ Festo concionantem, ingens visus est circummicare splendor, & Christus sereno vultu dicentis inniti humeris, ac velut complexu fovere. Dum ille interim ex multis, quæ in solito fervore dixit, hæc ferventiùs pronunciavit. O admirandam DEI, & S. Literarum dignitatem: nullum habent apicem SS. paginæ, qui non divinis sit plenus mysteriis. Sub hæc pia anima, cui hæc omnia dabatur intueri, Christum dicentem audivit: Hic est, ô Filia, qui germano Scripturas meas sensu, & eâ veritate, quam ipsi infundo, explicat.

Ib. 8.

VIII. P. Joannes Fernandius, cùm jam Senex ob imbecillitatem ad suggestum ducendus esset, inter dicendum ita exardescebat, ut nullus Juvenum eo intentiùs, validiúsque concionaretur.

Vita itinerario præfixa.

IX. P. Sebastianum Barradium DEUS & Natura in Concionatorem formaverat. Status corporis erectus & excelsus, augusta facies, vox sonora, insitus quidam à natura lepor, tantus verò Zelus, ut ab Academicis alter Paulus diceretur. Materia illius erant quatuor novissima, incertitudo salutis, peccatorum detestatio, mundi vanitas. In omni concione sententiam illam: vanitas vanitatum &c. & momentum, unde pendet æternitas &c. inculcabat. Solebant plurimi dicere, vereri se, ne Barradium in die judicij accusatorem habeant. Anno 1592. tot Juvenes nobilissimos suis concionibus in Franciscanorum Cœnobium movit, ut Guardianus diceret, optare se, ut Superiores vel Barradium amoverent, aut eos, qui admitti cuperent in suum Cœnobium, in suam Societatem admitterent. Tanti verò erat vel aspectus illius, ut multi dicerent, plùs se illius aspectu, quàm aliorum comptis concionibus moveri.

Coll. Mer. 1602. ann.

X. P. Joannes de la Placa Hispanus Concionator erat efficacissimus, sine fuco, plenus gravitate & ratiocinationibus, sic ut divites fugerent ejus conciones, ne ad paupertatis amorem persuaderentur. Etsi paucissimos haberet Auditores, æquè concionabatur, quia, inquiebat, S. Angelus Custos, licet tantus cœli Princeps non dedignatur uni tantùm homini assistere, & consilia sua licet sæpe repulsa denuo instillare. Is erat concionis ejus scopus, ut unicuique persuaderet, tutissimam & facillimam ad cælum viam esse, si suum quisque officium perfectissimè impleret.

Vita l. 3. c. 12.

XI. P. Gonsalvus Silveria conciones suas multò magis divina meditando, quàm libros legendo apparabat; longo enim tempore præter Breviarium, Biblia Sacra, & vitas Patrum, alium prorsus non habuit. Christi cruci affixi, & Deiparæ effigies ejus erant præcipui libri; hæc ille volumina maximè volvebat, cùm se ad concionem parabat, unde tam instructus redibat, ut plerumque duas aut tres horas (semel omnino duodecim sine interruptione & tædio Auditorum) perorarer.

Ann. 1608. Prov. Arr. Dom. Prof. Valent.

XII. P. Michaël à Fontibus sæpe jussus est inter unius & alterius horæ spatium concionari; mox ut obediret, ad Christi crucem se prosternens, ex illo libro conciones suas faciebat, & dein ad stuporem dicebat; neque de ardore concionandi remittebat, etsi paucissimos haberet Auditores.

Hist. Soc. p. 1. l. 14. n. 68.

XIII. P. Jo. Baptista Parma, cùm Fontenetti in Parasceve de Christi Passione concionaretur, tantam ipse lacrymarum copiam fudit, ut ex ipsa concione aliquot ex primoribus veriti, ne inter lacrymas & suspiria spiritus & vita eum deficerent, suggestum conscenderint, monituri, ut sibi parceret.

Ibid. l. 7. n. 27.

XIV. P. Ottellus Florentiæ Concionator, etsi nihil in eo pictum, nihil elaboratum esset, sed miserabili voce cachinnos potiùs ab initio moveret; ubi tamen illius fervorem conspexerunt, omnes in lacrymas & lamentabiles voces erupêre.

Hist. Soc. l. 16 n. 57.

XV. P. Antonius Madridius Novitius ita concionabatur, ut Populus diceret, ipsas columnas ejus verbis tremefieri. Is, cùm aliquando conversarum Meretricum inopiam Concioni commendaret, statim quadraginta viri Societatem inivêre, ut resipiscentes feminas singulis diebus in vicem alerent.

Ib. p. 2. l. 8. n. 46.

XVI. P. Joannes Ramirius duas & viginti pellices una concione convertit; in Quadragesima verò ducentis religionem persuasit.

Ib. l. 14. n. 93.

XVII. Bononiæ descenderant aliquando in templum P. Silvester, & P. Palmius. Cúmque ante Eucharistiam orarent, & quilibet alterum concionaturum putaret, monuit tandem Æditius, tempus esse, ut unus ad concionem diceret. Jussit ergo Silvester Palmium ascendere, qui non paruit duntaxat, sed tantos

etiam motus excitavit, ut populus effusè lacrymari cœperit, multique tum viri, tum mulieres se in Monasteria abdiderint.

Ann. Lusit. 1598. Coll. Conimbr. XVIII. P. Ignatius Martinius vir ad miracula usque sanctus, Sebastiani Regis Lusitaniæ Concionatur stupendus, fassus est tamen postea, cùm posito hoc munere Catechismum docere, ægros invisere, diutius contemplari cœpit, omnes illos annos, quibus tam eleganter perorabat, miserè sibi periisse.

Ann. Ven. 1608. XIX. P. Octavius Gondius Concionator admirandus, ante quamvis concionem se, licet debili esset corpore, flagellabat, & per duas horas ante Christi Crucifixi imaginem multis cum lacrymis suam concionem DEO proponebat.

Prov. Rhé. ann. 1607. Mogunt. Coll. XX. P. Conradus Onnekinck solebat conciones suas flexis genibus scribere, quasi à DEO illas excepturus.

Vita. l. 2. f. 191. XXI. P. Petrus Canisius Augustæ in Quadragesima concionaturus nunquam ad dicendum accessit, nisi cum ingenti præmeditatione, multis ad DEUM fusis precibus, & magna corporis afflictatione.

§. VI.
EXEMPLA PROFANA.

Bern. de Busto p. 1. se. Sar. f. 3. I. Saracenus quidam, cùm Florentiæ concionem audiens in lacrymas solveretur, rogatus, cur fleret? respondit: Saracenorum calamitatem, & Christianorum oscitantiam atque ingratitudinem defleo; si namque hæc concio Damasci facta esset in centum millium corona, plures octoginta sex millibus ab errore conversi fuissent.

Eusch. Caf. l. 8. de prad. Evang. Ibid. II. Theodotus, cùm in Tragœdia sententiis S. Scripturæ ad jocos & risum abuteretur, continuò cæcitate percussus est.

III. Theopompus historicus, cùm ex veteri testamento quædam profanæ suæ historiæ ridiculè conaretur inserere, subitò in terram decidens insanire cœpit.

§. VII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Aug. de benedict. Esau & Jacob. I. Sicut pluit Dominus super segetes & spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem, & tamen una est pluvia; sic Verbum DEI omnes compluit, videat quisque, qualem radicem habeat; videat quisque, quò trahat pluviam bonam. Si eam trahit, ut generet spinas, numquid DEI pluvia accusanda est, antequam veniat ad radicem? dulcis est pluvia illa, dulce est Verbum DEI, donec veniat ad cor malum.

Idem ho. 8. in Levit. II. Sicut Medicus ex herbarum, arborum, metallorum venis & succis, vel animantium naturis medicamenta componit, quas tamen antequam in medicinam aptentur, parvi faciunt homines; sic licet Verbum DEI secundùm se vile appareat; si tamen à DEO & ejus ministris Medicinæ loco offeratur, magni æstimandum est.

III. Sicut ex auro uno alii murænas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt; ita ex una Scripturæ sententia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cœlestis Sponsæ proficiunt. *S. Greg. in Regist. l. 2. ep. 101.*

IV. Sicut artificiosæ picturæ cortinis obvelantur, non ut omnino negetur intuitus, sed ut æstimatio concilietur, & desiderium videndi acuatur; sic DEUS Sacram Scripturam cortinis parabolarum & obscuritatis involvit, ad Majestatem ejusdem insinuandam, mentemque lectionis desiderio accendendam. *Fab. conc. 7. in Dom. 3 post Pent. n. 1.*

Necessitas.

V. Sicut Lanæ, ut colorem imbuant, sæpius intingi debent; sic opus est, ut animæ nostræ continuò in sermones divinos intingantur, ut abluamur quidem à veteri opprobrio, induamur autem nova pulchritudine. *S. Chrys. ho. ex div.*

VI. Sicut in bello non omnis, qui pugnat, vincit: nemo tamen vincere potest, nisi pugnaverit; sic non omnes, qui student, & audiunt Verbum DEI, acquirunt scientiam spiritualem, nemo tamen acquirere potest, nisi qui aut Studiosus fuerit ad legendum, vel assiduus ad audiendum. *Idem in Matt. ho. 18.*

VII. Sicut terra pluviis non rigata, etsi infinita susceperit semina, spicas proferre non potest; sic animus divinis Scripturis non irrigatus, etiamsi quis innumera apud eum effundat, fructum nullum proferre potest. *Idem ser. 7 apud Maxim.*

VIII. Sicut formica æstate colligit, unde in hyeme pascatur; sic unusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat Verbum DEI, ut in adversitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine significantur, habeat, unde spiritualiter vivat. *S. Aug. de doct. christ. c. 11.*

IX. Sicut hi, qui in labyrintho sunt, frustra exitum quærunt sine Duce; ita nec innumeros vitæ hujus Mæandros evitare quis potest, nisi per Verbum DEI ducatur. *Feleng. in Psal. 119.*

X. Sicut is, qui in alto mari navigat, semper ad acum nauticam recurrere necesse habet, nisi aberrare velit; ita ne à salutis itinere deflectamus, ad Verbum DEI recurrere oportet. *Fab. conc. 2. in Fer. 3. Pent.*

Utilitas.

XI. Sicut columbæ juxta fluenta residere solent, ut insidiantium avium umbram in aqua videant; sic sancti viri in Scriptura Sacra fraudes Dæmonum prospiciunt, ideóque in illa legenda & meditanda assiduè occupantur. *S. Greg. in Cant. Cant. c. 1.*

XII. Sicut ex thesauro, si quis vel modicum auferre sinatur, magnas tamen parat divitias; ita in brevi licèt S. Scripturæ sententia ingentem frequenter fructum, spiritualésque divitias reportarunt. *S. Chrys. ho. 2. in Gen.*

XIII. Sicut floridum pratum varios & omnigenos flores, & herbas ad sanitatem non parùm conducentes offert; sic S. Scriptura Christi & Sanctorum virtutes nobis proponit, ut & suavem boni exempli odorem inde hauriamus, & per *Idem ho. 42. in Gen.*

& per imitationem, animæ nostræ salutem promoveamus.

Idem ho. 8. in c. 4. Matt. XV. Sicut gladius carnes præcidit; sic & sermo divinus concupiscentias carnales.

Ibid. XVI. Sicut Medicina languenti corpori; sic Verbum DEI prodest animæ ægrotanti.

Idem in c. 7. Matth. XVII. Sicut pluvia irrigat terram, ut fructum proferat; sic Verbum DEI hominem irrigat, ut justitiam operetur.

Idem in diverf. XVIII. Sicut imber in ignem cadens facilè flammas deprimit; ita concupiscentias evanescere facit sermo DEI in animam admissus.

S. Cyrill. in Io. c. 15. XIX. Sicut si quis scintillam in fœnum projiciat, totum fœnum accenditur; ita Verbum DEI in anima receptum, eam totam inflammat.

S. Chrys. ho. 5. in Isaiam. XX. Sicut granum finapi, licet minimum inter femina, si tamen in terram jaciatur, fit maximum; ita Verbum DEI, licet minimum appareat, si tamen in anima debito modo foveatur, in maximos fructus excrescit.

S. Chrys. S. 3. de Laz. XXI. Sicut Artifices per instrumenta artis suæ, quidquid faciendum susceperint, perficiunt; ita & nos per Scripturas divinitus inspiratas, animam nostram depravatam corrigimus, & inveteratam renovamus.

S. Hieron. in ps. 136. XXII. Sicut ramus abscissus, si juxta aquam plantetur, statim virescit; ita si peccator Verbum divinum frequenter audiat, viret ejus anima, & in pœnitentiam convertitur.

Dignitas.

S. Chrysost. ho. 20. in Gen. XXIII. Sicut in Scriptis sæcularibus sæpè vel unam syllabam deesse, plurimùm refert; ita in Scripturis Sacris ne apiculus est vel syllaba, in qua non sit thesaurus, modò attenta mente omnia consulamus.

Idem in c. 7. Matt. XXIV. Sicut Margaritæ inclusæ cochleis positæ sunt in profundo maris; sic mysteria divina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensûs Sacræ Scripturæ.

Jucunditas.

Idem hom. 22. XXV. Sicut vinum, dum bibitur, tristitiam sedat, & cor mutatur in lætitiam; sic & spirituale vinum Scripturarum, dum bibitur, in lætitiam convertit animam.

S. Greg. l. 6. mor. c. 7. XXVI. Sicut manna habuit omne delectamentum; ita, dum electus quisque S. Scripturam utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit.

Auditio.

Fab. conc. 5. in Dom. Sexag. n. 4. XXVII. Sicut in convivio multa fercula apponuntur, nemo tamen cogitur de omnibus comedere, sed ex ijs solùm, quæ magis sapiunt, aut conducunt; ita & in concione multæ sæpe doctrinæ proponuntur, quas tamen non omnes implere necesse est, modò una, alterâve bene applicetur.

Fab. conc. 5. n. 3. XXVIII. Sicut Structores in conviviis non sibi, sed aliis dividunt cibos; ita multi Verbum DEI audientes, non sibi, sed aliis illud applicant.

XXIX. Sicut, cùm Regis leguntur literæ, altum est ubique silentium, & aures eriguntur, ut sciant, quæ regiis literis manifestentur, & quisquis vel parùm tumultuatus fuerit, in magno periculo est; ita multò magis eum magno tremore adstandum est, & altum silentium habendum, & pellendæ cogitationes turbulentæ, ut Verba DEI intelligere possimus, quò DEUS approbatâ obedientiâ nostrâ majoribus nos muneribus remunerari dignetur. *S. Chrys. ho. 14. in Gen.*

XXX. Sicut apes omnibus floribus insident, & melle se onerant; ita quoniam eloquia Domini sunt super mel ori meo, cum magna sollicitudine excipere oportet. *Ibid.*

Prædicatio.

XXXI. Sicut gemma magis fulget, quando annulo inseritur; sic cælestis doctrina voce Prædicatoris à DEO vocati proposita fortiùs lucet ac movet, quàm simpliciter tantùm lecta. *Ibid.*

XXXII. Sicut non est audiendus ulcerosus, cùm in ulcerum purgatione vel ustione reclamat; ita nec Concionatori curanda reproborum oblocutio, cùm salubriter increpantur, sed potiùs ijsdem cum S. Augustino dicere debet: Emendate vitam & mores vestros, & ego emendabo linguam meam. *Fab. conc. 4. in Dom. 11. post Pent. n. 4.*

XXXIII. Sicut Patrisfamilias est, Filiis panem scindere, vel frangere, & non ipsorum Parvulorum, ne seipsos vulnerent; sic non est Laicorum Scripturas exponere, & sibiipsis concionari, sed Pastorum Ecclesiæ. *Idem conc. 7. in Dom. 3. post Pent. n. 4.*

§. VIII.

MOTIVA

Ad Verbum DEI avidè audiendum.

I. Quia frequens & sedula Verbi divini auditio est *signum prædestinationis*: uti sequentibus verbis S. Chrysostomus indicavit: Argumentum mihi est hoc vestri in divinis profectûs, quòd tanta promptitudine quotidiè convenitis, & spirituali doctrinâ expleri non potestis; nam quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis; ita desiderium spiritualis doctrinæ manifestissimum est argumentum animæ bene habentis. Et sicut ignis ceram emollit, & tractabilem facit, atque ad omnium rerum formas recipiendas disponit; ita Spiritus Sanctus habitans in homine, disponit ipsum ad recipiendum Verbum DEI, eique obediendum. *S. Chrysost. hom. 32. in Genes.* *Fab. conc. 3. in Fest. Pent. n. 1.*

II. Quia est *optimum instrumentum ad insignem profectum in sanctitate & perfectione faciendum*: nam, ut rectè S. Chrysostomus advertit, sicut arbor perpetua irrigatione crescit in magnam altitudinem; sic & divinorum eloquiorum doctrinâ assiduè irrigatus, ad virtutis fastigium pervenit. *S. Chrysost. ho. 8. de Anna & Samuele.*

III. Quia est *cibus spiritualis animæ*; uti Christus dixit: Non in solo pane vivit homo; *Matth. 4. v. 4.*

homo, sed in omni verbo, quod exit de ore DEI. Si ergo cibum corporis tanta sollicitudine conquirimus, & quotidie bis aut sæpius sumimus; quantò magis Verbum DEI velut cibus animæ sollicitè quotidie sumendus est, ut animam nutriat, pinguefaciat, & roboret.

IV. *Quia est myrothecion spirituale animæ*; continet quippe diversa balsama, id est, doctrinas aptissimas ad animam in vario genere deliquiorum ex adversitatibus occurrentibus subvenientium roborandam.

Cant. 4. v. 4. V. *Quia est armamentarium spirituale animæ*: de quo Sponsus in Canticis dixit: Sicut turris David collum tuum (per quod procedit Verbum DEI) quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent in ea, omnis armatura fortium. Et Salomon idipsum confirmans, omnis, inquit, sermo DEI ignitus clypeus est, sperantibus in se. *Prov. 30. v. 5.*

§. IX.

MEDIA.

Langius in Polyant. V. eod. I. **P**Uritas conscientiæ: nam quomodo possunt verba DEI dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? inquit rectè S. Augustinus. Certè sicut in magno vase aceti si quis guttam mellis immisceat, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur; sic homini in hac malorum multitudine constituto, si collocutus fueris justitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiscentia mundanarum rerum. Hinc meritò S. Joannes dixit: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex DEO sit. Nam, ut rectè dixit S. Augustinus, bona vita, quæ ex præceptis DEI agitur, tanquam stylus est, quod auditur, scribens in corde. Si in cera scriberetur, facilè deleretur; scribite illud in cordibus vestris, & moribus, & nunquam delebitur. *Jo. 7. v. 17.* *S. Aug. in ps. 32.*

Idem ad Orofium. II. *Oratio*: nam, ut sapienter advertit idem S. Augustinus, sicut Solem non videt oculus, nisi in lumine Solis; sic verum & Dominicum lumen non poterit videre intelligentia, nisi in ipsius lumine, de quo ait Propheta: Domine, in lumine tuo videbimus lumen. Quod confirmans S. Cyprianus, ambulantes, inquit, in tenebris sibimetipsis lumen non possunt ostendere, nisi ultroneum seipsos non videntibus offerat lumen; ita humana cæcitas ad DEUM non dirigit viam, nisi ipse lucernam legis ostendat. S. Chrysostomus quoque calculo suo idipsum confirmans, nihil aut parùm fructus, inquit, capi ex Homilia potest, nisi oratio adjungatur. Porrò sermoni oratio debet anteire, sic Apostoli dicunt: Nos in oratione & sermonis doctrinâ perseverabimus. Sic Paulus facit, cùm in exordiis suarum Epistolarum orat, ut per inde quasi lumen lucernæ, lux ipsa orationis regat fervorem, ac dirigat. *S. Cyprian. de singular. Cleric.* *S. Chrysost. ho. 3. de incompreh. nat. div.*

S. Greg. in moral. III. *Recta intentio*: nam, ut breviter & rectè S. Gregorius dixit, Verba DEI tunc veriùs mens intelligit, cùm in eis semetipsam quærit. Et, ut alius advertit, sicut gladius rectus non intrat in vaginam curvam; ita nec Verbum DEI in os hominis sinistra intentione detortum; non enim in malevolam animam introibit Sapientia. *Fab. conc. 4. in Dom. 4. post Pent. n. 4.*

Lang. in polyanth. V. eod. IV. *Libertas à curis & vanitatibus sæcularibus*: nam sicut pluvia super lapidem cadens, desuper quidē sudare eum facit, ab intus autem siccum relinquit, quia non descendit humor in eum; ita & homini mundiali, quando loqueris Verbum DEI, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures carnales illius, in cor ejus autem nihil descendit, sed & idem medium suadens Origenes, tu, inquit, si Filium tuum scite vis literas liberales, verbi gratiâ, Rhetoricam disciplinam, numquid eum vacuum & liberum esse concedis ab omnibus aliis? omissis cæteris, huic uni studio operam dare jubes? Pædagogos, Magistros, Libros, impensas das? nihilque deesse concedis, quod ad profectum ejus studij faciat? quis nostrum ita se ad divinæ legis studia convertit? *Origen. ho. 21 in Exod.*

V. *Ardens desiderium*: nam, ut S. Hilarius rectè dixit, sicut per os in alimoniam cibos corporis sumimus; ita per cor ad vivificandam animam escas doctrinæ cælestis accipimus, quæ, nisi amplificato & patente corde attracta quodammodo fuerint, non adibunt. *S. Hilar. in psal 118.*

VI. *Sedula Meditatio*: nam, ut sapienter advertit S. Chrysostomus, sicut Lucerna, nisi ei subministraveris oleum, extinguetur; sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis & meditationibus Scripturarum, extinguitur, & non satis illuminat animam. Et, ut S. Augustinus olim similitudine confirmat, sicut thus non redolet, nisi ponatur in igne: nec virtus sinapis sentitur, nisi conteratur in lapide; ita nulla S. Scripturæ sententia vim suam declarat, nisi cocta in corde. Ut adeò verè S. Isidorus dixerit, Quantò magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tantò ex eis uberiorem intelligentiam capit. *S. Chrysost. ho. 52. in c. 24. Math.* *S. Aug. in specul. peccator.* *S. Isid. l. 1. de summo bono.*

VII. *Sollicita inquisitio*: quippe, ut S. Cyrillus ait, probus Auditor ac sapiens, quæ intellexit, nullâ intelligentiâ remoratus, mentis ea thesauro statim commendavit: si qua verò ardua videntur, sæpe ac multùm investigans atque interrogans, tandem assequitur, venaticos canes apprimè imitatur, qui huc atque illuc percurrunt, feras quærentes. Sic affectum esse sapientem propheticus quoque sermo denotat dicens: Conquirens quære, & habita mecum. Quærendum enim semper est, ut apud eum habitemus, & ad alienas sententias non efferamur. Quod ipsum eleganter confirmans Robertus Abbas Tuitiensis, sicut, ait, Jacob luctatus est cum Angelo, in quo DEUS erat, qui & victum se fatebatur; ita luctari debet Verbi DEI amator cum sermone vel Scriptura, in qua DEUS est, quæ ex DEO est, nec dimittere antè, quàm vincat vinci volentem, sensúmque comprehendat utilem in litera jacentem. Lucta enim pulcherrima est, *S. Cyrillus l. 3. in Joan. c. 39.* *Robertus Tuit. l. in Matt.*

tam-

tamdiu perseverare petendo, donec inveniat; pulsando, donec aperiatur; hæc lucta placet DEO, hâc ipse cupit vinci, hâc fortitudine opus est, ut nobis aperiat, & det Spiritum sanctum. Unde S. Augustinus, de manna disserens, quid est hoc? inquit, manna ergo interpretatur, quid est hoc? vide, si non ipsa nominis virtus ad discutiendum te provocat, ut, cùm audieris legem DEI recitari in Ecclesia, semper interroges & dicas Doctoribus; quid est hoc?

S. August. s. 91. de manna.

VIII. *Tribulatio*: quod medium insinuat S. Basilius his verbis: Quemadmodum parvi pueri doctrinam despicientes, ob ferulas, flagellàque, quæ Magistri & Pædagogi adhibere solent, attentiùs dictata suscipiunt, & ipse sermo ante plagas non auditur, post verbera, doloresque, velut statim apertis auribus & auditu excipitur oratio, & memoria custoditur; sic qui divina audiunt præcepta, & ad ea servanda negligenter se habent, postquam à DEO disciplina ipsis inflicta est, ad ipsius mandata servanda, ac ei obtemperandum voce quâdam excitari videntur.

S. Basil. in Prov.

§. X.

ASCETICA.

Philo l. 2. alleger.

I. SEquentia ferè Asceta de Verbo DEI specialiter advertere debet. Primum est, ut necessitatem Verbi divini bene apprehendat, quam quidem sat clarè Philo sequentibus verbis ostendit: Ut vera sanitas, quam nullus morbus præcessit in corpore, à solo DEO largitur quidem, sed ejus liberatio per artem & medicinam, dum finit & d scientia, & Artifice nos juvari in speciem, ipso sanans vel per hæc, vel citra horum operam; sic etiam animæ bona & alimenta largitur DEUS per seipsum; per Verbi autem prædicationem, quidquid ad sanandos animi morbos pertinet.

II. Alterum est, ut certò sibi persuadeat, fructum Verbi divini multùm ab hominis cooperatione pendere, id quod pulchrè Origenes sequentibus verbis ostendit: Videtur mihi unusquisque sermo Divinæ Scripturæ similis esse alicui seminum, cujus natura hæc est, ut, cùm jactum fuerit in terram, regeneratum in spicam, vel in quamcunque aliam generis sui speciem multipliciter diffundatur, & tantò cumulatiùs, quantò vel peritus Agricola plùs seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulserit. Nec tamen propterea terreatur, si fructum non statim adverterit, sed potius doctrinæ ab eodem Origene datæ sit memor: Solent, inquit, Medici interdum præbere cibum aliquem, interdum etiam potum dare, v. g. ad discutiendam caliginem visûs, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed cùm transierit visum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille vel potus profuit oculis. Hoc ergo modo credendum est etiam de Scriptura sancta, quia utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit: quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in iis sermonibus, & pascuntur, & contrariæ torpescunt iis meditationibus, & effugantur.

Origen. hom. 1. in Exod.

Orig. ho. 20. in Iesum Nave.

III. Tertium est, ut sibi præ aliis familiarem esse sacrarum literarum lectionem debere, firmiter persuadeat, eúmque in finem Nautas imitetur, ut S. Chrysostomus suadet, qui, cum procellâ digressi fuerint, & multum deinceps pelagus currentes, in portum decesserint quietum, demittentes vela, deponentes remos, egredientes navem, quieti sese, somno corpus recreantes, robustiores conatus reliquam ad navigationem præparant. Sic ergo & ipsi omni procellâ, tumultúque & fluctibus liberati, quasi tranquillam ad quærendum portum Scripturarum ad lectionem impellamus animas. Id, quod S. Gregorius quoque suasit, dum dixit: Divinas Scripturas sæpiùs lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur in sacris Scripturis, per quas solas plenè potes DEI intelligere voluntatem. Quid autem in hac lectione observari specialiter debeat, pulchrè ostendit S. Hieronymus, dum dixit: Utere lectione divinâ vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando.

S. Chrys. s. 7. de pan.

S. Gregor. in moral.

S. Hier. ep. ad Damas.

IV. Quartum est, ut utilem & solidum sciat modum tractandi S. Scripturam, quem quidem breviter & bene insinuat S. Chrysostomus, dum ait: Agricola, postquam totius vineæ vindemiam peregerit, non priùs desistit, quàm singulos etiam minutos acinos decerpserit. Cùm igitur nunc quoque videam; sub literis velut sub foliis latere sensus occultos, age & hos rursus diligenter amputemus, pro falce sermone utentes. Siquidem vinea post fructus semel à vindemiatore desectos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia; verùm spiritualis Divinarum Scripturarum vinea non item, sed quamvis, quidquid videbatur, sustulerimus, tamen adhuc ampliùs superest tollendum. Itaque complures ante nos disseruerunt in hanc Parabolam, complures fortassis & post nos dissferturi sunt, nemo tamen poterit totas opes eruere; nam ea est hujus opulentiæ natura, quò foderis altiùs, hòc magis exundant divini sensus. Fons enim est nunquam deficiens. Alibi verò iterùm ait: Sicut qui sensibiles thesauros effodere conantur, non in superficie solùm fodiunt, sed in profundum descendunt, penitiores terræ sinus scrutantur, tametsi sæpe post labores & sudores vix paucas portiunculas afferunt. Non sic in spiritualibus, sed labor hîc minor, & major ubertas; ita & nos ad ima descendentes Scripturarum, vim in breviculis verbis latentem investigemus. Item sicut hi, qui in terris metalla fodiunt, ne minima quidem frustra prætereunt, verùm ubi nacti fuerint aliquam venam auream; meatus omnes exactè circumspiciunt; multò magis hoc facere nos oportet in S. Scripturis. Sed nec illud S. Augustini omittendum monitum: Verbi DEI auditor, inquit, similis esse debet animalibus;

S. Chrysost. s. 4. de Laz.

Idē ho. 20. in Genes.

Idem ho. 4. in Esau.

S. August. s. 193 de verâ fide.

libus, quæ ab hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, & non pigeat cogitare, quæ in alvo cordis accipit, &, cùm audit, sit similis edenti: cùm audita in memoriam revocat, sit similis ruminanti.

V. Quintum est, ut de interpretatione S. Scripturarum illas duas doctrinas bene observet, quarum primam offert S. Petrus, dum ait: Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetica Scriptura non sit privatæ interpretationis. Alteram S. Augustinus tradit, dum monet, ut, cùm quis in sacrarum voluminibus literarum, aliquâ velut diversum sonante sententiâ sollicitatur, certâ & inconcussâ fide teneat, nusquam deesse veritatem, etsi non facilè propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit.

2. Petr. 1. v. 20. — *S. August. de prædest. grat.*

VI. Sextum est, ut meminerit, potissimum fructum, quem in Verbi Divini lectione, auditione, & prædicatione quærere quisque debet, esse impletionem Verbi. Sic enim disertè monet S. Chrysostomus, dum ait: Sint Scripturæ Divinæ semper in manibus, & jugiter mente volvantur; nec sufficere tibi putes, mandata DEI memoriâ tenere, & operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias, quidquid didiceris; non enim Auditores legis justi sunt, sed factores. Cui consentiens S. Bernardus, sic, ait, serva Sermonem DEI, quo modo meliùs servare potes cibum corporis tui; nam & ille panis vivus èst, & cibus mentis. Beati, qui custodiunt illud. Ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos.

S. Chrysost. in psal. 95. — *S. Bern. s. 5. de advent.*

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Psal. 77. v. 24.

I. EX occasione thematis: *Panem cæli dedit eis: panem Angelorum manducavit homo:* potest Verbum DEI cum manna comparari. 1. Quia de cælo descendit ut manna. 2. Quia parvum est aspectu, sed magnum efficacia & virtute, ut manna. 3. Quia diversos sapores continet ut manna. 4. Quia diversos habet effectus ut manna; nam aliquibus in salutem, aliis in damnationem cedit, si debito modo non sumatur. Unde tres doctrinæ erui possunt. Prima, ut inde colligatur, quanti Divinum Verbum sit faciendum, tum ob locum, unde venit; tum ob effectus, quos producit non in corpore tantùm ut manna, sed in ipsa etiam anima. Secunda, quòd manè, id est, maturè colligendum sit Verbum Divinum, ne alioqui occasio non sit ampliùs id audiendi, dum vellemus. Tertia, ut quisque tantùm colligat, quantùm pro se, & animabus sibi commissis sufficit; quæ omnia facilè fusiùs & practicè explicari possunt.

Luc. 8. v. 11.

II. Ex occasione thematis: *Semen est Verbum DEI:* potest ostendi, 1. Quàm rectè Verbum DEI semini comparetur, quia verè etiam indiget, ut in terram bonam, id est, ab omni peccato, cura, & sinistro affectu liberam animam projiciatur. 2. Quia perinde ut semen occultari & conservari, & per influxum cæli fertile effici debet. 3. Quia multò magis, quàm semen, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum refert, dum alij affectus & proposita viæ purgativæ, alij illuminativæ, alij unitivæ convenientes ex audito DEI Verbo referunt; de quibus videri potest Faber conc. 1. & 5. in Sexag. fusiùs disserens.

III. Ex occasione thematis: *Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo:* potest Verbum DEI speculo comparari, uti suasit S. Hieronymus, dicens: Utere Divinâ Scriptura vice speculi. Itaque 1. ostendatur, quàm rectè Verbum divinum speculo comparetur, cùm verè sit lucidum, teste Davide, illuminans oculos, & suam cuique faciem animæ ostendens. 2. Quàm libenter & frequenter hoc speculum inspici debeat, cùm totum ferè fundamentum Christianæ perfectionis positum sit in notitia sui, quæ per inspectionem hujus speculi obtinetur. 3. Quo fine & fructu debeat inspici hoc speculum, scilicet, ut, quemadmodum D. Hieronymus monet, fœda corrigantur, pulchra conserventur, & augeantur, quod per aliquos casus & exempla practica facilè ampliùs ostendi potest. *Iac. 1. v. 23.*

IV. Ex occasione thematis: *Simile est regnum calorum grano sinapis:* potest Verbum DEI grano sinapis comparari. Et 1. ostendi, quòd, ut sinapis habeat quidem magnam acrimoniam, magnæ tamen salubritatis sit. 2. Quia licet, ut sinapi, sit contemptibile, magnam tamen habeat efficaciam, cùm illuminet intellectum, roboret mentem, accendat caritatem, præservet à vitiis, provocet ad pœnitentiam, incitet ad virtutem, soletur in adversis; quæ omnia fusè & accommodatè ad efficaciam sinapis ostendit Faber conc. 6. in Dom. 6. post Epiph. 3. Quia ut granum sinapis non habet efficaciam, nisi masticetur, & per seriam considerationem ruminetur. *Matth. 13. v. 31.*

V. Ex occasione thematis: *Et cœperunt simul omnes excusare:* possunt proponi & refutari excusationes, per quas se aliqui ab auditione Verbi eximere volunt. Nempe 1. Quia Concionator non placet; qui refutandi ex similitudine cibi vel potûs, qui, si sapiant, parùm curatur, qualis Coquus aut Hospes sit, qui eum coxit, vel obtulit. 2. Quia ipsa concio non placet, vel quia nimis longa, vel inculta est, vel antiqua inculcat; qui refutentur ostendendo iterum in conviviis, quàm nec longitudo, nec repentina appositio ciborum ab iis absterreat, & famelico quivis cibus sat sapidus existat. 3. Quia ipsimet sibi docti satis videntur; aut nihil retinere possunt; qui refutentur ex eo, quòd, licet docti sint, non tamen sibi applicent; & aqua desuper ex cælo cadens multò meliùs irriget, quàm quæ ex terra ascendens super agros transcurrit. Deinde etsi non omnia retineant, semper tamen aliquid maneat, sicut cùm cibus sumitur, aut aqua per cribrum transfunditur. Videatur hâc de materia fusiùs discurrens Faber them. 2. auct. in Dom. 4. post Pentec. *Luc. 14. v. 18.*

§. XII.

§. XII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

S.Thom. in c.13. Hebr. §. 22.

I. S. Thomas in illud Apostoli: *Perpaucis scripsi vobis:* commentans: Sermones, ait, breves valde accepti sunt; quia si sunt boni, avidiùs audiuntur: si verò mali, parùm gravant.

Plutarch. in Demost.

II. Demosthenes cùm coram Atheniensibus perorans, parùm eos attentos esse adverteret, subitò incepit fabulam de quopiam, qui Asinum conduxerat, &, cùm sub meridiem ob calorem Solis sub asino sedere, & umbram capere vellet, prohibitus est à locatore, eò quòd Asinum, & non umbram conduxisset. Ad quam litem narratam cùm valde attentos videret Auditores, è concione se proripere voluit; illis verò eum retinere cupientibus, &, quâ ratione finitalis foret, edicere jubentibus, his verbis graviter increpitos dimisit: De umbra asini audire cupitis, de Græciæ salute audire non vultis.

S. Hieron.

III. Dicentis laus in fletu sit audientium.

Dignitas.

Nyss f. in 3. Dom. Quadr.

IV. S. Paschasius in illa verba: *Constituerunt ei triginta argenteos:* quærit, cur Judæi triginta argenteos obtulerint Judæ pro Christi venditione? & respondet, eos pro singulis annis, quibus Christus privatim vixit, singulos argenteos constituere voluisse; pro ultimis tribus autem in prædicatione Verbi Divini consumptis nullum obtulisse, eò quòd satis æstimari eos non posse crederent.

V. Regis Chinensis, qui sexaginta sex Regnis imperat, literis tantus honor à Chinensibus exhibetur, ut purpureâ Regis sellâ inclusæ, à quatuor equis regiis, ut Rex ipse portentur, & à satellitibus quoque stipentur; quantò majori honore Verbum DEI excipiendum erit, quod SS. Patres Epistolam DEI vocant. *Engelgr. Sexag. DI. §.1.*

§. XIII.

AUTHORES.

I. Matthias Faber. Dom. Sexag. conc. 1. 5. & 6. Item Dom. 6. post Epiph. conc. 6. Item Dom. 3. post Pent. conc. 7. Item Dom. 4. post Pent. conc. 2. & 4. Item Dom. 4. post Pent. c. 4. Item in Auctario them. 1. in Dom. 6. post Epiph. Item th. 1. & 2. Dom. 4. post Pent.

II. Henricus Engelgrav. p. 1. Luc. Evangel. emblem. 14. in Dom. Sexag.

III. Thomas Stapletonus Dom. Pass. text. 2. Dom. Sex. text. 1. 2. 3. & 8. Dom. 3. Quadr. text. 7. Dom. 4. post Pent. te. 1. Dom. 11. post Pent. te. 2.

IV. Ludovicus Granatensis in locis comm. V. Prædicator. f. 137. & V. Scriptura sacra fol. 769. & V. Auditor verbi. fol. 149.

V. Philippus D'Outreman. in Pœdagogo Christiano p. 2. c. 22.

VI. Josephus Langius. V. eod. & V. Scriptura. in Polyanth.

VII. Laurentius Beyrlinck. in theatro vitæ humanæ. V. eod.

VIII. Antonius Dauroltius in Catechismo historiali. c. 3. tit. 74. 75. & 76.

IX. Joannes Major. in magno Speculo Exempl. V. eod.

TITVLVS XXXVII.

VOLUNTAS PROPRIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Bern. f. 3. de resurr.

EST illa, quæ non est communis cum DEO & Hominibus, sed nostra tantùm; quando quod volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem Fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere DEO, & prodesse Fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Ita S. Bernardus. Quam definitionem fusiùs explicans P. Theophilus Bernardinus sic loquitur: E quibus omnibus jam satis constat, cur id vitiosæ voluntatis genus, propria voluntas dicatur, nempe quia ejusmodi vitiosum in res non consentaneas impetium ipsa sibi sua sponte vendicat, libertate sibi propriâ planè abutens, à rectæ rationis, DEIq; sui lege ac communione discedens, propriámq; atque adeò perversam sibi legem seipsam statuens. Quemadmodum enim, quod mihi proprium est, mei solius est; ita propria voluntas est, quæ solas suas cupiditates, non DEI, non rationis præscripta sequitur.

Theophilus Bernard. l. 2. de persev. relig. c. 17.

Divisio.

II. Dividi potest in *apertam & occultam:* illa est, quando deliberatè & advertenter voluntati DEI, aut rectæ rationi contraria agimus; ista est, quando putamus, nos DEI gloriam, aut aliorum utilitatem quærere, revera autem nosipsos quærimus nam, ut rectè advertit Thomas Kempensis, sæpe videtur esse caritas, & est magis carnalitas, quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis rarò abesse volunt. *l. 1. c. 15. §. 2.*

§. II.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Job. 11. v. 12. I. VIr vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum Onagri se liberum natum putat.

Eph. 2. v. 3. II. In quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus naturâ Filij iræ.

Jer. 2. v. 20. III. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam.

Fuga.

Jo. 5. v. 30. IV. Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.

Gen. 4. v. 7. V. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

Damnum.

Is. 58. v. 3. VI. Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescîsti? ecce in die jejunij vestri reperitur voluntas vestra.

Is. 65. v. 12. VII. Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis; pro eo, quòd vocavi, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis: & quæ nolui, elegistis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Aug. l. 2. de Civit. DEI. I. NEmo quærat efficientem causam voluntatis malæ; non est efficiens, sed deficiens, quia nec effectio, sed defectio est.

Idem de lib. arbitr. II. Cùm se voluntas relicto superiore, ad inferiora convertit, efficitur mala; non quia malum est, quò se convertit, sed quia perversa est ipsa conversio.

S. Thom. opusc. 18. c. 10. III. Quantò aliquid magis naturaliter amatur, tantò perfectius contemnitur propter Christum; nihil enim homini est amabilius libertate propriæ voluntatis; per hanc enim homo est etiam aliorum Dominus; per hanc aliis uti vel frui potest; per hanc etiam actibus suis dominatur. Unde sicut homo dimittens divinas, vel personas conjunctas, eas abnegat; ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse suipsius Dominus est, seipsum abnegare invenitur.

Isaias Abbas orat. 16. de gaud. animæ. IV. Qui voluntatem suam proximo submittit, animum virtutis studiosum ostendit. Qui verò voluntatem suam amplectitur, præsefert imperitiam.

S. Bern. s. 3. de resurr. V. O Domine, voluntas, de qua dixisti, ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? sic & consilium, si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? & bona erant, & ejus erant; neque tamen minùs relinquenda, ob hoc videlicet, ut fierent meliora; neque enim oportebat propria præjudicare communibus.

Fuga.

S. Doroth. s. 19. VI. Coge teipsum in cunctis, & vince, & voluntatem tuam inprimis abscinde; si consueveris voluntatem tuam amputare, habitum indues Christi gratiâ & misericordiâ, quo omnia sine resistentia aut repugnantia perficies, teque in perfectam libertatem asseres.

Cassian. l. 4. c. 43. VII. Audi paucis ordinem, per quem scandere ad perfectionem summam sine ullo labore ac difficultate prævaleas. Principium nostræ salutis, sapientiæq; secundùm Scripturas timor Domini est. De timore nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum: de nuditate humilitas procreatur: de humilitate *mortificatio voluntatum generatur: mortificatione voluntatum extirpantur, & marcescunt vitia universa:* expulsione vitiorum virtutes fructificant, atque succrescunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis Apostolicæ caritatis perfectio possidetur.

B. Climac. apud Iul. Fasiū. c. 12. VIII. Ille profectò sanctus est, qui voluntati propriæ abrenunciavit.

Idem gr. 2. IX. Nemo in cælestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam, & secundam, & tertiam negationem impleverit, ut scilicet primò renunciet rebus omnibus humanis & parentibus: secundò voluntati propriæ; tertiò inani gloriæ, quæ solet obedientiam subsequi.

Cass. coll. 24. c. 26. X. Qui sunt hi violenti, qui regnum cælorum rapiunt? nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam: qui vim faciunt perditioni suæ; perditio autem nostra est oblectatio vitæ præsentis, &, ut expressiùs dicam, executio voluntatum, desideriorúmque nostrorum.

S. Doroth. doctr. 1. XI. Si liberari perfectè volumus, & ab hoc sæculo discedere, oderimus inprimis voluntatem nostram, & sic brevi, divino præsidio ad impassibilitatem animi perveniemus.

S. Diadoch. c. 4. XII. Omnes homines sumus ad imaginem DEI; illud autem ad similitudinem, illorum tantùm est, qui per multam caritatem, libertatem suam DEO in servitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per caritatem reconciliavit.

S. Bern. s. 71. in Cant. XIII. Fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti; hæc enim omnia trahit ad se: pone hanc, & jugum quàm multiplex abjecisti.

Damnum.

Ibid. XIV. Grande malum voluntas propria, quâ fit, ut bona tua tibi bona non sint, quia nihil, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia. Hæc autem omnia, similiáque, ac dissimilia mala ex una radice pullulant propriæ voluntatis.

Ibid. XV. Unde sunt scandala, unde turbatio, nisi quòd propriam sequimur voluntatem, & temerè, quod volumus in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi contingat, aut impediri, continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus.

non

-non attendentes, quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti; & quia nobis casus videtur, sermo quidam DEI est, suam nobis indicans voluntatem. Caveamus igitur à propria voluntate tanquam à vipera pessima, & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

S. Bern. de grat. & lib. arbit. XVI. Qui voluerunt esse sui, utique sicut Dij, scientes bonum & malum, facti sunt non tantùm jam sui, sed & Diaboli. Sanè Diabolo nos mancipat nostra voluntas, non ipsius potestas. Nostra autem voluntas perfecta non erit, quousque suo Creatori perfectè subjecta fuerit. Profectò expedit nobis magis omnino non esse, quàm nostros permanere.

Isaias Ab. orat. 23. XVII. Aperiendi sunt mentis oculi, ut nos ipsi cognoscamus, sciamúsque, DEI inimicum constitui, qui propriam sequitur voluntatem.

S. August. in psal. 70. conc. 2. XVIII. Si quis perversè voluerit imitari DEUM, ut, quomodo DEUS non habet, à quo formetur; non habet, à quo regatur; sic ipse velit sua potestate uti. Hoc Diabolus fecit, imitari DEUM voluit, sed perversè, non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.

Idem de verb. Apost. XIX. Sola voluntate miser quisque efficitur, sed miserior, cùm desiderium malæ voluntatis impletur.

S. Ambros. de vit. beat. XX. Non est, quòd cuiquam nostram adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo nostrûm tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit.

S. Bern. f. 3. de resurr. XXI. Cesset voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim desæviet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? nam propria voluntas DEUM impugnat, & adversus eum extollitur. Ipsa est, quæ Paradisum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, & ditioni Diaboli Mundum subjugat.

Ibid. XXII. Dico fiducialiter: nemini, qui sit in propria voluntate, posset Mundus universus sufficere. Utinam propria voluntas istis foret rebus contenta, nec in ipsum (horribile dictu) desæviret Authorem! Omnino enim vellet, DEUM peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse DEUM, quæ, quantùm in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem esse. Crudelis planè est, & omnino execranda malitia, quæ DEI potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Qui autem vult DEUM esse injustum, vult DEUM non esse DEUM, &, qui desiderat, DEUM non esse, quantùm in se est, DEUM occidit.

Ibid. XXIII. In corde duplex est lepra; propria voluntas, & proprium consilium, lepra utique nimis pessima, eòque perniciosior, quò magis interior.

Ibid. XXIV. Quo furore propria voluntas Dominum Majestatis impugnet, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. Primò namq; seipsum subtrahit, & subducit dominatui ejus, cui tanquam Authori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hâc injuriâ? addit adhuc, &, quod in se est, omnia quoque, quæ DEI sunt, tollit, & eripit.

XXV. Quidquid ex voluntate propria concupiscitur, id alienum est à pietatis cultoribus. *S. Basil. in reg. brev. 74.*

§. IV.
EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. Verè bene doctus est, qui DEI voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit. *l. 1. c. 3. § 6.*

II. Grave est, assueta dimittere, sed gravius est, contra propriam voluntatem ire. *l. 1. c. 11. §. 6.*

III. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, & proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber à sollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit, qui adversetur. *l. 3. c. 27. §. 2.*

IV. Oportet te novum induere hominem, & in alterum virum mutari. Oportet te sæpe agere, quod non vis; & quod vis, oportet relinquere. Propter hoc Natura quandoq; contristabitur, & magnum, si silens portaveris. *l. 3. c. 49. §. 4. & 5.*

V. Vix est aliquid tale, in quo tantundem mori indiges, sicut videre & pati, quæ voluntati tuæ adversa sunt. *Ibid.*

§. V.
EXEMPLA.

Fuga.

I. Christus de seipso dixit: Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. *Io. 6. v. 38.*

II. Idem aliquando S. Gertrudi dixit: Quicunque cupit mei liberam secum commotationem, clavem propriæ voluntatis mihi resignare, nec unquam illam repetere debet. *Blos. c. 11. monil.*

III. Joannes Abbas, cùm rogaretur moriturus, ut verbum aliquod hæreditatis loco relinqueret, dixit: Nunquam feci propriam voluntatem, nec aliquem quicquam docui, quod priùs ipse non fecerim. *Vita PP. lib. 5 libell. 1. n. 10.*

IV. Abbas Joseph Thebæus dixit: Tres ordines sunt honorabiliores in conspectu DEI. Primus est, quando homo infirmatur, & adjiciuntur tentationes, sed cum gratiarum actione suscipit eas. Secundus, quandò aliquis omnia opera sua facit munda coram DEO, nihil habens humanum. Tertius est, quando aliquis sedet in subjectione & præceptis Patris spiritualis, & omnibus propriis renunciat voluntatibus. *Ib. n. 9.*

V. De Abbate Paphnutio scribens Cassianus, & ostendens, quibus viis ad vitæ sanctimoniam pervenerit, ait: Humilitatis & Obedientiæ disciplinâ omnes suas mortificans voluntates, per hanc extinxit omnia vitia, cunctásque virtutes consummavit. *Cassian. coll. 3. c. 1.*

VI. Dositheus S. Dorothei discipulus, quando languere cœpit, audivit à quodam, ova sorbilia multùm conferre his, qui sanguinem exspuunt. Ait ergo Magistro suo Dorotheo: Pater, audivi ova sorbilia conducere ad sanitatem meam, sed rogo te per DEUM, cùm tu non præveneris, ut dares mihi, noli amplius exhi- *Lud. Granat. f. 94. loc. com.*

bere propter animi mei cogitationem, quæ me infestat.

S. Doroth. doct. 19. VII. S. Dorotheus de seipso fassus est, de unaquaque re se libenter consulrare cum proximo, & illius sententiæ suam accommodare, etiamsi contraria & adversa videretur. Nunquam se, quidquid contigisset, voluisse humano sensu discutere, sed cùm pro sua virtute fecisset, omnem postea eventum commisisse DEO; eum enim, qui non habuerit propriam voluntatem, nihil etiam exterius proprium habere, contentum esse quaecunque re, & ita nunquam propriam voluntatem facere, neque velle res sibi evenire ad vota, sed eas velle, ut evenerint.

Damnum.

Spec Exemp. dist. 7. ex. 69. VIII. Quidam Frater ex Ordine S. Augustini post mortem apparens dixit, damnatum se esse, eò quòd voluntati suæ omni tempore sit relictus.

Vita PP. l. 3. n. 150. IX. Quidam Anachoreta coactus à Fratribus Hospitibus horâ non consuetâ comedere, & quæsitus, an non propterea tristis effectus esset? respondit: tunc est mihi tribulatio, quando propriam fecero voluntatem.

Ib lib. 10. n. 62. X. Cùm Abbas Abraham Abbatem Pastorem interrogâsset, quare Dœmones ipsum tantopere impugnarent? respondit Pastor: Non pugnant nobiscum Dœmones, quando voluntates nostras facimus, quia voluntates nostræ Dœmones factæ sunt, & hæ sunt, quæ tribulant nos, ut faciamus eas.

S. Anton. ep. 5. ad Arsenoitas. XI. S. Antonius ad suos Fratres scripsit: Verè Filioli, anima mea phantasma patitur, & spiritus meus in pavore consistit, quòd universi nos velut gurgite immersi sumus, & velut ebrij multo consistimus, cùm unusquisque nostrûm propriâ distrahitur voluntate.

S. August. l. 8. conf. c. 5. XII. S. Augustinus de seipso scribit: Ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lancic. opusc. 10. n. 281. I. S. Ignatius P. Ludovico Gonsalvo dixit, se totum fundamentum ad perfectionem religiosam ponere in mortificatione, & abnegatione propriæ voluntatis, atque adeò magni facere indifferentiam ac probationes societatis, ex quibus de aliis virtutibus, & non ex oratione ferebat sententiam, nisi fortè ex illa, quæ ex his nascebatur.

Vita c. 5. fol. 63. II. P. Balthasar Alvarez in omnibus se resignavit, & obedientiæ subjecit, contemnens suas repugnantias, magnámque gloriam judicans, quòd eas vinceret. Hinc illa quies otiebatur, quâ in officiis etiam vilioribus libenter occupabatur. Expertus autem erat, quòd, quamvis interdum occurreret contrarium ejus, quod obedientia injungebat, parendo tamen, deprehendebat rectius fuisse, quod obedientia præscripserat; ac propterea eam appellabat consilium ac dispositionem DEI.

III. Quidam Provincialis Castellanæ Provinciæ dicebat, quòd, quando ex urbe ad aliquam obedientiæ ordinationem mittebatur, ut huc vel illud determinatè faceret, videbatur sibi cælum aperiri, & cor suum exultare: quando autem sibi dicebatur, ut, quid agendum esset, cogitaret, eligerétque, quod videretur, tunc se in magnis angustiis fuisse. *Ibid.*

IV. P. Franciscus Ribera, cùm P. Martino Guttierio adhuc sæcularis Sacerdos dixisset, se constituisse, recipere sese ad quandam domum suæ patriæ, prope quoddam sacellum B. Virginis, & inde ad conciones habendas prodire, reliquum verò tempus libris scribendis impendere, dixit ei P. Martinus: Domine Doctor, placet hujusmodi decretum, sed attendat, quòd tunc retinet sibi optimum pignus, quod habet, scilicet propriam voluntatem; quæ verba adeò moverunt Riberam, ut statim decreverit, Societati JESU nomen dare, utpote in qua tam præclaram haberet occasionem, voluntatem suam abnegandi. *Ibid. c. 31. fol. 359.*

Vide plura p. 1. Biblioth. manual. V. Obedient. §. 6.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut Servus, qui ad palatium aliquod accesserit, ut tractet supellectilem ministerio Regis deputatam, summâ prudentiâ ac discretione opus habet, ut non juxta suam voluntatem, sed Regis, omnia dispenset; ita & anima, quæ per gratiam & Spiritum DEO servit, non parvâ discretione, & prudentiâ opus habet, ne fallatur in supellectile divina, nempe in ministerio spirituali, habens propriam voluntatem gratiæ non consentientem. *S. Macar. ho. 13.*

Fuga.

II. Sicut Princeps ille, qui experientiâ didicisset, Præfectum à se Famulis constitutum, facilem nimis iisdem esse, neque eos sufficienter in officio continere, utique eo remoto, alium sapientiorem quamprimum substitueret; ita anima, quæ videt, voluntatem suam, quæ reliquas potentias in officio continere debuisset, malè hoc suo officio fungi, meritò eâ remotâ, voluntatem divinam aut Superiorum, pro ea substituit. *Anonym.*

III. Sicut is, cui gratia hæc offerretur, ut pro intellectu suo humano & debili, deinceps Angelicum habere posset, meritò stultus & insanus diceretur, si hanc gratiam recusaret; ita non minus insipiens censebitur, qui, cùm à DEO voluntas divina pro humana offeratur, gratiam hanc omnibus votis exspectandam non acceptat. *Idem.*

IV. Sicut arenea exigua in litore maris ejus fluctus refrenat, ne ultra profundantur; sic amor proprius, & propria voluntas obstat cursui, & flumini divinæ gratiæ, quæ alioquin sine ulla difficultate totum genus humanum traheret ad cælum. *S. Magdal. de Pazz. p. 5. vol. 5. 1.*

Damnum.

Damnum.

S. August. de fide. V. Sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt; ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni, nullatenus bonam poterunt habere voluntatem.

S. Doroth. doct. 19. VI. Sicut obliqua regula etiam ea, quæ recta sunt, inflectit, & vitiat; ita voluntas propria omnes hominis actiones depravat.

§. VIII.
MOTIVA
Ad propriam voluntatem exuendam.

I. **Q**Uia finis hominis, *quatenus creatura* est, hoc requirit; cùm enim, teste S. Anselmo, solius DEI proprium sit, propriam habere voluntatem, id est, quæ nulli subdita sit, facilè apparet, eam creaturæ non convenire; alioqui enim, ut idem Sanctus ait, ad similitudinem DEI per rapinam niteretur, & DEUM propria dignitate & singulari excellentia privaret. (S. Anselm. de incarn. c. 4.)

II. Quia finis hominis, *quatenus homo* est, idem exigit: nam, ut rectè discurrit Theophilus Bernardinus, cùm homo, decernente sapientissimâ DEI providentiâ factus sit, ut ratione regi, & perfici debeat, facilè apparet, summopere illi curandum esse, ut nusquam foràs impunè, ne quidem ad res optimas, ratione non præcedente, voluntas procedat. (Theophilus Bernard. l. 2. de perfect. c. 16.)

III. Quia finis hominis, *quatenus Christianus* est, idem requirit; nam, ut sagaciter S. Cyprianus advertit, si filius obaudivit, ut faceret Patris voluntatem, quantò magis servus obaudire debet, ut faciat DEI voluntatem? Nam teste Salviano, nulli servorum licet ex iis, quæ Dominus suus imperat, eligere pro arbitrio, quid velit facere, quid nolit, & insolentissimâ abusione, quod placuerit, assumere; quod displicuerit, repudiare. Si enim pro arbitrio suo Servi Dominis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obsequuntur. Quando enim Servus ex Domini jussis ea tantùm facit, quæ vult facere, jam non dominicam voluntatem implet, sed suam. (S. Cyprian. f. 6. in expos. orat. Domin. Salvian. l. 1. de provid.)

IV. Quia finis hominis, *quatenus Religiosus*, aut alio titulo ad perfectionem sectandam obligatus est, hanc voluntatis propriæ abnegationem exigit; uti sat clarè indicat Cassianus, dum ait, communem olim fuisse inter Seniores Ascetas persuasionem, eos duntaxat ascendere posse summa perfectionis culmina, qui didicerunt suas vincere voluntates, & studiosè in his, quæ animo contraria sunt, fuerint exercitati. Et nullatenus posse eum, itam, aut tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, nec retinere veram cordis humilitatem, & cum Fratribus perpetuam concordiam, & diutiùs in cœnobio permanere, qui priùs voluntates suas non didicerit superare. (Cass. l. 4. de instit. c. 8.)

§. IX.
MEDIA.

I. **C**Hristi exemplum sæpe ob oculos ponere, illisque pij Ascetæ verbis alloquentem imaginari: Quid magnum, si tu, qui pulvis es, & nihil, propter DEUM te homini subdis, quando ego Omnipotens & Altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te humiliter subjeci? Factus sum omnium humillimus & infimus, ut tuam superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare, pulvis. Disce te humiliare, terra & limus, & sub omniū pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere, & ad omnem subjectionem te dare. (l. 3. c. 13. § 2.)

II. *DEI Majestatem & Potestatem ponderare*: ita S. Augustinus suasit, dicens: Aliquid proprium velle, difficile est, ut tibi non contingat; sed statim cogita, quid sit supra te; illum supra te, te infra illum: illum Creatorem, te Creaturam; illum Dominum, te Servum: illum Omnipotentem, te Infirmum; & corrigens te, subjungensq; voluntati ejus, ac dicens: Verùm, non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. (S. August. in Ps. 32.)

III. *Virtutis studium*: nam, ut Christus S. Catharinæ Senensi dixit, virtutes intrinsecæ demonstrant voluntatem esse mortuam, & perpetuò se occidere in sensualitate, ex affectu amoris virtutis. (Dial. c. 9.)

IV. *Mortificatio sensuum*: sic enim S. Dorotheus indicavit, dicens: Nihil adeò hominem adjuvat ad hoc, quàm sensus suos odisse. Et id ipsum confirmans S. Bernardus, oculus, inquit, janua cordis est, & nuncius; claude oculum, & voluntas habendi non erit; cesset voluntas, & ecce infernus clauditur. (S. Doroth. doctr. 1. S. Bern. hom. 51. ad FF. in Erem.)

V. *Exercitium continuum abnegandæ voluntatis*: sicut enim Citharœdus tamdiu trahit, intendit, aut remittit fides citharæ, dum assonent; ita qui totum se dedere cupit in arbitratum DEI, tamdiu necesse est, voluntatem suam exerceat, subigat, astringat, dum obsequatur. (Drexel. l. 4. Heliotrop. c. 3. § 1.)

VI. *Contemnere Mundi gloriam*: ita enim S. Dorotheus indicavit, dicens, eum, qui non contempserit Mundi gloriam, & corporis quietem, & justitiæ denique opinionem, haud posse unquam propriam voluntatem à se removere. (S. Doroth. doctr. 12.)

§. X.
ASCETICA.

I. **Q**Uinque præcipuè sunt, quæ de hac materia bene nôsse, & observare debet Asceta. Primum est, ut sciat gradus, qui in hac renunciatione voluntatis à S. Bonaventura assignantur, quorum primus est, resistere vitiis, qui est status continentium. Secundus est, passionibus imperare, & pace frui. Tertius, DEO adhærere & uniri, quando jam virtutes transeunt in affectum cordis. (S. Bonav. tr. de reform. p. 1. c. 12.)

II. Alterum est, ut sciat praxin hujus abrenunciationis, de qua breviter & bene discurrit Gerson, dum ait: Pro quâdam regula generali tenendum, ut omnia, ad quæ voluntas cum quodam (Gerson. l. contr. pusill.)

quodam impetu & vehementia, sine prævia deliberatione inclinatur, quantumcunque appareant bona, habeantur suspecta, quia communiter sunt motus sensualitatis & passionum, quibus hostis antiquus persæpe se immiscet. *S. Doroth. doctr. 1.* Clariùs verò & fusiùs S. Dorotheus, nec quisque, ait, difficile hoc putet, & arduum, cùm brevi compendio ac spatio, quis seipsum possit, si velit, decies abnegare. Quod quo pacto fiat, edocebo. Obambolat aliquis, & quidpiam conspicatus, persuadetur à cogitatione, ut id advertat; at is cogitationi, & non bonæ persuasioni repugnat, seseque avertit. Rursum invenit quis nugis & variis rumoribus occupatos, persuadet, ut se quoque turbæ immisceat, & verba pariter inserat, id negat se facturum, & aversus aliò, propriam voluntatem abscindit. Item succurrit illi, ut cocum adeat, interrogetque, quid paret obsonij, non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culina, quis illud attulerit, sollicitatur interrogare, comprimit appetitum, & vocem, & nihil percunctatur. Sicque, dum parva quæque præscindit, sensim quæcunque advenientia præscindere assuescit, & jam summa cum requie nihil præter voluntatem suam sentit se habere, &, quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua evenisset. Qui enim proprium nihil habet, aut vult, quidquid factum fuerit, id proprium putat.

S. Bonav. c. 4. de remed. defect. III. Tertium est, ut, quemadmodum S. Bonaventura monet, etiam in indifferentibus alterius potiùs voluntatem, quàm suam sequi studeat; imò semper in exterioribus actionibus, aliorum beneplacita affectans, cum omni vigilantia in licitis adimplere studeat.

IV. Quartum est, ut necessitatem hujus abrenunciationis bene apprehendat, quâ in re *Vita PP.* proderit notâsse, quod in vitis Patrum in hæc verba legitur; Apud antiqoos Monachos docetur aliquis primitùs suas frangere voluntates; pronunciant enim, nullatenus Monachum prævalere posse iræ, vel tristitiæ, vel spiritui fornicationis, nisi priùs didicerit per obedientiam suas mortificare voluntates; sed nec humilitatem quidem cordis veram, nec cum Fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in Monasterio diutius permanere eum, qui vo*Surius 1. Ian.*luntates suas non didicerit superare. Hinc S. Fulgentius Episcopus dicere solebat, illos esse veros Monachos, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, vel nolle, sed Abbatis tantùm consilia vel præcepta servare. Et Christus S. Birgittæ quondam dixit: Via, quæ ducit ad amorem meum, est perfecta abjectio & abnegatio propriæ voluntatis, quando homo considerata passione & caritate mea non curat facere voluntatem suam, & resistit totis viribus, & conatur semper ad majora.

Blos. c. 8. de instit. spirit. V. Quintum est, ut cognoscat, quàm DEO grata, ipsique operanti meritoria sit hæc abrenunciatio, id quod breviter sequentibus verbis docuit Blosius: Nihil DEO gratius offerri potest, abnegatione propriæ voluntatis, quia nihil est carius homini, ipsâ voluntate, & arbitrij libertate. Quando quis propter DEUM sensualitati, voluntatique propriæ, etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi DEO magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam revocaret.

§. XI.

MISCELLANEA.

Fuga.

I. Dixerunt quidam Senes: Si videris juvenem voluntate propriâ ascendere ad cælum, tene pedes ejus, & projice eum in terram, quia non ita expedit ei. *Vita PP. l. 5. libell. 10. n. 111.*

II. Rogatus quidam Senex, quænam esset angusta via ad cælum? respondit, angusta & arcta via hæc est, ut cogitationibus suis homo violentiam faciat, & abscindat propter DEUM voluntates suas; hoc enim est scriptum de Apostolis: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Ibid. libell. 11.*

III. Quâ ratione voluntas propria abneganda sit, pulchrè ostendit Abbas Pinufius, dicens: Sed fortè dicas: quomodo potest homo crucem suam portare? vel quemadmodum vivens quis potest esse crucifixus? audi rationem breviter: Crux nostra timor Domini est; sicut ergo Crucifixus jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi, vel convertendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundùm id, quod nobis suave est, & delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quâ nos ille constrinxerit, applicare debemus. *Cass. l. 4. c. 35.*

IV. Abbas Joannes ajebat, finem Monachi esse omnes suas crucifigere, & mortificare voluntates. *Ibid. coll. 9. c. 8.*

V. S. Catharinæ Senensi dixit DEUS: Si peteres à me, qui sunt isti? tibi responderem: ipsi sunt alter ego, quia sponte perdiderunt, & abnegârunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, & uniti, & in omnibus eâ induti. *Dial. c. 8.*

VI. Aliàs eidem dixit: Dico tibi, & Patri animæ tuæ, quem dedi tibi super terram, ut viriliter toleretis ea, quæ conceduntur vobis, omni voluntate propriâ sensitivâ perempta; hâc enim ratione omnes virtutes acquiruntur. *Ibid. c. 4.*

VII. Taulerus dicere solebat; Omnem diem amissam credite, quo DEI amore propriam non fregistis voluntatem. *Tauler. ep. 8.*

Damnum.

VIII. S. Antonius dixit: Maligni spiritus cognoscunt, se inter Filios Diaboli esse reputatos propterea, quòd conantur unicuique nostrûm propriam ingerere voluntatem. *S. Anton. ep. 2 ad Arsen.*

IX. S. Maria Magdalena de Pazzis in quodam raptu exclamans dicebat: ab amore proprio & propria voluntate impeditur flumen divinæ gratiæ tanquam aggeribus quibusdam, ne adeò se excommunicet, & expandat, & redundet in animas, uti DEUS faceret, si hæ impedimenta abessent. *Vita p. 3. § 1.*

X. Ma-

Drex. in Helist. l.4.c.1.§.3. X. Marius Septimus Romanus Imperator, uno die factus est Imperator, altero regnavit, tertio à gregario milite interfectus est, qui, dum ficam in pectus ei adegit, hæc verba addidit: Hic est gladius, quem ipse fecisti. Idem olim dicet DEUS, voluntatis propriæ sectatoribus.

S. Doroth. f. 3. XI. Abbas Pastor dicebat: Ferreus murus est propria voluntas, à DEO nos sejungens & separans.

Blos. c. 10. monil. spir. XII. Christus cuidam Virgini dixit: Volo te nôsse, quòd omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt; quia si voluntas esset ordinata, & concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœnâ.

Vita PP. l. 5. libell. 7. c. 25. n. 4. XIII. Cùm quidam Frater ex Abbate Achille quæsivisset, quemadmodum adversus homines pugnent Dœmones? respondit Senex: per voluntates nostras. Et adjecit: Ligna Libani dixerunt: Quàm grandia nos sumus, & alta, & minimo ferro incidimur. Nihil ergo ei demus ex nobis, & non poterit incidere. Venerunt ergo homines, & fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, & ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ, securis Diabolus, manubrium voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur.

§. XII.

AUTHORES.

I. Franciscus Arrias de Mortif. c. 11.

II. Bernardinus Rosignolus l. 2. de discipl. Christ. c. 29.

III. Hieremias Drexelius in Heliotropio l. 4. toto.

IV. Theophilus Bernardinus l. 2. de persev. c. 15. 16. & 17.

V. Nicolaus Lancizius opusc. 10. c. 14.

VI. Julius Farius de mortif. c. 11.

VII. Joannes Busæus in Panario V. eodem.

VIII. Josephus Langius in Polyanthæo V. eodem.

IX. Hadrianus Lyræus l. 1. apopht. S. Ignatij apoph. 12.

X. Ludovicus Granatensis loc. comm. fol. 93.

XI. Laurentius Beyerlinck in theatro Vitæ hum. V. eodem.

TITVLVS XXXVIII.

VOLUPTAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Cicero l. 2. de finib. EST juxta Ciceronem, jucundus motus in sensu. Vel juxta alios, quies vitalis naturalis in bono congruenti adepto. Unde tria ad illam requiruntur. 1. Ut adsit adeptio vel conjunctio boni, saltem putata. 2. Ut bonum id sit congruens & proportionatum animæ appetenti; hinc enim varios varia delectant, quia non omnibus eadem proportionantur. 3. Ut cognoscatur bonum, & congruum esse; si enim alterutrum lateat, non erit vera voluptas. Unde Aristoteles dixit: Est voluptate affici, aut dolere, nihil aliud, nisi partem eam animi, quæ sensus est particeps, ad bonum aut malum, ad alia ejusdem generis convertere, & adhibere: in quo quidem & declinationis, & appetitionis usus cernitur. *Aristot. l. 3. de anim. c. 7.*

Divisio.

II. Dividitur in *spiritualem*, & *carnalem* seu *corpoream*; illa est, quæ ex objecto solis animæ viribus spiritualibus perceptibili hauritur; ista est, quæ à potentiis animæ externis percipitur; de quibus Apostolus dixit: Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI; Stultitia enim est illi. *1 Cor. 2. v. 14.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. DIxi in corde meo: Vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi, quòd hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: quid frustra deciperis? *Eccl. 2. v. 1.*

II. Aufer iram à corde tuo, & amove malitiam à carne tua; adolescentia enim & voluptas vana sunt. *Eccl. 11. v. 10.*

III. Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ instar puncti. *Iob. 20. v. 5.*

Fuga.

IV. Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini JESUM Christum. *Rom. 13. v. 13.*

V. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui, cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. *Eccl. 11. v. 8.*

Damnum.

VI. Quantùm in delicijs fuit, tantùm illi date tormentum. *Apoc. 18. v. 7.*

VII. Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum Organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Iob. 21. v. 12.*

VIII. Væ vobis, qui videtis, quia lugebitis, & flebitis. *Luc. 6. v. 25.*

IX. Vidua (& quivis alius homo) quæ in delicijs est, vivens mortua est. *1. Tim. 5. v. 6.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Hier. ep. ad Damas. I. SEmper voluptas famem sui habet, & transacta non satiat.

S. Ambros. sup. Luc. c. 6. II. Nihil prodigæ satis est voluptati. Semper famem sui patitur, quæ alimentis perpetuis nescit impleri.

Idem Ep. ad Sabin. III. Non immeritò sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudine; prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus incedens, aut ullis elevatis cruribus, sed sinuoso flexu totius vel corporis sui lubrica. Ei terra cibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit cælestem. Corporalibus enim pascitur, & in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus unusquisque se eviscerat luxuriosus, helluo internecat, abligurritor perimit. Quantos tuperunt vina? dissolvit ebrietas? distendit cruditas?

S. Aug. s. 5. de verb. Apost. IV. Felix anima, quæ bujusmodi delectationibus delectatur, uti turpitudine nulla inquinatur, & veritatis serenitate purgatur.

Damnum.

S. Ambros. l. 6. ep. 42. V. Voluptas est veluti quidam hamus Diaboli, ad perniciem nos trahens. Voluptas mater est peccati, peccatum autem stimulus mortis. Voluptas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus quidem demulcet fruentem, ac postea felle amariores retributiones facit.

S. Chrysost. ho. 71. VI. Nihil Dœmoni tam gratum, quàm deliciæ sunt & ebrietas, quoniam omnium fons est malorum & genitrix. Per hanc Israëlitas demum in idolorum cultum præcipitavit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Per hanc alios perdidit innumeros, & gehennæ tradidit. Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores; porcus enim involvitur cœno, & stercore pascitur; hic abominabili magis mensâ veicitur, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores.

S. Basil. in Ps 13. VII. Oblectatio corporeæ voluptatis plus doloris habet, quàm jucunditatis. Nuptiæ enim sæpe steriles sunt, viduitates continent, & stupra; agricultura sterilitatem, mercatura naufragia, divitiæ insidias patiuntur, sed & deliciæ & satietas, & continens voluptatum fruitio multos ac varios secum trahunt morbos, ac affectionum varia genera.

Idem in ho. de leg. lib. Gen. VIII. Est totum corpus castigandum, ac feræ cujusdam instar cohibendum, & ab ipso adversus animam tumultus orientes ratione, veluti flagello compescendi, ne frenum voluptatis omnino laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus miserè rapiatur; ac inter cætera Pythagoræ meminisse oportet, qui videns quendam se cibis lautè curantem & saginantem. Heus inquit, miser, non desinis continuò duriorem tibi carcerem præparare.

S. Isid. de sum. IX. Licet sæpe in medio carnalium DEUS protegat vitam Electorum, tamen satis rarum est, ut quisque inter sæculi voluptates positus, à vitiis maneat illibatus, in quibus etsi non citò implicetur, aliquando tamen attrahitur; nec enim diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus.

X. Omnia flumina intrant in mare. Quid est igitur flumina intrare in mare, nisi omnem carnalem delectationem terminari in amaritudine? Omne ergo flumen mare intrat, quia extrema gaudij luctus occupat. *Rich. de S. Vict. p. 2. de stat. inter. hom. c. 10.*

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. O Quàm breves, quàm falsæ, quàm inordinatæ & turpes sunt omnes voluptates! *l. 1. c. 22. § 4.*

II. Verumtamen præ ebrietate & cæcitate non intelligunt, sed velut muta animalia, propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum, mortem animæ incurrunt. *Ibid.*

III. Sed & cùm adhuc vivunt, non sine amaritudine & tædio, ac timore in eis quiescunt; ex eadem namque re, unde sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Justè illis fit, ut, quia inordinatè delectationes quærunt, & sequuntur, non sine confusione & amaritudine eas expleant. *Ib. § 3.*

IV. Si veraciter vis delectari, & abundantiùs à me consolari, ecce in contemptu omnium mundanorum, & in abscissione omnium infimarum delectationum, erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio. Et quantò plùs te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tantò in me suaviores & potentiores consolationes invenies. *Ib. § 5.*

§. V.

EXEMPLA.

Qualitas.

I. SAlomon de seipso fatetur: Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram, & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cùmque convertissem me ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole. *Eccles. 2. v. 11.*

II. Carolus Imperator, cùm Bruxellis regnum universum in Philippum Filium transferret, coram toto Senatu non sine lacrymis testatus est, se toto vitæ decursu quantumvis prospero, ne ad unum quidem horæ quadrantem, puram, meràmque habuisse lætitiam, sed semper curis, doloribus & angoribus, velut voluptatum ac victoriarum umbris anxium & divexatum fuisse. *Engelgr. in Dō Palm. § 1.*

Damnum.

III. S. Petrus Damiani scribit, Ducis Venetarum uxorem, quæ erat Constantinopolitana, tam delicatè vixisse, ut etiam communibus aquis se dedignaretur abluere, sed ejus servi *S. Petrus Dam l. 7. ep 19.*

rorem

rorem cæli undique colligere deberent, ex quo laboriosum satis balneum sibi procurarent. Cibos quoque suis manibus non tangebat, sed ab Eunuchis alimenta quæque in minuta concidebantur frusta, quæ mox illa fuscinulis aureis atque bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Ejus porro cubiculum tot thymiamatum, aromatúmque generibus redolebat, ut & vobis narrare dedecus fatear, & auditor fortè non credat. Sed omnipotenti DEO, quantum hujus feminæ exosa fuerit superbia, manifesta docuit ulciscendo censura. Vibrato quippe super eam divini mucrone judicii, corpus ejus omne computruit, ita ut membra corporis undique cuncta marcescerent, totúmque cubiculum intolerabili fœtore complerent; nec quisquam tantam perferre narium injuriam potuit; vix una ancilla non sine speciei redolentis auxilio in ejus obsequij sedulitate permansit. Eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abscedebat: diutiùs enim hoc languore decocta, & miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus diem clausit extremum. Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro; quódque perhibet mortua, testetur & viva.

Cromerus l. 16. IV. Wenceslaus Imperator, Bohemiæ Rex, totum se compotationibus, lusibus & nequitiæ dederat. Cùm de arcis cujusdam suæ conflagratione nuntium accepisset, interrogasse dicitur, an cella vinaria incendio superesset. Unde primùm à Progenitibus civibus captus, & tandem ab Electoribus imperio dejectus est.

§. VI.
EXEMPLA PROFANA.

Valer. l. 9. c. 1. I. CAmpani usque adeò deliciis dediti erant, ut, cùm se Hannibali dedidissent, exercitum illius ita corruperint, ut Hannibal fateretur, se viros in Campaniam duxisse, feminas eduxisse.

Diod. l. 2. c. 6. II. Ninyas Nini & Semiramis Filius, per omne vitæ tempus reclusus in Regia, inter pellices & Eunuchos, otium & delicias secutus vixit, existimans summam felicitatem esse, in continuis versari voluptatibus, & à curis vacuum esse. Id quod & cæteri Reges usque ad Sardanapalum fecerunt.

Ibid. c. 7. III. Sardanapalus vitam prorsus muliebrem duxit, ita ut vestibus earum etiam indueretur, & fuco muliebri faciem ornaret, femineam vocem imitaretur, & cum eis lanam texeret. Unde tandem in urbe Nino obsessus, quadringentorum pedum pyram exstruxit, centum & quinquaginta aureos thoros illi, totidémque mensas aureas imponi, secúmque in lectis pellices secum decumbere, & tandem, ubi etiam auri mille myriades, & argenti decem millia myriadum talentorum, vestésque purpureas & aureas secum intulisset, pyram incendi jussit, quo incendio ipse & omnia alia perierunt.

Beyrlinck in theatr. V. eodem. IV. Alexander Magnus, victo Dario adeò corruptus erat, ut milites ipsi faterentur, plùs esse tam celebri victoriâ amissum, quàm quæsitum; neque enim ab illo tempore quidquam suo nomine, & Heroë dignum gessit.

Ibid. ex Sueton. V. Caligula in odoribus lavabatur, citreo ligno naves ædificabat, iisque circum Campaniæ litora, inter Cantores & Scorta navigabat, cibos maceratis margaritis condiebat, aureo pane, & piscibus mensas instruebat.

§. VII.
SIMILITUDINES.
Qualitas.

Plutarch. in moral. I. SIcut imperitus Jaculator fateri cogitur, se inanem operam consumpsisse, dum Scopum non attigit; ita illi, qui omnes suas curas ad voluptatem dirigunt, omnem beatitudinis spem amittunt, quia à Scopo hominibus proposito procul aberrârunt.

Ibid. II. Sicut ij, qui in carcere sunt, unde nullum ampliùs effugium sperare possunt, nihilominùs interdum ludunt tesseris; ita scelerati, licet jam sint Captivi Diaboli, voluptatibus tamen vacare sinuntur.

Senec. l. 1. de tranquill. anim. c. 2. III. Sicut, qui feras venantur, omnia negotia, curásque seponunt; ita qui voluptates sectantur, omnibus aliis curis sepositis, in id unum incumbunt, ut desideratis voluptatibus fruantur.

Damnum.

Ibidem. IV. Sicut ulcera quædam nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum scabiem delectat, quidquid exasperat; ita animum plerumque ad tempus delectant, quæ graviter postea cruciabunt.

S. Basil. in Psalm. 1. V. Sicut ij, qui in cœno, sese abvolvunt, continuò sibi lutum augent; sic qui in voluptates facilè ruunt, fœditatem ex voluptate singulis diebus sibi accumulant.

Lang. in Polyanth. V. eod. VI. Sicut Piscator hamo capit pisces; sic Diabolus homines voluptate.

S. Aug. ep. 36. VII. Sicut pilulæ inauratæ pretiosa alimenta mentiuntur, sed, postquam sumpta sunt, ventrem amaritudine replent; ita voluptates hujus mundi, quemadmodum S. Augustinus notavit, asperitatem habent veram, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam delectationem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.

Engelgr in Dom. Pal. §. 1. VIII. Sicut in Musica soni graves acutis temperantur; ita DEUS prospera & voluptates adversitatibus & tristitiis miscet.

Staplet. tr. 3. in Dom. Sept. IX. Sicut aqua licet ex natura sua ad restringuendum ignem apta sit, si tamen in fornacem accensam injiciatur, vehementiùs ignem incendit; ita Spiritus in carnem versus, ipsam carnem magis inflammat, licet alioqui sit oppositus carni.

Ibid. X. Sicut pisces, quamdiu inventâ in hamo escâ pascuntur, nihil doloris sentiunt; at ubi Piscator fallacia fila in sublime attollit, sentiunt aculeum; ita qui voluptates sectantur, quamdiu illis fruuntur, jucundas putant, sed ubi mors hamum attrahet, amaras sentient.

Ibid. XI. Sicut avis in area liberè appositâ escâ fruitur; sed, ubi avolare nititur, visco aut laqueis se implicatam advertit; ita idipsum voluptuosi olim cum gemitu sentient.

XII. Sicut

Ibid. XII. Sicut is, qui vilissimis cibis repletus est, etiamsi ad splendidam mensam sedeat, nullo ciborum desiderio tangitur; ita terrenis voluptatibus repleti cælestes delicias fastidiunt.

Ibid. XIII. Sicut lignum viride non tantùm ab igne subjecto non accenditur, sed potiùs eundem extinguit; sic voluptuosi à Verbo divino adeò non accenduntur, ut potiùs suffocent illud.

Ibid. XIV. Sicut Simia suam deformitatem in speculo videns, illud confringit; ita voluptatibus dediti, dum suam deformitatem in salutaribus admonitionibus vident, easdem omnino contemnunt.

Ibid. XV. Sicut Mercator, ut decipiat emptorem, non finem, sed initium panni ostendit; ita Diabolus, ut voluptuosos decipiat, initium delectationum, non exitum ostendit.

Ibid. XVI. Sicut Latrones iis, quos apertâ vi non possunt vincere, in opacis locis insidiantur; ita Diabolus, quos alioqui inexpugnabiles advertit, in mundanarum voluptatum umbras perducere, perimereque conatur.

Thriverus apoph. 34. XVII. Sicut canis Æsopicus, dum umbræ carnis insidiatus est, veram carnem amisit; ita qui falsas voluptates sectantur, veras amittunt.

Beyrlinck in festo S. Laurent. to. 1. XVIII. Sicut Muscæ, dum succo dulciori pascuntur, jam Saturæ tenaci liquori adhærent, & à volatu impeditæ in interitum ruunt; ita voluptates fallaci sua dulcedine sectatores suos alliciunt, & in exitium trahunt.

§. VIII.

MOTIVA.

Ad fugiendam Voluptatem.

Ps. 4. v. 3. I. *Falsitas:* de qua S. David dixit: Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et meritò, cùm enim vera voluptas sit quies animæ, quies autem non nisi in possessione finis ultimi consistat, finis verò ultimus hominis sit amor & possessio DEI, facilè apparet, veram voluptatem non nisi ex iis, quæ ad DEUM possidendum ordinantur, reperiri.

Eccles. 2. II. *Vanitas:* de qua clarum testimonium dedit Salomon, qui, cùm non prohibuisset cor suum, quin *omni* voluptate frueretur, fassus tamen est, se in his omnibus, nil nisi vanitatem reperisse.

III. *Brevitas:* nam diu durare non potest, quod in transitorio & fugaci objecto fundatur; quid autem sunt res omnes extra DEUM, nisi transitoriæ; hinc meritò natum axioma: momentaneum, quod delectat: *æternum*, quod cruciat

Osea 9. v. 10. IV. *Foeditas:* quid enim fœdius, quàm quod fœdissimis bestiis similem facit; hoc autem voluptas facit; hinc, teste Osea, facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. Quid vilius & turpius stercore? atqui turpior est voluptas, quæ à gratia rejicitur, & fœndissimum de se odorem emittit, ut adeò rectè S. Paulus dixerit, se omnia, ex quibus ejusmodi voluptas capi potest, ut stercora arbitratum esse.

S. Aug. l. 6. conf. c. 6. V. *Nocendi vis:* quam præ reliquis expertus S. Augustinus, fatebatur, se in iis expertum esse amaritudines difficultates, conformiter scilicet minis à Jeremia intentatis: scito, & vide, *Ier. 2. v. 19.* quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum.

§. IX.

MEDIA.

S. Chrys. ho. 12. to. 4. I. CONsideratio supradictorum motivorum: inde enim generosus contemptus concipietur, facileque fugabitur voluptas, ut quæ, teste S. Chrysostomo, canis instar, si pellitur, fugit: si fovetur, & nutritur, permanet.

Aristot. apud Lang. in polyant. f. 1238. II. *Consideratio exitûs:* uti jam olim admonuit Aristoteles, dum voluptates ut abeuntes, non ut venientes contemplari jubebat; eò quòd venientes blanda specie & fucatâ blandiantur, abeuntes autem dolorem ac pœnitentiam relinquant.

III. *Consideratio Sanctorum tam generosè voluptates spernentium:* nam non solent homines desiderare, quæ optimus quisque contemnit; tantò magis admirandum, quòd omnes ad voluptates ferimur, quas sapientissimus quisque fugit.

S. Chrys. hom. 21. ad pop. antioch. IV. *Consideratio gehennæ:* sic S. Chrysostomus suasit, dum dixit: Non decipiamus nosipsos. Detur enim, quòd per totam vitam nostram voluptati vacaverimus; sed quid ad infinita secula? hîc enim & bona, & mala finem habent; illic autem immortales pœnæ. Hic si ardeat corpus, egreditur anima: illic verò incorrupto resurgente corpore, semper anima comburitur; & peccatores enim incorrupti resurgunt, non ut honerentur, sed ut immortaliter in tormentis permaneant. Si itaque balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen?

V. *Consideratio infinitæ bonitatis & amabilitatis DEI;* sic enim ultro relictis voluptatibus terrenis, velut cisternis dissipatis, ad DEUM velut fontem recurremus, atque ex eo puriùs, recentiùs, & pleniùs solidas, veràsque voluptates hauriemus.

S. Aug. de sing. Cleric. VI. *Fuga occasionum:* nam, ut rectè advertit S. Augustinus, minùs voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi est frequentia voluptatum.

§. X.

ASCETICA.

I. QUinque ferè sunt, quæ Asceta de voluptate specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat, & ponderet finem, propter quem voluptas rebus à DEO indita est, nempe ut, quemadmodum Plato dicere solebat, sit malorum esca; inde enim colliget, non esse in ea sistendum, sed eatenus tantùm admittendam, quatenus nos promptiores reddere potest ad debitum DEO servitium alacriùs, perfectiùsque præstandum.

Aristot. 7. Eth. c. 13. II. Alterum est, ut meminerit sapientis effati ab Aristotele prolati, quo dicebat: Omnes homines naturæ instinctu delectationem quærere, quoniam omnibus rebus divinum quiddam impertitum est, quo inclinantur in optimum

mum. Ut tamen prudenter quis eligat veras delectationes, judicium de his non ex delectationibus malorum, sed bonorum hominum sumendum esse ait; solas enim illas esse pro veris delectationibus habendas, quibus illi utuntur: quod autem aliis alia jucunda videantur, id ex corruptela potius provenire, etque adeò non absolutè jucunda censenda, utpote quæ non nisi à malis talia censentur; nam ut Pueri, quæ ipsi amant, præstantissima putant, quæ tamen eadem à viris nihili æstimantur; sic alia placent probis, alia improbis, ex quibus hi, quia sano judicio carent, & delectationes corporales ac turpes magis sensibiles sunt, hoc ipso eas etiam Spiritualibus præferunt.

III. Tertium est, ut in appetitu voluptatum omnem præcip tantiam sedulò cavendam *Epist. c. 56.* sciat, sed potiùs illam sapientissimam Epicteti doctrinam ob oculos habeat: Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis. Sed & rem examina, & tibi ipsi præbe deliberandi spatium. Deinde utriusque temporis memento, tum ejus, quo voluptate frueris; tum ejus, quo perceptâ jam voluptate dolebis, téque ipse objurgabis. Sed *S. Basil. ho. 24.* & illud observâsse proderit, quod S. Basilius ex Prodigo Chio narrat, scilicet Juveni quondam Herculi secum consulenti, ad utram se viarum converteret, (an ad eam, quæ ad virtutem per labores ducit; an ad facilem per voluptates?) duas mulieres, virtutem ac voluptatem occurrisse, quarum mox differentiam ex diverso habitu agnoverit; alterâ quippe formâ conspicua, molliori facie, lascivis oculis, sermone blando, omnia fausta, faciliáque, & ad vitæ solatia tendentia pollicendo, Herculem ad se traheте conabatur. Altera verò vultu rigido, squalenti, mœstóque ore, magnam fiduciam atque constantiam præseferens, nihil jucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laborésque immensos terrâ, maríque subeundos, præmium tamen horum immortale, ad extremum verò morientem Herculem se secuturam, & inter Deos collocaturam recipiebat; hancque secutum Herculem, dicit.

IV. Quartum est, ut frequenter ponderet, quanto bono sensibiles voluptates privent, sibique persuadeat, eos, qui ejusmodi voluptates *Plutarch. in moral.* inordinatè appetunt, olim dicturos, quod Lysimachus cum gemitu questus est, dum ob sitim se Scythis dedere coactus, ubi aquam frigidam bibit, exclamavit: Dij boni, quàm brevis voluptatis causâ quantam felicitatem perdidi! *Lang. in polyanth. V. eod.* Quod ipsum non malè alius per sequentem fabulam expressit: Ad mel, inquit, profusum in cella quâdam advolantes muscæ, illius dulcissimo succo jucundissimè pascebantur. Sed jam Saturæ, cùm evolare vellent, pedibus in tenace liquore hærentibus, nitentes etiam alas implicuerunt, quasi visco quodam mellis. Itaque morituræ, O miseras nos, inquiunt, quantillus nobis cibus interitum attulit!

ibid. V. Quintum est, ut firmiter sibi persuadeat, veras voluptates non meliùs, certiúsque, quàm contemnendo falsas, obtineri. Id quod nonnemo eptè per sequentem fabellam ostendit. Quidam, inquit, conspecto alveo, intra quem apes delitescebant, accessit, & mellis avidus, aperuit eundem, sed, cùm miserè acceptus ab apibus, alteri cuipiam e-mico occurrisset, hic causâ tantæ exulcerationis intellectâ, tu, inquit, si deinceps mel tutò capere fruique desideras, apes priùs ebigas, oportet; apes autem has inordinatas voluptates puta.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. BReviter & bene voluptatem carnalem descripsit, qui cecinit: *Ovid. l. 7. Metam.*

Usque adeò nulla est sincera voluptas,
Solicitùmque aliquid lætis intervenit.

II. S. Augustinus commemorat, Philoso- *S. August. de civ. c. ult.* phos olim, qui felicitatem in voluptate ponebant, ab aliis confutatos fuisse picturâ quâdam, in quâ voluptas tanquam Domina sederet in Sella regia, & unicuique virtuti tanquam ancillæ pro libitu imperabat; ut vel hujus spectaculi absurditate appareret, quàm absurdum sit, voluptati ullum locum dignitatis assignare.

III. Anachoreta quidam, cum mirè delectaretur suavitate rivuli, in quem inciderat, volens originem ejus investigare, reperit denique putridum cadaver, è cujus ore rivulus ille dimanabat; unde omnes illius aquas nauseabat. Utinam simili modo voluptuosi originem suarum voluptatum indagarent!

Damnum.

IV. Paulus Æmilius centum viginti boves, *Plutarch. in moral.* auratis cornibus, & coronis redimitos, concrepantibus tubis ac tympanis in pompam duxit, sed funebrem; in lætitiam alienam, sed propriam boum lanienam. Idem voluptas facit.

V. Plato refert, Voluptatem & Dolorem *Plato in Phædro* olim apud Jovem de mutuis injuriis graviter conquestos fuisse, quos cùm conciliare nequivisset, catenâ adamantinâ inter se connexuerit, ut, quantumvis odiis inter se dissiderent, alter ab altera discedere nequiret.

VI. Voluptas Histrionem illum imitatur, *Engelgr. in Do. Palm. §. 8.* qui ollam fortunatam pretiosissimis rebus instructam proponebat, sed intra ollam spinas inclusérat, ut, qui extrahere sortem vellent, nihil nisi laceras manus reportarent.

VII. Nec malè Poëta: *Boeth. l. 3. de consol. metro. 7.*

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes:
Apiúmque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

VIII. Aulicus quidam rogatus, cur *Engelgr. l. c.* canis ipsius, ipso aulam intrante, foris temaneret, respondit, semel ingressum graviter flagris exceptum fuisse. Quo audito, subsumpsit alter: Næ tu cane tuo stolidior es, ne

ut qui toties in aula malè exceptus, necdum eam deseris. Idem voluptuosis rectiùs diceretur.

Ibid. IX. Jupiter cùm Voluptam ad homines sibi demerendos misisset, advertisset se neglecto, hanc coli & amari præ omnibus Diis, pœnitens consilij, volebat eam eripere denuò, sed consilio suo Mercurius intercedens suasit, ut ipsam quidem nudam eriperet, sed exuviis illius Angeronem includeret, quod est factum.

Senec. ep. 51. X. Sapienter suasit Seneca: Voluptates præcipuè exturba, & invisissimas habe, latronum more, quos Philetas Ægyptij vocant; in hoc nos amplectuntur, ut strangulent.

Apud Engelgr. l. c. XI. Rectè quoque recens quidam Poëta:
Principium dulce est, sed finis amoris amarus,
Læta venire Venus, tristis abire solet.
Flumina quæsitum sic in mare dulcia currunt,
Postquam gustârunt æquora, amara fluunt.

Senec. ep. 51. XII. Præclarè iterum Seneca, indurandus est, inquit, animus, & à voluptatum blandimentis procul abstrahendus; vivâ Hannibalem hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus virum enervârunt fomenta Campaniæ. Debellandæ igitur nobis sunt voluptates, quæ, ut vides sæva quoque ad se ingenia rapuerunt. Si voluptati cessero, cedendum est doloti.

Silius Ital. XIII. Nam, ut Silius Italicus canit:
Quippe nec ira DEUM tantùm, nec tela, nec hostes,
Quantùm sola noces animis illapsa voluptas.

Senec. ep. 39. XIV. Quis hostis, inquit Seneca, in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ? Quidam se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò pervenerunt, ut illis, quæ supervacua fuerunt, facta sint necessaria. Serviunt utique voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua, quod est malorum ultimum, amant.

Boët. l. 3. de consol. Prosa. 7. & 8. XV. In eundem sensum Boëtius, quid autem, inquit, de corporis voluptatibus loquar? quarum quidem appetentia plena est anxietatis, satietas verò pœnitentiæ, quantum motus, quid habeat jucunditatis, ignoro. Tristea verò esse voluptatis exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget: quæ si beatos explicare possunt, nihil causæ est, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur. Nihil igitur dubium est, quin hæ ad beatitudinem viæ devia quædam sint: Nec perducere quemquam eò valeant, ad quod se perducturas esse promittunt.

XVI. Imitatrix boni est voluptas, inquit Cicero, malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ natura bona sunt. *Cicero de legib.*

XVII. Nemo dignus hominis nomine est, qui unum diem totum velit esse in voluptate. *Idem 2. de finib.*

XVIII. Cato dicere solebat, nullam capitaliorem pestem à natura datam esse mortalibus, quàm voluptatem. *Cato major apud Langi*

§. XII.

AXIOMATA.

I. Ubi uber, ibi tuber. *Engelg. in Dō. Palm.*
Wo Frewd / da Leyd.

II. Ubi mel, ibi fel.
Wo vil Hönig / ist Gall nit wenig.

III. Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat. *Anonym.*
Was wol thut / währt ein kleine Zeit:
Was wehe thut / währt in Ewigkeit.

IV. Voluptas brevis, longa pœnitentia. *Idem.*
Kurtze Frewd bringt lang-se Leyd.

§. XIII.

AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario. V. eod.

II. Henricus Engelgrave p. 1. Lucis Evang. in Dom. Palm.

III. Thomas Stapletonus te. 3. in Domin. Septuag.

IV. Laurentius Beyrlinck in Theatro vit. hum. V. eod. & in promptuario morali te. 2. in festo S. Laurentij.

V. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

TITULUS XXXIX.

VOTUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

D. Thom. 2. 2. q. 88 EST promissio DEO deliberatè facta de bono possibili & meliori. Ita S. Thomas, qui & addit à voluntate votum suam denominationem accepisse, tanquam à primo movente rationem ad promittendum.

Divisio.

II. Dividitur præcipuè 1. in *Reale* & *Personale*. Hoc est, cùm actio aliqua ab ipso vovente exercenda vovetur; illud est, cùm res quæpiam ab ipsa Persona voventia non præstanda vovetur.

III. Dividitur 2. in *Simplex* & *Solemne*; illud est, quod Solemnitate pro votis ab Ecclesia institutâ caret; istud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, & voventem ad contractus vel actus contra votum inhabilem facit.

§. II.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Votum implendum.

1.Cor.7. v.20. I. Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, permaneat.

Num. 30. v.3. II. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.

Deut. 23. v.21. III. Cùm voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

Psal. 75. v.12. IV. Vovete, & reddite Domino DEO vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

Eccl. 5. v.3. V. Si quid vovisti DEO, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio.

Ibid. VI. Quodcunque voveris redde, multóque meliùs est non vovere, quàm post votum non reddere.

Psal. 49. v.14. VII. Immola DEO Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

Votum violatum.

Prov. 20. v.25. VIII. Ruina est homini, devotare Sanctos, & post vota tetractare.

Luc. 9. v.62. IX. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno DEI.

Apoc. 2. v.5. X. Memor esto, unde excideris, & pœnitentiam age, & primæ operâ fac: sin autem venio tibi, & movebo candelabrum de loco suo.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Ambros. ad virgin. devot. I. Si quis voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus DEI constituetur. Quid dicis devota DEO? quid vis hominibus placere? quid desideras, vel quid quæris? Si DEUM quæris, tecum est: si autem hominem quæris, hoc non devovisti. Qui sunt homines? homines hujus seculi, & seculum transit, & concupiscentia ejus.

S. Bern. ep. 2. ad Fulcõ. II. Justè exigitur ad solvendum; qui non cogitur ad vovendum.

S. August. ep. ad Armet. III. Quia jam vovisti, jam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris, quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor: modò autem (quod absit) tantò miserior, si DEO fidem fregeris, quantò beatior, si persolveris.

S. Bern. ep. cit. IV. Disce in Evangelio, quòd non liceat retrò aspicere ei, qui semel manum ad aratrum misit; nam etsi, cùm pulsares, non repuli, tamen ut intrares, non compuli. Non licet ergo dimittere, quod sponte promisisti: non est fas requirere, quæ per te dimisisti.

S. Bern. in serm. V. Absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed prævaricatio est.

S. Aug. in Psal. 75. VI. Quid tibi dixerit Psalmus, attende, non dixit: Nolite vovere, sed; Vovete, & reddite. Quia audisti, reddite, non vis vovere? ergo vovere volebas, & non reddere? unò utrumque fac. Unum fit ex professione tua, aliud ex adjutorio DEI perficietur. Aspice eum, qui te ducit, & non respicies retrò, unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat; unde te eduxit, post te est. Ama ducentem, & non te damnat retrò aspicientem.

Utilitas.

S. Aug. ep. 45. ad Armentar. VII. Felix necessitas, quod ad meliora compellit.

S. Ambros. in Psal. 118. VIII. Qui fers jugum Christi, erige cervicem: redimicula geris, non vincula.

S. Greg. in Psal. 101. IX. Sanctissimi viri non incongruè compediti dicuntur à Psalmista, quia ligati vinculis disciplinæ DEI, nequaquam ad ea, quæ exteriora sunt, vagantur; de his namque compedibus scriptum est: injice pedes tuos in compedes ejus, & in torques illius collum tuum; quia profectò, cujus à pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum varietate virtutum adornatur.

S. Bern. ad Armentar. ep. 48. X. Non te vovisse pœniteat, imò gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple; ipse adjuvabit, qui voto nostra expedit.

Damnum voti violati.

S. Gregor. in registro ad Venant. XI. Si ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos DEO abstulit; considera, quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum DEO Omnipotenti, cui te devoveras, subtraxisti.

S. Chrysost. ho. 12. in Acta Apost. XII. Quare hoc fecisti? voluisti habere Anania? oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem, postquam promisisti, majus sacrilegium commisisti.

S. Basil. in epist. ad Lapsam. XIII. Dicit omnino etiam nunc Dominus; Duo mala perpetravit Virgo. Me dereliquit verum sanctarum animarum Sponsum, & aufugit ad impium animæ simul & corporis corruptorem. Defecit à DEO Salvatore suo, & exhibuit membra sua mancipia immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem.

S. Ambr. ad Virg. Lapsã c. 5. XIV. Virgo, quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege conjugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum, quæ occultâ & furtivâ turpitudine constupratur, & fingit se esse, quod non est? habitu virgo, facto non virgo, bis adultera, & in actu, & in aspectu.

§. IV.

EXEMPLA.

Votum servatum.

Psal. 21. 60. 115. 131. I. S. David, quàm accuratè vota sua servaverit, in psalmis, maximè 115. indicavit, dicens: Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi.

II. Jacobus Patriarcha primum votum fecit Domino dicens: Si fuerit DEUS mecum, & custodierit me in via, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversúsque fuero prosperè ad domum Patris mei, erit mihi Dominus in DEUM, cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Num. 21. v. 2. III. Israël voto se Domino obligans ait: Si tradideris Populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivítque Dominus preces Israël, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus.

Jud. 11. v. 30. IV. Jephte quoque vovit dicens: Si tradideris Filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihíque occurrerit revertenti cum pace à Filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Cúmque occurrisset ei Filia, eam immolavit Domino.

2. Paral. 15. v. 18. V. Rex Asa, cujus cor erat perfectum, teste Scripturâ, cunctis diebus ejus, ea, quæ voverat Pater suus, & ipse intulit in domum Domini, argentum & aurum, vasorúmque diversam supellectilem.

1. Reg. 1. v. 10. VI. Cùm esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, & votum vovit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederísque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.

1 Paral. 29. v. 9. VII. Lætatus est Populus, cùm vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino, sed & David Rex gavisus est gaudio magno.

Jon. 2. v. 10. VIII. Jonas in ventre piscis clamavit ad Dominum, & inter reliqua dixit: Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vovi, reddam pro salute Domino.

2. Mach. 3. v. 35. IX. Heliodorus hostiâ DEO oblatâ, & votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad Regem.

Utilitas.

Rodriq p 3. tr. 2. c. 4. X. S. Antonius ab Angelis in cælum subvehi visus, obvios Dæmones habuit, qui summâ vi, ne sursum pergeret, objectis, quæ in seculo deliquisset, peccatis obsistebant. Ergo intercessores Angeli, vos, inquiunt, si cujus culpæ, ex quo Monachum induit, reum peragatis, licet; neque enim eorum, quæ Puer aut Adolescens olim in seculo admisit, memoria renovanda est, utpote quæ jam pridem ei DEUS ob religionis editæ vota remisit.

Ibid. c. 5. XI. Cùm Christus aliquando S. Francisco apparuisset, atque, ut trinam ipsi oblationem faceret, præcepisset, Franciscus autem, se nihil ampliùs habere respondisset, jussus est manum in sinum inserere, & quod ibi inventurus esset, offerre. Quod cùm ille fecisset, primâ, secundâ & tertiâ vice nummum aureum bene grandem, scitúmque, qualem nunquam vidisse se meminerat, invenit, quibus tria religiosa vota significari intelligebat; quæ ipse fatebatur tam perfectè se obtulisse, ut nihil circa eorum observationem propria ipsum conscientia redarguerit.

Ibid. c. 2. XII. Fr. Ægidius interrogatus, an etiam in seculo gratiam DEI quis consequi possit? respondit, posse utique, se tamen malle unum gradum gratiæ in Religione, quàm decem in seculo, eò quòd in Religione facilè conservetur & crescat, ob impedimenta per votorum substantialium editionem remota.

Damnum Voti non servati.

S. Hieron. ad Demetr. XIII. Ananias & Saphyra ideo repentina morte puniti sunt, quia, ut S. Hieronymus loquitur, post votum obtulerunt quasi sua, & non ejus, cui ea semel ea voverant, partémque sibi alienæ substantiæ reservârunt, metuentes famem, quam vera fides non timet. Præsentem meruêre vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam imprecatus eis mortem, ut Stultus Porphyrius calumniatur, sed DEI judicium Prophetico Spiritu annunciat, ut pœna duorum hominum, sit correctio multorum.

S. Greg. l. 2. dial. c. 25. XIV. Quidam S. Benedicti Monachus cùm multis precibus impetrâsset, ut discedere ex Monasterio posset, vix Monasterium egressus, Draconem aperto sibi ore insidiantem conspexit. Quare magnis clamoribus Fratrum auxilium invocans, ab iisdem accurrentibus, sed nihil videntibus, tremens ac palpitans ad Monasterium reductus est.

Surius 23. Nov. XV. Cùm Hartfridus beati Trudonis consanguineus continentiæ voto ex timore edito se obstrinxisset, & promissionis immemor uxorem duxisset, nocte insequente vir quidam gravis ad eum ingrediens dixit: Cur violata fide uxorem ducere non timuisti? quàm frustra hoc feceris, vel ex hoc collige, quòd semper eris sine sobole, & virgâ eum in femore percutiens hoc, inquit, tibi sit signum neglectæ promissionis, quòd semper curvo pede deinceps incedes. Experge factus ergo, & eruditus verbere agnovit culpam, Monasteriúmque ingressus vitam sanctam vixit.

Daniel. in Catech. hist. XVI. Cùm Sanctimoniales sub instituto S. Claræ militantes è civitate Gebennensi expulsæ fuissent, reliquæ quidem in Catholicam quandam civitatem se transtulerunt, sed una maluit cum Apostata quodam matrimonium inire, quæ tamen mox manifestam DEI vindictam experta est, quando in Marito suo viva excoriata est.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Hist. Soc. p. 1. l. 1. n. 92 I. ANno 1534. cùm primi Patres vota sua in monte Martyrum prope Parisios, ipso festo Assumptionis B. Virginis renovâssent, suasit dein S. Ignatius, ut inter alia Spiritûs conservandi adjumenta, socij anniversariam votorum renovationem, eâdem in æde, eodémque die facerent, quod & factum.

Vita l. 6. c. 15. & 15. II. S. Franciscus Xaverius quotidie vota renovabat,

novabat, ajebátque, vix ullum esse hominibus DEO sacris tutius contra Diaboli impetus munimentum, hâc quotidianâ renovatione.

Lud. de Ponte p. 3. de perf. st. l c.14.§.2. III. P. Jacobus Laynes quotidie vota in Missa, dum Christum communicaturus in manibus habebat, his verbis renovavit: Placet, quod promisi.

Vita. p. 2. pag. 154. IV. Joannes Berchmannus bis quotidie, manè scilicet & vesperi vota sua consuetâ formulâ renovavit. Deliciosissimum verò illi erat triduanæ collectionis tempus, eò quòd se per eos dies locupletare loculos suos diceret, panémque refectionis spiritualis pro venturis necessitatibus præparare.

Hist. Soc. p. 1. l.6.n. 89. V. Anno 1546. in Lusitania votorum renovatio in communi conventu fieri cœpta est tanto omnium motu, sensúque, tam ingenti collacrymatione multorum, ut tum primi ad societatem accessus renovari lætitiam, tum repræsentari suæ cujúsque jucundissimus dedicationis dies videretur.

Ib. l. 15. n. 129. VI. Anno 1555. in India prima votorum renovatio facta est ingenti vi lacrymarum, atque insuetato quodam ardore Spiritûs & animorum.

Lanciz. op. 11. c. 30. n. 189. VII. P. Jacobus Cerrutus ter millies quotidie vota renovabat; semel 14000. vicibus id præstitit.

Ann. Lugd. Coll. Aven. 1638. VIII. Michaël Sattre Coadjutor ruri habitans, cùm gravissimè sæpe contra castitatem tentaretur, statim in genua procidens sua vota renovavit, & statim omnis tentatio velut nubecula evanuit.

Vita MS. l. 2. c. 13. IX. Alphonsus Rodriquez quotidie vota sua renovabat; & hæc renovatio conservabat eum semper vividum excitatum ad vota implenda, & Dominus clarè illi significavit, sibi id placere, monuítque, ut se in hac renovatione exerceret, indicavítque simul profectum, quem inde anima ejus erat perceptura, & dona, quæ ipsi ob eam rem concessurus erat.

Lanc. l. c. n. 8. n. 84. X. Cùm quidam magni judicij & prudentiæ vir societatem ingressus, vehementer à renovatione votorum, velut re inutili abhorreret, nihilominus tamen ipso die renovationis vicisset sese, & cum summa judicij repugnantiâ renovâsset, DEUS talem victoriam remunerari volens, Christum, dum Sacerdos de more hostiam in manibus tenebat, in S. hostia corporali specie ostendit, à quo mira consolatione repletus, sed & lumine extraordinario donatus est, quo agnovit ejusmodi renovationem non modò utilissimam, sed & DEO gratissimam esse. Totus itaque in lacrymas effusus agnovit errorem suum, & detestatus est, plenúsque cælesti voluptate diu permansit, ita ut præabundantia gratiæ divinæ sese insinuantis vocem in verba formare non posset.

Voti violati pœna.

Ribaden. XI. Quidam cùm è Societate exijsset, mox mente captus, & per plateas more furiosi currens, miserâ denique & repentinâ morte interijt.

Idem. XII. Franciscus Balsamus studiis absolutis, Societate egressus, ubi Messanam & domum suam pervenit, tantis doloribus, morbisque cruciatus est, ut exaresceret, & tabesceret, diceretque, se, ex quo die Societatem deseruit, nunquam jucunditatis & suavitatis horâ fuisse usum. Octo menses intercute laborans, inflatúsque decubuit, sibi gravis, domesticis intolerabilis, ingratus alienis. Moriturus Patrem è Societate accersivit, qui, etsi properaverat, mortuum tamen jam invenit, tam horribili & fœdo cadavere, támque pestiferum odorem exhalante, ut ad hæc tegenda necesse fuerit, citiùs eum sepelire, & præter morem Gentis feretro includere.

XIII. Quidam Fonseca deficiens à Societate, cùm quodam die in militari exercitio probaretur, à Commilitone in oculo ictus, eum simul cum Spiritu amisit. Eodem verò die cùm P. Leo Henriquez per plateam transiret, & hoc nuntio audito admirabundus Crucis signo se muniret, infans, qui tum casu in platea fuerat, cùm vix loqui posset, ad Patrem dixit: Nam quem alium finem sortiri poterat is, qui à Societate defecit? *Idem.*

XIV. Juvenis quidam ex Lusitanis Insulis oriundus, quia vehementer urgebat, à Societate dimissus, post paucos dies ab adventu in Patriam se piscatum contulit cum duobus aliis, cúmque ille medius inter hos in rupe mari imminente sederet, ecce sibi derepentè exurgens fluctus eum è medio Sociorum eripit, & absorbet, à nullo unquam deinceps conspectum, utroque interim socio incolumi, & casum vehementer obstupente. *Idem.*

XV. Coadjutor erat in Austria, qui tredecim annis in Societate vixerat, sed usque adeò inobediens, ut diceret, malle se capite plecti, quàm obedire. Societate dein egressus, & Viennæ præsidiarius miles effectus aliquoties excubias neglexit, quare accusatus, & capitis damnatus est. Hîc ille vindictam DEI agnoscens Patres, ut pro se intercederent, oravit, at impetratum nihil. Ergo miser ad supplicij locum, qui è regione Collegij erat, ducitur, paulò antè professus, desertæ Societatis hanc pœnam esse, se nec unum diem hilarem extra eam vixisse. Sic capite flexus est: & ecce, decussum caput illico seipsum præcipiti rotatu in fœdam aquam, quæ præterfluebat, injecit, & os illud, quod contra obedientiam pandebat, aliquando totum in fæces illas immisit. *Annua 1591. f. 166.*

§. VI.

EXEMPLA PROFANA.

I. Rex Moab videns prævaluisse adversum se hostes, arripiens Filium suum primogenitum obtulit holocaustum super murum, ex quo facta est indignatio magna in Israël, quare & obsidionem solverunt, & reversi sunt in terram suam. *4. Reg. 3.*

II. Alexander Magnus cùm vovisset, quòd eum, qui sibi portâ egresso primus occurrisset, interfici curaret, Agaso, qui asinum fortè tunc ante se agebat, ad supplicium postulatus, protestatus *Val. Max. l. 7. c. 3.*

testatus est; dixitque, non se, sed Asinum occidendum, ut qui primus Alexandro occurrisset.

Beyrlin. in theatr. V. eod. fol. 219. III. Antiqui Itali morem habebant *Ver sacrum* vovendi, quo voto se in magnis periculis constituti obstringebant, & vovebant, se omnia animalia (etiam Pueros & Puellas) quæ proximo vere nascerentur, oblaturos.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Anselm. in lib. simil. I. Sicut si quis non fructus duntaxat, sed arborem etiam donat, haud dubiè gratius Donatario munus offert, quàm si solos fructus offerret; ita gratius quoque obsequium præstat DEO, qui non opera duntaxat, sed etiam seipsum per religiosa vota DEO consecrat.

Platus l. 1. de bono Status relig. c. 30. II. Sicut malum est facere aliquid turpiter ex fragilitate aut consilij imbecillitate, multò pejus autem, si fiat ex ex deliberata voluntate peccandi, & in peccato persistendi, sic in virtutis muneribus omnia quidem bona & laudabilia sunt, sed tamen sine comparatione meliora, quæ animo deliberatè obfirmato peraguntur.

Ibid. III. Sicut corporum, sic animorum quoque sunt vincula, sed in hoc differentia, quòd corporibus, ut extrinsecus injici possunt, etiam invitis, ita etiam externâ vi abrumpi; animus autem nullâ religari possit, nisi ipse ligârit, sed cùm vel semel ligavit, nulla humana potestas sufficiat ad solvendum.

S. Bonav. in apolog. paup. IV. Sicut is, qui non usum duntaxat, sed etiam proprietatem rei concedit, plus utique dat; ita Religiosus se per vota offerens DEO, majus sui sacrificium dat, quàm secularis.

S. Ephrem in adhort. ad Novit. Monach. V. Sicut, si quis munus Domino obtulerit, quod acceptum Sacerdos in templo seponit, non ampliùs potest pro suo arbitrio auferre; sic quoque, qui DEO animas suas consecrârunt, potestatem sui ampliùs non habent.

Utilitas.

Platus l. 1. c. 30. VI. Sicut Proci, cùm Virginem, quam ambiunt, nuptam vident, aliò cogitationes transferunt; sic cùm Diabolus animam per vota Deo desponsatam advertit, omnis illi spes præciditur, eandem rebus terrenis implicandi.

Ibid. VII. Sicut vites, & aliæ arbores teneriores vinciri solent ad stipites firmiores, à quibus sustententur; sic homines inconstantiam suam & fragilitatem agnoscentes, facilè intelligunt, nihil salubrius esse, quàm si debilem hanc suam voluntatem in DEO sponsione voti stabiliant, eique perpetuò obligentur.

Violatio voti.

Prov. 27. v. 8. VIII. Sicut avis transmigrans de nido suo; sic vir, qui derelinquit locum suum.

S. Basil. in Monast. constit. IX. Sicut membra corporis à corpore avulsa, emortua sint, necesse est; ita Monachus quoque, qui reliquorum Fratrum corpori, firmiori nexu per vota conjunctus est, divellere se non potest, quin animæ vitam amittat, & cum ea Spiritûs Sancti gratiam.

§. VIII.

MOTIVA

Ad vota adimplenda.

I. *Quia vota, opera nostra meliora faciunt*; cùm quodlibet bonum, accessione alterius boni, melius fiat; ipsa autem promissio boni, haud dubiè etiam sit bonum aliquod. Platus l. 1. c. 30.

II. *Quia vota voluntatem nostram stabiliunt in bono*; atque adeò hominem Beatis similem faciunt, qui à bono deflectere non possunt. Idem.

III. *Quia vota copiosiorem DEI gratiam conciliant*; sunt enim quasi canalis, per quem multò copiosiùs in voventem gratia derivatur, cùm DEUS non patiatur se liberalitate vinci, atque adeò haud dubiè tam insignem liberalitatem per vota religiosa exercitam, liberaliter quoque sit remuneraturus. Ibid.

IV. *Quia vota singularem operibus dignitatem conferunt*: neque enim, ut rectè dicit S. Augustinus, Virginitas (eadem est ratio aliorum votorum) honoratur, quia virginitas est, sed quia DEO dicata: quæ, licet servetur in carne, Spiritus tamen religione ac devotione servatur: ac per hoc etiam Virginitas corporis spiritualis est, quam vovet, & servat continentia pietatis. S. August. c. 8 de Virginit.

V. *Quia per vota Religiosa gratissimum Deo holocaustum offertur*; cùm is, qui illa facit, nihil sibi reservet, quam ob causam præstantissima quæque alia vota, in hæc religiosa vota mutari possunt. Rodriq. p. 3. tr. 2. c. 4.

VI. *Quia vota religiosa voventem Martyribus similem faciunt*; ob illa quippe vita Religiosi genus quoddam Martyrij vocatur, illo quidem, quo membra cæduntur ferro, horrore mitius, sed diuturnitate molestius. S. Bern. f. 30. sup. Cant.

§. IX.

MEDIA.

I. *Crebra divina gratia invocatio*: sic enim Salomon exemplo suo docuit, dum de seipso dixit: Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum. Quod ipsum etiam confirmans S. Augustinus, est, inquit, devotio voventis, sed et humilitas deprecantis. Nemo præsumat se viribus suis reddere, quod voverit. Qui te hortatur, ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas. Sap. 8. 21. S. Aug. in ps. 75.

II. *Crebra memoria factæ professionis*: Sic S. Basilius Virgini cuipiam lapsæ suasit dicens: Revoca in memoriam honestam professionem, venerandam congregationem, & sacrarum Virginum chorum. Recordare dierum carentium tumultu, & noctium illuminatarum, cantilenarum spiritualium, orationum sanctarum, & cubiculi casti, & Virginei progressus, & mensæ temperantis &c. S. Basil. ad Virg. laps.

III. *Crebra votorum renovatio*: nam, ut sapienter S. Gregorius dixit, si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necessarium est, ut inchoare nos quondie credamus. Sicut enim, quò crebrioribus ictibus clavus in lignum S. Greg. in moral.

aut

aut murum adigitur, tantò firmiùs hæret; sic quò crebriùs hæc promissio repetitur, tantò difficiliùs violatur.

IV. *Crebra consideratio fructuum, qui ex votis, religionis maximè, oriuntur*: quis enim, si centuplum pro ejusmodi votorum editione promissum consideret, non vehementer accendatur ad vota talia perfectissimè servanda, ut tam pretiosi centupli & ipse fieri particeps possit?

Matt. 11. v. 28. V. *Crebra ponderatio sententiæ à Christo prolatæ*: Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Sic enim phantasiam corriget, quæ multos absterret persuadendo, difficilem nimis esse votorum *S. Chrys. ad Theod. lapsum.* editionem. Contra quam opinionem etiam S. Chrysostomus sic loquitur: quid levius dices ac melius, quàm sollicitudine seculari, & laboribus, & metu exui? quàm ab istius mundi fluctibus segregari, & possidere placidi, tranquillique portûs securitatem?

§. X.

ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ de votis singulariter nôsse, & observare debet Asceta. Primum est, ut certò sibi persuadeat, hanc votorum, quæ in Religione nuncupantur, triadem esse præcipuum instrumentum adipiscendæ *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7.* perfectionis, id quod more suo S. Thomas solidè sequentibus verbis demonstrat. Religionis Status tripliciter potest considerari. 1. Secundùm quod est exercitium tendendi ad perfectionem, & quantùm ad hoc requiritur, quòd aliquis à se removeat illa, per quæ posset impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in DEUM, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, quæ excluduntur per votum Continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. 2. Considerari potest Status Religiosus, secundùm quod quietat animum ab exterioribus sollicitudinibus, secundùm illud Corinth. Volo vos sine sollicitudine esse; hæc autem sollicitudinis secularis inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria; primò circa dispensationum exteriorum bonorum, & hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundò circa gubernationem uxoris & Filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertiò circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. 3. Considerari potest Status Religiosus, secundùm quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis se & sua totaliter offert DEO; habet autem homo triplex bonum secundùm Philosophum. Primò quidem exteriorum bonorum, quæ quidem totaliter aliquis DEO offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprij corporis quod aliquis præcipuè offert DEO per votum continentiæ, quo abrenunciat maximè delectationibus corporis. Tertiò bonum animæ, quod aliquis offert DEO totaliter per obedientiam, quâ aliquis offert DEO propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis & habitibus animæ.

II. Alterum est, ut singulorum votorum in particulari naturam & obligationem bene cognoscat; quam quidem cognitionem ex libris Ascetarum, maximè ex Alphonso Rodriquez p. 3. tr. 3. & sequentibus, facilè haurire poterit.

III. Tertium est, ut tam felicitatem eorum, qui vota ejusmodi offerunt liberaliter, & studiosè observant, quàm eorum, qui ea violare præsumunt, infelicitatem, & miserum Statum bene cognoscere, & hoc motivo velut principali stimulo se ad observantiam illorum excitare studeat. Quem in finem prodest sequentem S. Ambrosij sententiam in memoria *S. Ambr. ad Virg. laps. c. 2.* habere, quâ utrumque hoc motivum Virgini cuidam lapsæ sic ante oculos posuit: Unde incipiam, inquit, quod primum, quod ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti? an mala defleam, quæ invenisti? Eras Virgo in Paradiso DEI, utique inter flores Ecclesiæ: eras Sponsa Christi: eras templum DEI: eras habitaculum Spiritûs Sancti: Et cùm dico toties, eras, necesse est, ut toties ingemiscas, quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam Stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quæ est ista subitanea conversio? quæ est ista repentina mutatio. De DEI Virgine facta es corruptio Satanæ, de habitaculo Spiritûs Sancti tugurium Diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras Stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cœlo, lumen tuum extinctum est, & conversa in carbonem.

IV. Quartum est, ut, quoniam inter media præcipua ad exactam Votorum Religiosorum observantiam procurandam, est crebra renovatio votorum, maximè ea, quæ in Societate JESU cum præmissa triduana collectione, & confessionis generalis institutione peragitur, bene cognoscere studeat, & naturam, & fines seu fructus hujus renovationis, & modum eandem solidè peragendi. Et Naturam quidem quod attinet, breviter & bene eam S. Ignatius *S. Ign. p. 4. constit. c. 4. §. 6.* his verbis indicavit: Vota sua renovare, non est, obligatione novâ se constringere, sed ejus, quâ obstricti sunt, in Domino recordari, at- *Rodriq. p. 3. tr. 1. c. 8.* que eandem confirmare, cum voluptate scilicet (ut addit Rodriquez) animique alacritate ite-

te iterando, quod semel factum est, eóque testificando, minimè id mutare nos, quin potiùs gratos, æternúmque obnoxios ostendendo tanto Benefactori, qui nos inter suos esse jussent, eámque nobis mentem injecerit, ac, nisi jam nos ei in holocaustum obtulissemus, certè adhuc oblaturos, imò, si mille mundi forent, omnibus illius amore nuncium remissuros; si voluntates nobis, totidémque corda forent, omnia pariter eidem præbituros. Quâ quidem alacritate, si pro eo, ac par est, hæc votorum renovatio fiat, nova haud dubiè, nec vulgaris à DEO gratia initur; quemadmodum enim complacentia de peccato olim patrato, novum peccatum est, nováque injuria, ac novam pœnam exigens; ita vicissim voluptas, ac complacentia rectè facti bona, multúmque divinæ bonitati accepta est.

V. Jam verò finis seu fructus hujus renovationis, triplex à S. Ignatio rectè statuitur, nempe 1. *Devotionis augmentum*, quam experiuntur affatim, qui se ritè ei comparant. 2. *Excitatio memoriæ*, quâ obligationis, per quam DEO quisque adstringitur, recordatur, ut firmiùs promissis stetur, virtutémque ardentioribus in dies animis imbibat. 3. *Major in sua vocatione confirmatio:* sicut enim generale tentationibus omnibus antidotum est, contrariarum virtutum actus exercere (quoniam contraria contrariis curantur) ita contra interiores tædij, displicentiæque motus, quibus Dœmon infestat, hæc votorum instauratio tutissimum est præsidium, quippe quâ & hostis paulatim exarmatur, &, si quid fortè per incuriam, commissum aut omissum est, cum fœnore compensatur.

VI. Denique modus hanc renovationem instituendi optimus & solidissimus est, qui ex similitudine cum imagine renovenda petitur, ut videlicet 1. Sordes & maculæ eluantur; id quod per generalem confessionem, & frequentem contritionem elicitam impletur. 2. Novi colores apponantur; quod fit per ipsam votorum renovationem, nováque alia proposita per varias meditationes excitata. 3. Velum obducatur, ne tam facilè iterum per pulveres aut alias res maculetur; id quod perficitur, dum radices & causæ imperfectionum indagantur, & efficacia media ad eas deinceps removendas excogitantur.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. VOta sunt nodo Gordio similia, quem, quia fine & principio carebat, nemo poterat dissolvere, donec Alexander gladio dissecuit. Hinc & Batavi in numismate habent vincula nodis constricta hoc lemmate subjecto: *Nec viribus ullis.* *Engelgr. p. 2. Luc. Evang. embl. 2 §. 3.*

Violatio.

IV. Rudolphus Sueviæ Rex, cùm fidem Henrico Quarto Imperatori datam rescidisset, & paulò pòst in prœlio prope Merspurgum inito dextram amisisset, eâ Militibus ostensâ, hæc, inquiebat, est manus, quâ fidem Henrico Domino meo dedi: nunc tandem considerate, an justè ab eo defecerim. Idem olim dicent, qui vota violare, fidémque per ea DEO datam frangere præsumpserint. *Strigelius apud Beyrlinck in fest. Annunc. te. 7.*


§. XII.

AUTHORES.

I. Alphonsus Rodriquez p. 3. tr. 2.
II. Lucas Pinellus de perfect. Christ. l. 1.
III. Joannes Busæus in Panario V. Voti violatio.
IV. Hieronymus Platus de bono Status Religiosi. l. 1. c. 30.
V. Henricus Engelgrave p. 2. Luc. Evang. emblem. 2. §. 3.
VI. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ V. eod. & in Promptuario te. 7. in festo Annunc. B. V.
VII. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.



INDEX





INDEX CONCIONATORIUS

In Evangelia Festorum & Dominicarum.

Ut Index iste tantò magis servire possit Lectori, tria eundem breviter præmonendum censui.

Primum est, me, dum fusiùs nonnihil materiam pro concione aliqua digessi, non eâ intentione id fecisse, quòd velim, Concionatorem adstringi conceptu à me designato, sed ut leviorem aliquo modo redderem laborem ijs, qui majorem in ejusmodi conceptibus digerendis difficultatem experiuntur; unde quibus conceptus ejusmodi non placet, poterunt solam in illo conceptu Virtutem vel vitium assumere, & pro suo genio formam concionis ex locis pro tali conceptu designatis disponere.

Alterum est, ut meminerit Lector illius modi, quem in Instructione VII. optimum & facillimum esse dixi in concionibus formandis, scilicet 1. Scopum aliquem practicum seu in quotidianos usus venientem, v.g. vitium aliquod aut virtutem, eligat. 2. Illius sensum benè declaret, v.g. in quo virtus aut vitium illud consistat, aut quomodo exerceri vel vitari debeat, ostendat. 3. Unam vel aliquam rationem popularem, cur doctrina talis practicari debeat, afferat, eandémque authoritate S. Scripturæ, SS. Patrum, similitudine, vel eruditione confirmet. 4. Historiam etiam aliquam inserat, si placet, quâ Auditores magis ad eandem praxin incitentur. 5. Interdum objectionem quoque unam vel alteram, quæ Auditoribus contra talem doctrinam facilè occurrere possent, proponat, & aptè solvat. 6. Denique fervente & apto Epilogo Auditores ad practicandam talem doctrinam excitet, & impellat; ad quem finem copiosam illi quivis titulus materiam suggeret, ut præter electionem doctrinæ nullâ propemodum re aliâ ei opus sit futurum.

Tertium est, ut, quando tam in hoc Indice, quàm in ipso contextu Bibliothecæ inter conceptus aliquos prædicabiles assignavero Allegoriam aliquam, sciat, neutiquam me velle, ut Concionator in illa Allegoria probanda immoretur, sed ut ea per modum acûs, quâ filum doctrinæ introducatur, usurpetur, atque adeò ut potissimus labor in ipsa doctrina probanda & inculcanda impendatur; alioqui enim sterilis erit concio, & nullum alium fructum, nisi quòd hunc vel illum Sanctum ingeniosè & aptè huic vel illi rei comparatum fateri debeat, reportabit Auditor, quod utique est contra finem & institutum Concionis.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

I.



ET *vocatum est nomen ejus JESVS.* Luc. 2. Potest donari Auditoribus SS. nomen JESU pro Xenio, & Clericis quidem litera I, Conjugibus litera H, Juvenibus S, cum variis doctrinis ipsorum Statui congruentibus offerri, uti videre est to. 3. tit. Christus. & in Instruct. mea VII. in concion. pro novo anno.

II. Ex eodem themate potest SS. JESU nomen Oleo comparari juxta illud Cantic. 1. Oleum effusum nomen tuum: & fructus ex invocatione hujus SS. Nominis reportari soliti demonstrari, de quo vide to. 3. tit. Christus. §. 11. n. 8. & §. 3. a n. 10.

III. Potest item ostendi, quomodo annum novum benè inchoare debeant, scilicet duas facies à Jano (à quo Januarius dictus est) mutuando, per quarum priorem uno oculo respiciat ad accepta priori anno beneficia, altero ad commissa peccata, & pro illis gratias agant, pro istis veniam petant. Per posteriorem faciem uno oculo respiciant ad actiones sequenti anno suscipiendas, ut illas fructuosè peragant: altero ad tribulationes supportandas, ut eas fructuosè sustineant, pro quo vide to. 1. tit. Gratitudo. Pœnitentia. Intentio bona. Patientia. & to. 4. tit. Opera bona. Item Instruct. VII. conc. pro hoc Festo.

IV. *Completi sunt dies octo, ut circumcideretur*

tur Puer. Luc. 2. potest Culter, quo Christus circumcisus est, pro Xenio variis Personis offerri. 1. Clericis, partim ut privatim proprias cupiditates malas circumcidant: partim ut publicè in concionibus vitia Populi commissi resecent. 2. Magistratui, ut eo utantur velut Medici respectu Corporis, id est, Reipublicæ, & tum putrida membra abscindant, aut incidant: tum dividant per justitiam cuivis, quod suum est. 3. Patribusfamilias, ut in Domesticis præcidant inutiles ramos disciplinæ domesticæ nocentes. 4. Cuivis Personæ, ut in horto animæ suæ vitulamina spuria præcidat, quò virtutes Christiano dignæ tantò meliùs crescant. Excitentur ergo Auditores, ut illa Jerem. 4. verba sibi applicent: Circumcidamini Domino, & auferte præputia &c. item illa Act. 15. quia nisi circumcidamini, non potestis salvari, nam ideo Christus etiam nomen JESU seu Salvatoris non aliter obtinere voluit, nisi per circumcisionem &c. vide to. 1. tit. Mortificatio.

V. *Et vocatum est nomen ejus JESUS.* Luc. 2. ostendi potest, quomodo quisque per JESUM salvari, & ut bonum semper annum habeat, efficere possit, scilicet si observet id, quod David Ps. 33. dixit: Quis est homo &c. Declina à malo &c. explicetur ergo 1. quid sit bonus annus, nempe is, in quo habemus, quod volumus; cùm autem nemo certiùs habeat semper id, quod vult, quàm qui vult id, quod DEUS vult, rectè infertur, eum habiturum semper bonum annum, qui voluntatē suam perfectè cum divina conformat, uti ipse Christus S. Catharinæ Senensi revelavit. Ostendatur ergo practicè, quomodo per annum voluntatem suam in agendo, sustinendo, & patiendo conformare debeant. Vide tit. Resignatio. t. 1. §. 11. n. 3. & §. 12. n. 3.

VI. Ex occasione ejusdem thematis possunt Auditores excitari, ut more Societatis JESU renovationem instituant, in eaque tria observent, quæ in imagine renovanda solent observari, nempe 1. ut abluatur imago per pœnitentiam, velut aquam calidam à sordibus, seu peccatis. 2. Ut in iis partibus, quæ obliteratæ sunt, novi colores, id est, virtutes Christi per imitationem obducantur. 3. Ut velum obducatur firmi propositi, aliorùmque mediorum, quibus pulvis imperfectionum arceatur, & antiquæ occasiones vel consuetudines tollantur. Vide tit. Pœnitentia. to. 1. & to. 3. tit. Christus & Consuetudo. Plures item conceptus in Instruct. 7. pro Festo Circumcisionis.

PRO FESTO EPIPHANIÆ.

I. *Obtulerunt ei munera*: ostendi potest, hoc Festum præter alios titulos Festum donorū appellari, & apud Germanos die Gebnacht: ut ostenderetur, in hoc Festo præcipuè liberales esse debere, tam erga homines, tum & maximè erga DEUM, qui hoc die Gentiles ad se vocando, Catholicam fidem fundavit; quia verò non omnes sciunt, quod donum DEO gratissimum sit, dicat Concionator se id ostensurum, & dividat concionem in tres partes. In prima ostendat, nil gratius illi offerri posse, quàm cor. Eum in finem narret ex Philippo Diez, quòd Eremitæ cuipiam petenti assiduè, ut ostenderet DEUS dignetur, quid ipsi gratissimum offerri queat, Diabolus in specie Angeli apparuent, & dixerit, gratissimum DEO fore, si dimidiam Lunam, rotunditatem Solis, & quartam partem rotæ offerret. Cùmque Eremita hoc non intelligens explicationem à DEO peteret, verum Angelum apparuisse, & dixisse, quòd per dimidiam Lunam litera C, per Solis rotunditatem litera O, per quartam partem rotæ litera R, atque adeò per earum conjunctionem vox *Cor* intelligeretur; hoc enim præ aliis peti à DEO Prov. 23. Fili præbe &c. hinc Ps. 32. singillatim illud creâsse dicitur, & Prov. 4. omni custodia servari cupit, omniáque se daturum 1. Jo. 3. promittit, si cor nostrum non reprehenderit. In secunda parte ostendat, quomodo debeat cor offerre, si scilicet hujus doni plenam dispositionē & possessionē ipsi per amorem relinquant, nullum alium Compossessorem admittendo. hinc dicit: Diliges DEUM ex *toto* corde. & Thomas Kemp. L. 2. c. 7. Dilectus tuus talis est naturæ &c. In tertia exponat causas, cur cor offerre debeant, narrando ex Speculo magno Exempl. V. Dilectio. ex. 2. historiam de Virgine, in cujus corde rupto aureis literis scripta sunt hæc verba: Diligo te plùs quàm me, quia creâsti, redemisti, dotâsti me, in Incarnatione, Eucharistiæ institutione, justificatione, prædestinatione, quæ omnia ex dictis in tit. Caritas cōfirmari possunt.

II. *Obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham:* Matth. 2. ostendi potest, per ista tria dona tres virtutes Theologicas significari, quas ideo offerri voluit DEUS, ut ostenderet, per hæc dona præcipuè honorari Christum, gratiámque illius & favorem acquiri. Ostendatur ergo, quomodo per myrrham fides ob difficultatem amata: per thus spes sursum ascendens: & per aurum ex elementis pretiosissimum Caritas virtutum præstantissima designetur, & declaretur ulterius, quomodo tres Reges has virtutes exercuerint, & quivis Christianus eos imitari debeat; in quem finem servire poterunt, quæ tomo 1. de Fide, Spe, & Caritate sunt dicta.

III. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham:* Matt. 2. dici potest, varias causas à variis assignari, cur aurū, thus, & myrrham DEUS per tres Reges offerri voluerit, præcipuam tamen videri, ut ostenderet, per quæ opera Christiani (quorum primitiæ fuerant tres Reges) suam vocationem certam facere debeant, scilicet per myrrham jejunii, per thus orationis, per aurum eleemosynæ; ostendatur proin, quàm aptè his operibus dona Magorum comparentur, & quomodo per ea, quivis Christianus vocationem suam certam facere, & signum prædestinationis obtinere possit; ad quod servient dicta in titulo Abstinentia, Oratio, Eleemosyna.

IV. *Et procidentes adoraverunt eum.* Matth. 2. ostendatur, quomodo Magi modum verè & fructuosè orandi, & templa frequentādi docuerint, docendo, quid ante ingressum, in ingressu, & post

& post ingressum faciendum sit, de quo vide dicta to. 1. tit. Oratio. § 12. n. 9.

V. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Matt. 2. Dicatur, esse laudabilem morem quorundam Religiosorum, ut in Festo principali renovent vota sua; hunc autem morem Christiano cuivis in hoc Festo utpote principali Christianorum imitandum esse, ideóque præstanda tria, quæ in dicta renovatione votorum præstare solent Religiosi. Et 1. refricetur memoria beneficij per vocationem collati, pro quo to. 1. tit. Fides. serviet. 2. Examinetur, quomodo vocationi satisfecerit, ut errores commissi per confessionem deleantur, mediáque apta pro emendatione inquirantur, de quo vide tur to. 1. tit. Pœnitentia, præcipuè §. 7. & 10. 3. Ut renoventur vota & proposita Christiani in baptismo facta, de quo vide to. 3. tit. Baptismus. Hinc suadet Thom. Kemp. l. 1. c. 19. Circa Festa principalia &c. & fructum hujus renovationis ostendit dicendo ibidem: Secundùm propositum nostrum cursus profectus nostri. Vide to. 4. tit. Christianus. §. 3. 5. & 7.

VI. *Videntes autem Stellam gavisi sunt gaudio magno valde.* Matt. 2. dici potest, varias causas assignari ab Authoribus, cur DEUS Magos per Stellam vocaverit, potissimam videri, ut indicaret, sicut Magi velut primi Christiani per Stellam vocati sunt, ita reliquos quoque Christianos per veram fidem, quam Stella repræsentat, ad DEUM in cælis inveniendum, adorandum, & fruendum pervenire debere. Unde in duas partes concio dividi potest. In quarum prima ostendatur, quomodo Stella Magorum omnes veræ fidei proprietates habuerit, de quo vide to. 1. tit. Fides. §. 11. n. 7. In secunda, quomodo Magi se erga hanc Stellam gesserint, videlicet 1. quòd videntes eam gavisi sint gaudio magno valde, quod idem faciendum Christianis, & quidem tantò magis, quantò plures & digniores fuerunt, quibus hæc Stella non est orta. Vide cit. tit. §. 10. n. 1. & §. 8. toto. 2. Quòd ejus ductum secuti sint; hinc & Christiani juxta principia fidei vivere; certè S. Teresia dixit, omnia vitia Christianorum ex defectu fidei oriri; hinc M. Avila dicere solebat: malos Christianos aut Hæreticorum carcere dignos esse, si non credant articulos fidei: aut Stultorum caveâ, si credant, quæ de cœlo & inferno revelata sunt, & tamen tam malè vivant. 3. Etiam Herodi & aliis eam annunciârunt, & publicè confessi sunt, sic & Christiani non tantùm corde, sed etiam ore & opere confiteri debent juxta illud Rom. 10. corde creditur &c. uti fecerunt SS. Astion & Epictetus Martyres ad omnes quæstiones Præfecti nihil aliud respondentes, quàm Christiani sumus, ut in vitis Patrum legitur apud Rosweid, ut dicere possint cum S. Paulo 2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, fidem servavi &c. Vide plura tit. Fides. §. 5. & to. 4. tit. Christianus. Item Instruct. VII. Exempl. 9.

f. 104.

Index Conc. in Evang. Fest.

PRO FESTO PURIFICATIONIS.

I. *Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino:* Luc. 2. Persuadenda sui-ipsius oblatio ad exemplum Christi, ideóque in Exordio narrandum factum Æschynis pauperis Philosophi, qui, teste Seneca l. 1. de benef. c. 7. cùm alij Socrati Magistro varia dona offerrent, ipse quoque accessit, eúmque sic allocutus est: Video, ô Magister, varia tibi ab aliis dona offerri, ego verò cùm aliud non habeam, nisi meipsum, hoc unicum, quod habeo, totum offero, rogans, ut boni hoc donum consulas, memineris que alios, dum multa tibi obtulerunt, plura sibiipsis reservâsse. Quo audito Socrates respondit: Æquo animo esto, Æschines, profectò enim tu liberalitate tua omnes vicisti. Accipio ergo te, daboque operam, ut te tibi meliorem restituam. Ex cujus historiæ occasione dividi potest concio in tres partes. Et in prima quidem, quomodo oblatio sui sit facienda, per resignationem scilicet voluntatis suæ. 2. Quas ob causas hæc oblatio fit promptè & libenter facienda, quia scilicet donum hoc est *maximum*, cùm nihil sibi offerens reservet: *facillimum & obvium*, cùm ab omnibus, etiam pauperrimis offerri possit: *DEO gratissimum*, quia nihil magis requirit, teste Thoma Kemp. l. 4. c. 8. quid magis à te requiro &c. *Multiplici titulo debitum*, ut S. Bernardus testatur l. de dilig. DEO. dicens: Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto &c. quam sententiam vide in to. 3. tit. Passio Christi. §. 3. In tertia parte dicatur, quòd DEUS quoque sit hoc donum benignissimè accepturus, & meliorem sibi quemque restituturus, meliorem scilicet *in temporalibus bonis*: juxta promissum Christi Matt. 6. Quærite primùm regnum DEI &c. & exemplum Agricolæ to. 1. tit. Resignatio. §. 5. n. 12. narratum. Meliorem *in meritis*, cùm de tali dici possit; sicut de Christo. Luc. 2. proficiebat ætate, & Sapientia &c. nam profectus noster in hac resignatione maximè consistit, teste Thoma Kemp. l. 3. c. 25. & meliorem *in pace & quiete animi*, juxta testimonium Isaiæ 44. v. 8. Utinam attendisses &c. & Thomæ Kemp. l. 3. c. 37. Dixi tibi &c. Vide plura in hunc finem cit. tit. Resignatio.

II. *Omne Masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur:* Luc. 2. potest ostendi, quòd non tantùm in veteri testamento, sed etiam novo DEUS primitias requirat, cùm hoc sit testamentum & lex gratiæ, atque adeò majorem gratitudinem & professionem excellentiæ & potestatis DEI super omnes creaturas exigat. Ostendatur ergo, quales primitiæ sint offerendæ, nempe 1. Primitiæ *vitæ rationalis* seu *Adolescentiæ*, juxta illud Eccles. 12. memento Creatoris, quod tantò promptius faciendum, quantò major inde fructus sperandus, bonum enim est Adolescenti, si jugum portaverit ab adolescentia sua. Thren. 3. v. 37. bonum scilicet ad conservandam inno-

centiam & gratiam: bonum ad facilitatem & consuetudinem in virtutibus obtinendam; bonum ad augenda merita & gloriam: bonum ad fruendam consolationem magnam ante, in, & post mortem. Vade meritò Tobias Filium ab infantia timere DEUM docuit. Tob. c. 1. v. 18. & Anna Samuelem. l. 1. Reg. c. 1. v. 25. 2. Primitias *diei* per Orationem; exemplo Davidis Psal. 62. DEUS &c. ad te de luce vigilo. quod ut nos quoque promptè faciamus, monet S. Chrys. in Psal. 5. dicens: Si os nostrum per orationem munierimus, diurnæ actionis pulchrum fundamentum jacimus. Idem S. Climacus grad. 25. suadet dicens: Da Domino primitias diei tuæ, erit enim ista illius, qui prior occupaverit; unde Dæmonem specialem, qui *præcursor* vocatur, & primas diei cogitationes vendicare sibi conatur, constitutum dicit: vide de hoc plura in Fabro conc. 2. in hoc Festo. 3. Primitias *cujusvis actionis* per bonam intentionem: juxta monitum D. Pauli. 1. Cor. 10. v. 30. sive ergo manducatis &c. & exemplum Abelis Gen. 4. adipem offerentis, adeps autem est gloria divina, quæ per intentionem bonam quæritur; sicut enim DEUS dixit: Gloriam meam alteri non dabo, ita & de adipe dixit: Lev. 3. v. 16. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo. Sic S. Greg. Naz. fecit dicens: Tibi Christe vivo, tibi loquor, tibi Christe sedeo, tibi incedo, quandoquidem me manu Regis. Sic & Ecclesia præit exemplo, omnes horas incipiens à versu *DEUS in adjutorium &c.* Quo fructu autem hoc sit faciendum, testatur S. David Psal. 1. dicens: Et erit tanquam lignum &c. expeditus S. Petrus Luc. 5. v. 5. in verbo Christi laxans rete, & copiosam piscaturam faciens.

III. *Lumen ad revelationem gentium*: Luc. 2. potest dici Folietam Historicum Genuensem, ut indicaret, se utilitati eorum studendo se consumere, candelam ceream ardentem in symbolum assumpsisse cum hoc lemmate: *Vestros consumor in usus*; hoc autem potiori jure Christum dicere potuisse, ut qui verè per cereum significatur, quia ex Virginea carne velut purissima cera factus: tum quia animam quoque purissimam & tenerrimam velut lychnum aptissimum igni fovendo convinctam habuit, & quia accensus caritate nostros in usus consumptus fuit, unde S. Bern. f. 3. in circumcis. ait: Totus mihi datus, & totus in meos usus consumptus. Imò Guerricus s. de purif. quasi prodigum esse dixit: O Deum, si fas est dicere prodigum sui præ desiderio hominis; an non prodigum, qui non solùm sua, sed & seipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi, quàm ipsi homini. Ostendatur dein quoquomodo hunc cereum in manus sumere, id est, cum fiducia invocare debeamus, 1. tempore orationis exemplo Ecclesiæ omnes Orationes cum clausula *per Christum* claudentis, hinc ipse Joannis 16. v. 13. hortatur: Amen dico &c. 2. Tempore tempestatis, spiritualis præcipuè seu tribulationis; si enim cereus materialis toties contra hanc profuit, quantò magis Christus proderit, à quo ille virtutem accipit. Experti Apostoli in tempestate maris; & S. Catharina Senensis, quæ gravissima tentatione carnis pulsata cùm Christum ipsam visentem quæreret, cur se in illa tentationis tempestate reliquisset, eundem respondentem audivit: In medio tuo pectore eram, & te custodivi, ne consentires tentationi. 3. Tempore mortis: juxta illud Christi Luc. 12. v. 35. Sint lumbi &c. tunc dicendum cum David Psal. 22. v. 4. Si ambulavero &c. cum S. Paulo Rom. 8. v. 3. Si DEUS pro nobis, quis contra nos? aut cum Job c. 17. v. 3. Pone me, Domine &c. sic dicemus cum Simone: Nunc dimittis &c. vide Engelgr. Cœl. §. 3. in hoc Festo. & to. 3. Bibl. tit. Christus.

IV. *Lumen ad revelationem gentium*. Luc. 2. Potest sacrorum cereorum cæremonia explicari & defendi, eum in finem pro exordio narretur, olim apud Romanos ludum fuisse, in quo singuli certantes lumen manibus ferre cogebantur ea conditione, ut vinceret, qui lumen in extinctum servabat. Subinferatur similem ludum à Christo institutum per cereorum usum, hinc Luc. 12. v. 35. dicebat: Sint lumbi &c. verùm Hæreticos conari omnibus viribus extinguere hos cereos, unde ostendendum 1. quàm sapienter instituta sit hæc ceremonia referendo & explicando fines, ob quos instituta est. 2. Refutandæ sunt objectiones Hæreticorum quatuor, velut totidem venti à quatuor plagis mundi flantes, nempe quòd hæc cæremonia superstitiosa sit: quòd sit Ethnica: quòd prodigalitati obnoxia: quòd ridicula, dum de die lumen accendimus, quasi DEUS parùm videret, ad quæ omnia fusiùs proponenda videri possunt Faber in hoc Festo c. 7. & Georg. Scherer conc. 3.

V. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*. Luc. 2. dici potest, Sponsam Cant. 1. v. 4. mirabilem sententiam de se protulisse, dum dixit: Nigra sum sed formosa; si enim nigra fuit, quomodo formosa esse potuit; neque enim nigri homines inter formosos numerantur. Sed hoc dubium ipsa statim solvit, dum addidit: sicut tabernacula Cedar &c. quæ foris quidem nigra erant propter tempestatem, intus autem auro pulcherrimè exornata; sic ergo & Sponsa foris quidem, & in conspectu hominum se nigram & vilem esse reputatam fatetur, sed intus seu in animo totam formosam fuisse, uti David Psal. 44. de ea testatur dicens: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Quod Sponsa de se fassa est, id pariter de se B. Virgo in sua purificatione fateri poterat, & dicere; *Nigra sum, sed formosa*: id quod in ipsa concione fusiùs demonstrabitur, quæ proin in 3. partes dividetur.

In prima ostendatur, quomodo B. Virgo tempore Purificationis nigra fuerit, seu se humiliàrit, dum instar aliarum mulierum, quæ in peccato conceperunt, ideóque purificari debuerunt, purificationis legem implere voluit; cujus humiliationis difficultas & magnitudo ex dignitate Personæ fusiùs demonstretur.

In

In secunda parte ostendatur, quàm formosa fuerit B. Virgo in conspectu DEI ob hanc humilitatem, id est, quantopere DEO placuerit: nihil enim, teste S. Hieronymo ad Celantiam, nihil est, quod nos ita hominibus gratos & DEO faciat, quàm si vitæ merito magni, sed humilitate infimi simus; nam, ut S. Bernardus f. super missus ait, non magnum est esse humilem in abjectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Ostendatur ergo, quàm magna in dignitate constituta fuerit B. Virgo (pro quo probando tit. Hyperdulia Mariana tom. 1. §. 3. videri potest) quantàque adeò humiliatio fuerit, dum peccatricibus Mulieribus annumerari voluit, & per consequens, quantopere DEO per hunc actum placuerit, ac in ejus conspectu formosa fuerit.

In tertia parte ostendatur, quo medio B. Virgo usa fuerit ad tantam humilitatem exercendam, scilicet eodem, quo Sponsa usam se fuisse fatetur dicens: *Quia decoloravit me Sol:* id est, Christus exemplo suo, id quod more suo pulchrè S. Bernardus s. 3. in purif. indicat, dum B. Virginem sic loquentem inducit: Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritûs sancti? cur non ingrediar templum, quæ Dominum genui templi? Verè, ô B. Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione: sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & Filius tuus sic est in numero peccatorum. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi studeant excitare se gemino hoc Christi & B. Virginis exemplo ad similem humilitatem exercendam; nec curent, si nigri, id est, quoad statum aut æstimationem viles sint apud homines, sed potiùs gaudeant se esse formosos & gratos in conspectu DEI, nam, ut rectè S. Ambrosius dixit, si gloriandum est Christiano, de sola humilitate gloriandum est, utpote de qua sola crescitur apud DEUM. Dicant proinde cum S. Paulo Gal. 6. Mihi autem absit gloriari &c. sibique applicent consilium Ecclesiastici c. 11. v. 22. Confide, & mane in loco tuo &c.

VI. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen erat Simeon, & homo iste justus & timoratus.* Luc. 2. Ex hoc themate potest occasio sumi excitandi Auditores ad dispositionem pro felici morte suscipiendam; quem in finem concio dividi potest in duas partes.

Et in prima quidem ostendi, quanti intersit uniuscujusque hominis felicem mortis articulum sortiri, utpote à quo tota felix aut infelix æternitas dependet; quámque adeò metuò Christus toties in Evangelio hortatus sit, ut homines ad mortem se pararent. Sint lumbi &c. Et vos estote parati &c. Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

In secunda parte doceatur exemplo Simeonis, quæ sit dispositio optima ad mortem, scilicet triplex, 1. Ut quis, sicut Simeon, sit justus & timoratus; nam vita optima est optima dispositio ad mortem juxta notum axioma: Qualis vita, mors ita. **Wie das End/ also die Lend.** 2. Præsentia B. V. quæ sudorem detergit, ut facit Viduæ in Spec. Exempl. tit. Bona. ex 8. & contra Dæmones fortiter protegit terribilis illis ut castrorum acies ordinata; hinc Ecclesia illam præcipuè pro hoc articulo invocare docuit in Salutatione Angelica. 3. Si Christum in ulnis, imò in pectore habeamus; tunc enim dicere audacter poterimus: Si DEUS pro nobis, quis contra nos. Et cum Simeone: Nunc dimittis &c. hinc ab Ecclesia per modum viatici datus in ulnas offertur. Excitentur proinde Auditores ad hanc triplicem dispositionem procurandam, ut cum Joanne Berchmanno è Societate Regulas, Rosarium & Crucifixum in manibus gerente dicere possint: Cum his tribus libenter moriar. Vide plura tom. 3. tit. Mors.

PRO FESTO S. SEBASTIANI.

I. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. 6. Ex hoc textu sumatur occasio excitandi Auditores ad S. Sebastianum omni studio colendum. Eum in finem concio dividatur in duas partes, in quarum prima ostendatur, cur S. Sebastianus singulariter colendus sit, nempe ut à peste (cujus morbi gravitas ex vehementia veneni graviter cruciantis, citò perimentis, & facilè alium invadentis, **erblich** demonstretur) nos liberet; pro cujus confirmatione narretur historia de Angelo tempore pestis in civitate aliqua circumeunte, domósque tot ictibus, quot homines mori ex illa domo debebant, percutiente: postea verò ob preces publicas indictas manifestante cuipiam pio Seni, aversum iri hoc malum, si ara in honorem S. Sebastiani exstrueretur. In secunda ergo parte ostendatur, quomodo nunc quoque ara spiritualis à quovis erigenda sit in honorem S. Sebastiani, atque adeò 1. ponenda sit pro hoc altari erigendo basis seu magna æstimatio de hoc Sancto concepta; ad quam æstimationem concipiendam juvare poterit, tum DEI ipsius tantopere S. Sebastiani cultus, propagantis judicium, tum communis hominum erga ipsum affectus & veneratio. 2. erigendæ sint columnæ, & reliquæ partes Altaris, id est, firma fiducia concipienda, eáque per feriam & frequentem invocationem, aliáque pia opera, v. g. devotas preces, confessionem, communionem, jejunium, eleemosynam &c. demonstranda. 3. Ipsa S. Sebastiani imago seu vita Altari inserenda sit cum hac inscriptione: Ut impetres orationis ejus suffragium, non deferas conversationis exemplum; unde enarrentur, quæ imitari in S. Sebastiano Auditores debeant, videlicet fidelitatem & fervorem in servitio divino, ac mandatorum observantionem, zelum & caritatem erga salutē proximi, cui assiduè succurrebat, hortando, & animando, & constantiam in sustinendo Martyrio, quæ omnia facilè ex vita amplificari possunt.

II. *Omnis turba quærebat eum tangere.* Luc. 6. Ex occasione hujus sententiæ excitari

possunt Auditores ad pestem peccati vitandam, & ideo ad S. Sebastianum quoque ferventiùs colendum & invocandum. Dividatur itaque concio in duas partes, in quarum prima ostendatur, quòd peccatum velut pestis animæ multò vehementius sit timendum, quàm pestis corporalis, quia hæc quidem facile contrahitus (ist ertblich) citò perimit, ab omnibus Amicis deseri facit, gravem cruciatum affert, quæ omnia mala plùs longè peccato conveniunt, ut quod etiam animam occidit; unde meritò huic pesti applicari potest illud Christi dictum Matth. 10. Nolite timere &c. In secunda parte ostendatur, cùm S. Sebastianus & DEUM & homines summè semper dilexerit, atque adeò illud maximè malum avertere cupiat, quod DEO magis displicet, ejúsque honorem & amorem impedit, & hominibus magis est nocivum, quàm libenter concursurus, & suum patrocinium oblaturus sit pro hac longè graviori peste avertenda, qui pro peste corporali extinguenda tam propitium & sollicitum se præbet. Excitentur proin Auditores, ad novam fiduciam vel hoc etiam titulo erga ipsum concipiendam, variâque devotionis annuæ, menstruæ, hebdomadariæ, quotidianæ pensa persolvenda. Vide tom. 3. tit. Peccatum.

III. *Venerant, ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis.* Luc. 6. Ex occasione hujus textûs excitari possunt Auditores, ut pro peste avertenda faciant, quòd David pro aversa fecit, dum scilicet, postquam misertus est Dominus super afflictionem, & Angelo Populum percutienti dixit: Sufficit, nunc contine manum tuam, altare exstruxit, plaustra boum in usum lignorum concidit: & holocaustum obtulit. l. 2. Reg. c. 24. Ostendatur ergo per tres partes, quomodo hæc tria spiritualiter fieri debeant. Et 1. quidem, quomodo plaustra boum comburenda, id est, servilis labor deponendus, festúsque dies instituendus ad honorem DEI & S. Sebastiani, ut sublato labore divinis officijs vacari possit. Non verò à corporali duntaxat, sed etiam spirituali labore abstineatur, eo nempe, de quo Is. 43. c. dicitur: Verumtamen servire me fecisti in peccatis meis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus meis. Quomodo enim grata potest esse cessatio à labore, si ad peccata & offensas DEI adhibeatur. Certè incassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus mens dimissa vitiis dissipatur: ut S. Greg. in Past. rectè notavit. 2. Ostendatur, quomodo altare erigi debeat, id est, preces in Area Arcunæ, seu arcæ, coram Ven. Sacramento, & unanimiter, tum quia sic verificatur illud Christi Matth. 18. Si duo consenserint; tum quia sic multi minimi, dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impossibile est non audiri, ut S. Ambrosius l. de pœn. testatur; tum quia sic preces de se exiguæ unitæ, cum aliis faciliùs acceptantur, ut nummus malus cum multis bonis, & maximè cum precibus S. Sebastiani. 3. Quomodo holocaustum offerri debeat, tum per Sacramentum Confessionis, de quo dicitur Psal. 50. Sacrificium DEO &c. tum per Sacramentum Eucharistiæ susceptum, quod est holocaustum DEO gratissimum. quæ omnia facilè fusiùs deduci possunt, & ad S. Sebastianum applicari.

IV. *Gaudete & exultate in illa die, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Luc. 6. Ex occasione hujus textûs potest narrari pactum Jonathæ cum Davide, & signum, quod dedit illi, gratiæ apud Saulem obtentæ, si scilicet Puero diceret: Ecce sagittæ iuxta te sunt. l. 1. Reg. c. 20. & ostendi, nullum certiùs esse signum amicitiæ & gratiæ apud DEUM obtentæ, quàm si dici de aliquo possit: Ecce sagittæ tribulationum intra te sunt. id quod 1. probetur authoritate S. Scripturæ Tob. 12. Quia acceptus &c. Hebr. 12. Fili mi &c. Jac. 1. Omne gaudium &c. 2. Authoritate SS. Patrum, quos vide tom. 1. tit. Patientia. §. 3. & 4. 3. Exemplis Christi, B. Virg. & S. Sebastiani, cujus tribulationes & Martyrium breviter narretur, & inde inferatur, quàm magnum oporteat esse amicum DEI, quámque adeò meritò invocetur pro peste avertenda. Excitentur proin Auditores ad illum novo fervore colendum & invocandum, atque ut preces efficaciores sint, etiam imitandum in sagittis tribulationum fortiter excipiendis, ut sicut socij passionum fuerint, ita & gloriæ sint futuri.

V. *Beati eritis, cùm vos oderint homines.* Luc. 2. Ex cujus textûs occasione ostendi potest, quàm verè S. Job c. 7. dixerit, militiam esse vitam hominis super terram, cùm etiam domestici, id est, ipsi homines ejusdem naturæ participes fiunt inimici hominis, quàm æquum proin sit, ut omnes bene certare discant, id quod à S. Sebastiano discere poterunt. Unde concio in duas partes dividi potest, & in prima ostendi, quàm bene S. Sebastianus sit functus militis officio. 1. dum Duci suo Christo summè obediens fuit; hinc jussa magis illius quàm Diocletiani implevit usurpans illud Apostolorum act. 5. Obedire oportet &c. 2. dum pariter summè fidus fuit, nec minis, nec promissis abduci se sinens, quæ omnia ex vita demonstrentur. 3. dum constanter usque ad finem certaminis certavit, sciens, quòd nemo coronabitur, qui non legitimè certaverit, & perseveraverit usque in finem. id quod pariter ex vita demonstrandum, ita ut meritò cum S Paulo 2. ad Tim. 4. dicere potuerit: Bonum certamen certavi. In secunda parte ostendatur, quomodo se excitârit ad hoc certamen, scilicet proponendo sibi præmium promissum: Gaudete &c. fecit proinde, quod David 1. Reg. 17. quærendo, quid dabitur viro, qui percusserit Philistæum, aut Tyrannum Diocletianum vicerit, cùmque audisset, quòd Rex cælestis eum ditabit divitiis magnis, & Filiam suam, id est, beatitudinem dabit, generosè eum aggressus sit, & vicerit. Unde explicetur hæc magnitudo præmij, & quàm potenter S. Sebastianum roborarit dum DEUS & Ecclesia illi quasi dixerunt id, quod Mater

Macha-

Machabæorum Filio dixit 2. Mach. 7. Pero nate &c. Excitentur Auditores ad imitandum S. Sebastianum fortiter certando contra Persecutores homines, oppugnantes dæmones, & proprias passiones velut domesticos inimicos, eúmque in finem usurpetur illa S. Chrysostomi sententia in 6. Lect. diei 7. in Octava SS. Omn. citata: Apostoli Christi &c. Unde tu delicatus es miles &c. Vide tom. 3. tit. Beatitudo.

VI. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. 2. Ex hoc textu sumatur occasio demonstrandi, quomodo S. Sebastianus cum aulica, & militari vita sanctitatem conjunxerit. Dicatur ergo in exordio, multa miracula fuisse à S. Sebastiano patrata, sed maximum fuisse, quòd sanctitatem cum aulica & militari vita conjunxerit, hoc enim rarissimum & difficillimum esse miraculum. In prima postea parte ostendatur, quàm multa pericula in aula & militia reperiantur ad peccandum, maximè superbiæ & ambitionis propter honores: luxuriæ propter fœminas pulchritudine & vestitu decoras: gulæ & ebrietatis propter abundantiam cibi & potûs: avaritiæ & injustitiæ propter divitias; iracundiæ & sævitiæ propter potentiam; invidiæ propter æmulos: & quomodo hæc omnia pericula superârit. In secunda parte ostendatur, quo medio sit usus, scilicet quo P. Araozius è Societate JESU Confessarius Regis Hispaniæ usus est, qui interrogatus, quo medio se contra pericula Aulæ tueretur? respondit, per herbam timoris DEI se illæsum manere. Ostendatur ergo, quantam vim hic timor habeat ad pericula talia vitanda, & quomodo S. Sebastianus eâ sit usus, ipsique etiam Auditores usurpare debeant; ut sanctitatem cum suo statu conjungant; nam quemvis in suo statu sanctum fieri posse patet ex pluribus exemplis in vita S. Macarij apud Rosweydum narratis, ubi DEUS ostendit S. Macario, illi duas uxores, & alias Mercatorem in meritis & sanctitate parem esse.

PRO FESTO S. MATTHIÆ.

I. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. Ex hoc textu sumi potest occasio Auditores ad humilitatis studium excitandi. Et in prima quidem parte ostendi potest, cur Christus humilitatem ante alias virtutes à se disci voluerit, nempe quia scientia hæc ante alias summè necessaria, utilissima, dignissima, jucundissima, & facillima est, pro qua assertione demonstranda vide tom. 1. tit. Humilitas. §. 8. In secunda parte ostendi potest, quibus mediis præcipuè utendum sit ad hanc scientiam addiscendam, scilicet exemplo Christi (cùm teste S. Ambrosio primus discendi ardor sit nobilitas Magistri; nec in tantum provehi possit qualibet felicitas humana, ut æstimet sibi pudendum, quod DEUS in forma Servi non est arbitratus indignum, ut S. Leo s. de resurr. rectè advertit) & ponderatione præmij humilibus promissi, de quo vide tit. Humil. §. 9. n. 8. Claudatur concio memorabili sententia in cit. tit. humilit. §. 3. n. 14. Frustra appellamur Christiani &c.

II. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. Ex quo textu occasio sumi potest aliter humilitatem commendandi, dicendo scilicet, gaudere plerumque Discipulos, si Magistri doctrinam in compendio habere possint; meritò ergo Auditores gratias agere debere S. Paulo, quòd in sua ad Philipp. Epistola c. 2. v. 5. compendium doctrinæ totius de humilitate proposuerit, & 1. quidem, quid sit humilitas, per illa verba: *Humiliavit semetipsum formam Servi accipiens*: ostenderit. 2. Quo medio utendum sit, per illa verba: *In similitudinem hominum factus*: declarârit, scilicet exemplo Christi. 3. Quis fructus inde sperari possit, per illa verba: *Propter quod exaltavit illum DEUS*: indicârit. Pro quibus meliùs declarandis vide tom. 1. tit. Humilitas. §. 10. n. 4. q. 1.

III. *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. Ex cujus sententiæ occasione monstrari potest, cur Christi jugum, scilicet observatio Mandatorum DEI, præ omnibus aliis, maximè autem præ jugo Mundi, Carnis, & Diaboli sit suscipiendum, ad quem finem usurpetur sententia S. Bernardi in aliquo serm. dicentis: Mundus dicit: Ego deficio. Caro dicit: Ego inficio. Diabolus: Ego decipio. Christus: Ego reficio. Ostendatur ergo in prima parte concionis, quomodo Mundus deficiat; id quod probari potest testimonio S. Joannis 1. c. 2. Nolite diligere Mundum &c. deinde experientiâ Salomonis de se fatentis Ecclef. 2. c. 11. Cùmque convertissem &c. & tandem exemplo narrato à Discipulo lit. M. ex. 68. quòd scilicet Mundi gloria apparuerit Nobili cuipiam in specie Mulieris secundùm anteriorem partem speciosæ, secundùm posteriorem verò plenæ vermibus, putredine, immunditiâ; cumque interrogata, quæ esset, respondisset: Ego sum gloria Mundi, & hi sunt fructus mei: Nobilis detestans hanc vanitatem sæculo renuntiavit. In secunda parte ostendatur, quomodo Caro inficiat, corpus quidem assimulando bestiis, destruendo sanitatem, accelerando mortem, & pœnas gravissimas in hac & altera vita: animam verò per maculam peccati; famæque imminutionem, qua nulla re magis, quàm per carnis delicias amatas læditur. In tertia parte ostendatur, quomodo Diabolus decipiat promittendo bona ficticia & inania pro veris, fluxa & momentanea pro perpetuis, & promittendo tantùm non exhibendo, uti in exemplo Christi per Dæmonem tentati fusiùs ostendit Faber Dom. 1. Quadr. conc. 2. In quarta tandem parte ostendatur, quomodo Christus reficiat, quoad corpus, dum nihil deesse patitur sequentibus se, uti Apostoli testati sunt, & experti: animam verò requie & consolationibus cælestibus, & præcipuè sua dilectione, uti S. Ber-

S. Bernardus in jubilo testatur, canens : Tua JESU dilectio, grata mentis refectio.

IV. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Ex hujus sententiæ occasione ostendi potest, quomodo Christus reficiat, scilicet triplici modo. 1. *Adjutorio suo*, seu gratia : ipse enim est vitis, nos palmites. Jo. 15. Unde sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec nos, nisi per Christi gratiam. Unde rectè quidam ex SS. Patribus ait : Qui mihi oneris est Author, ipse erit administrationis Adjutor, & ne sub magnitudine sarcinæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Hinc S. Paulus 1. Cor. 15. cùm dixisset, se plus omnibus laborâsse, mox addit : non ego autem, sed gratia DEI mecum. Unde sic animatus est, ut diceret 4. Philip. v. 3. se omnia posse in eo, qui se confortat. 2. *Exemplo suo* : ita quondam S. Gertrudi ostendit, dum visus est illi per viam spinosam suos ducere, sed priùs sua cruce spinas, id est, difficultates removere. Hinc Sophon. 3. v. 9. promisit, se effecturum, ut serviat ei Populus suus in humero uno, quia scilicet altera pars jugi tanquam principatus factus est super humerum ejus. Isaiæ 9. v. 6. Si ergo Proceribus Abimelech Jud. 9. facilè fuit ramos de arboribus resecare, & domum ferre, quia ipsum ducem ducentem audiverunt : Quod me videritis facere, & vos facite : Si Milites Alexandri Magni per medias nives & prærupta Montium alacres perrexerunt, quia Ducem præeuntem viderunt, quidni idem potiori jure exemplum Christi efficiat ? Certè ob hanc causam Sponsa Cant. 1. v. 12. Fasciculum Myrrhæ, non fascem gravem, vocavit dilectum suum. 3. *Solatio suo* : sicut enim boum juga mollibus pannis fulciuntur, ne nimiùm lædant, aut gravent, ita Christus jugum servis suis imponi solitum consolationibus suis fulcit. Hinc S. David psal. 93. ait : Secundùm multitudinem dolorum &c. & S. Paulus 2. Cor. 7. v. 4. Repletus sum consolatione &c. ut adeò veriùs Christus de suis legibus, quàm M. Aurelius Imperator de suis dicere possit : Leges meæ tum juga sunt, sub quibus mali arant : tum alæ, quibus boni volitant, & libero cælo fruuntur. Excitentur proin Auditores, ut jugum hoc tollant alacriter, & portent constanter, ut in hac & altera vita refici mereantur. Vide tom. 3. tit. Exemplum. & tit. Christus.

V. *Discite à me, quia mitis sum.* Matth. 11. Ex hujus sententiæ occasione dici potest, esse consuetudinem aut legem in aliquibus Academiis, ut singuli Discipuli duas lectiones audire cogantur. Eundem morem servare Christum, hinc duas lectiones præscripsisse humilitatem & mansuetudinem, de quarum priore quia aliàs dictum, nunc posteriorem commendandam. Dividatur ergo concio in duas partes, & in prima quidem ostendatur, quomodo mansuetudo sit exercenda, præcipuè 1. in *conversatione* exemplo Christi, de quo S. Bernardus s. in Cœna Dom. ait : JESUS erat dulcis in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere. Hinc Sponsa Cant. 4. de ipso ait : Favus distillans labia tua &c. 2. in *contradictione seu persecutione* : ut non respondeatur durè, nam servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, teste Paulo 2. Tim. 2. Responsio enim mollis frangit iram. Prov. 15. v. 1. ut Abigail exemplo suo docuit. 1. Reg. 15. 3. in *correptione* : juxta monitum D. Pauli Gal. 6. v. 1. Fratres, si præoccupatus &c. Hinc præclarè S. Augustinus tr. 7. in Epist. S. Joannis ait : Breve tibi præceptum proponitur : Dilige, & fac, quod vis. Radix sit intus dilectionis, non potest de illa nisi bonum procedere. Vide de hoc plura tom. 1. tit. Mansuet. §. 10. n. 1. & 3. & tit. Dilectio proximi. §. 3. à n. 25. In secunda parte ostendatur, quale præmium sperare possint Discipuli Christi, qui lectionem Mansuetudinis diligenter didicerint, scilicet illud, quod Christus Matth. 5. v. 4. promisit, dicens : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, quadruplicem scilicet, quam dicto tit. Mansuetudo. §. 11. n. 2. vide explicatam, ubi etiam plures conceptus de hac materia reperies.

PRO FESTO ANNUNCIATIONIS.

I. AVe gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1. Ex occasione hujus textûs ostendi potest, quomodo B. Virgo verè fuerit gratia plena, uti demonstrari potest tum testimoniis SS. Patrum tom. 1. tit. Hyperdulia Mariana §. 3. n. 29. & seq. tum ex titulis & fontibus, ex quibus hæc plenitudo processit, quos vide l. c. §. 9. n. 1. & 3. Unde Auditores ad fiduciam & venerationem excitandi, cùm passim videamus, eos, qui multa à Rege impetrare cupiunt, ad illos maximè confugere, quos Regi magis gratos esse cognoscunt. Vide l. c. §. 4. & 5.

II. *Spiritus sanctus superveniet in te.* Luc. 1. Ex cujus textûs occasione demonstrari potest, quòd B. Virgini contigerit, quod Estheri olim evenit ; nam & ipsa per aliquot annos præparata erat in templo, & inde præ reliquis placebat Spiritui sancto, ac eòque in Sponsam accepta est, ex quo dignitas incredibilis ei exorta, quæ explicanda & probanda ex titulo Filiæ Patris, Matris Filij, & Spiritûs sancti Sponsæ. Unde excitandi Auditores ad amorem, cultum, & fiduciam, pro quibus vide l. c. §. 3. n. 42. & 55. & sequent.

III. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* Luc. 1. Ex cujus textûs occasione dici potest, etsi videri possit, B. Virginem tantùm esse factam Matrem Christi, verè tamen etiam factam esse Matrem nostram, cùm hoc ipso, quòd Christum Servatorem genuerit, etiam nos regeneraverit, unde Christus hoc die, nempe 25. Martij, etiam pati, & in cruce dicere voluit : Ecce Mater tua. Ostendatur ergo in prima parte, quàm perfectè materna officia, generando, alendo, protegendo, hæreditatem æter-

æternam procurando exercuerit. In secunda verò parte ostendatur, quomodo vicissim officia Filij, amando, confugiendo, honorando exercere debeamus; pro quo vide tom. 1. tit. Hyperdulia Mariana, §. 3. n. 10. & seq. & §. 4. à n. 9. & ibi passim.

IV. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. Ostendi potest, quàm verè officium fidelis & humilis ancillæ impleverit B. Virgo, ita ut de ea verius, quàm de Davide ps. 88. v. 21. dicere potuerit DEUS: Inveni &c. qui faciet *omnes* voluntates meas. faciendo semper, quæ voluit DEUS, quo modo voluit, & quia voluit juxta notum illud distichon:

Omne tulit punctum patitur, qui semper agitque,
Quæ vult, quóve modo vult DEUS, & quia vult.
Thuen allzeit/ was/ wie/ weils GOtt will/
Ists Menschen allerhöchstes Zihl.

In secunda parte ostendatur, quomodo B. Virgo, sicut cum Davide fidele DEO servitium præstitit, ita simile quoque præmium obtinuerit, nempe quòd DEUS oleo sancto unxerit eam, manu sua auxiliatus sit illi, & brachio suo confortârit eam; quæ omnia vide tom. 1. tit. Resignatio. §. 9. n. 1.

V. *Benedicta tu inter mulieres.* Luc. 1. Ex hujus textûs occasione demonstrari potest, quòd, sicut DEUS voluit B. V. eligere in Matrem Filij, atque adeò in reparatricem secundariam salutis nostræ, ita etiam per illam velut præcipuum post Christum instrumentum exequi velit redemptionis & prædestinationis nostræ beneficium, & nullam gratiam conferre, nisi per ipsam, ita ut meritò collo in Ecclesiæ corpore comparetur, per quod ex Christo velut capite omnes gratiæ descendere debent in reliqua membra, unde S. Bernardus f. in Nativ. Virg. ait: Ex hoc beatam te dicent &c. vide tom. 1. Hyperdul. Marian. §. 3. n. 48. & S. Germanus f. de Zona B. V. Nullus est, qui salvus fiat &c. ibid. n. 51. In secunda parte ostendatur, quomodo idipsum in praxi semper sit observatum, ita ut, sicut olim Pharao Gen. 41. dixit Subditis aliquid petentibus: Ite ad Joseph; ita nunc dicatur Christianis aliquid petentibus: Ite ad MARIAM, ad quem finem servire possunt plurima exempla cit. tit. §. 4. à n. 39. & §. 3. à n. 42.

VI. *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. Ex hujus textûs occasione ostendatur, quòd hoc fuerit symbolum B. Virginis, in prosperis æquè ac adversis usurpatum, id quod totam ipsius vitam percurrendo facilè probari potest. In secunda verò parte ostendi potest, quòd per & propter hæc verba opere completa, facta sit Mater DEI, atque adeò etiam Regina cæli; si enim juxta Senecam: Rex est, qui metuit nihil, Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat, meritò B. Virgo præ omnibus hominibus Regina dici potuit, ut quæ præ omnibus nihil cupierit præter DEUM, ita ut cum Esthere c. 14. v. 18. dicere cum veritate potuerit: Tu scis, quòd nunquam lætata sit Ancilla tua, nisi in re Domine DEUS Abraham. Deinde verò etiam timuerit nihil, quia cum veritate applicare poterat illud S. Chrysostomi: Quid timet homo in sinu DEI positus? tu de sinu ipsius noli cadere, & omnia, quæ tibi evenerint, in bonum cedent. verè enim diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. v. 18. unde dicebat cum S. Paulo l. c. Quis me separabit &c. Excitentur proinde Auditores, ut, cùm servire DEO regnare sit, & hoc regnum sibi quisque det, ipsi quoque veri Reges fieri studeant assumendo B. Virginis symbolum, & ubique dicendo: *Fiat mihi &c.* eúmque in finem B. Virginem rogent, ut, quemadmodum Bersabea Salomoni Filio impetravit regnum l. 3. Reg. c. 1. ita & ipsa gratiam saltem impetrare dignetur, quâ regnum hoc nobis ipsis dicto modo procurare, sicque ejusdem velut veræ Reginæ veri Filij, & regni quoque cælestis participes fieri possimus.

IN FESTO S. GEORGII.

I. *Manete in me, & ego in vobis.* Jo. 15. Potest ostendi, quòd S. Georgius meritò dicatur Eques, ein Ritter, eò quòd habuerit omnes conditiones ad verum Equitem requisitas. Nam 1. fuit *Nobilis* non profanâ & falsâ, sed vera nobilitate, de qua S. Bernardus dixit: Sola vera nobilitas est, clarum esse virtutibus. Unde explicentur potiores illius virtutes, præcipuè Fides, Spes, Religio, Prudentia, Temperantia & similes. 2. fuit *Miles* fortiter certans contra Tyrannum & Dæmonem, qui per Draconem illi appingi solitum intelliguntur. 3. gestavit in pectore torquem aureum, & in eo pendentem Christum crucifixum, quia amore Christi omnia promissa, & minas Tyranni generosè contempsit dicens cum S. Paulo Rom. 8. In his omnibus superamus &c. &, Quis me separabit. Excitentur proin Auditores, ut ob oculos habeant S. Augustini f. 47. de Sanct. sententiam: Quotiescunque &c. vide tom. 1. tit. Sanctorum cultus. §. 3. n. 12. & ostendatur, quomodo S. Georgium imitari debeant, in patientia præsertim, & certamine contra Dæmones &c.

II. *Sine me nihil potestis facere.* Jo. 15. Dicatur, quærere aliquos, cur S. Georgius in equo cùm lancea Draconem perimens proponatur; ad quam quæstionem varij variè respondeant; optimam autem videri, quòd Ecclesia velit, ut aspiciamus hoc exemplar, & imitemur illud perimendo Draconem toti humano generi nocentissimum. quis autem hic Draco sit, & quomodo ad exemplum S. Georgij superandus & occidendus, in hac concione dictum iri. In prima ergo parte ostendatur, quòd Draco iste non alius sit, quàm ira, cùm sit *torva* aspectu, uti in iratis patet; *insperatò invadens*, cùm irati, ubi minimè timebatur, invadant; graviter nocens bonis fortunæ, corpori, animæ, uti patet exemplo Herodis innocentes occidi jubentis, aliorúmque Tyrannorum, maximè au-

tem illius Itali, qui inimicum suum cùm in terram prostravisset, primò mortem minatus est, nisi DEUM & Sanctos abnegaret: quâ abnegatione factâ, mox gladium cordi ejus infixit, & postea etiam sibi ipsi, ut statim cum ipso in infernum descendere, & æternùm cruciare posset. In secunda parte ostendatur, quibus mediis S. Georgius Draconem interemerit, scilicet equo & lanceâ; per equum intelligatur gratia divina juxta illud Thomæ Kemp. l. 2. c. 9. Satis suaviter equitat, quem gratia DEI portat. Hic meritò illud Salomonis Sap. 8. Scio, non possum esse continens (etiam ab ira) nisi DEUS det. & illud Christi Jo. 15. Sine me nihil potestis facere. Per lanceam ferro munitam intelligatur serium propositum abstinendi, quia, teste Thoma Kemp. l. 1. c. 19. Secundùm propositum nostrum cursus profectus nostri &c. ubi narrari potest exemplum illius Domini, qui, ubi Famulum suum ad iram summè pronum, advertit ob paucos nummos promissos tam facilè ab ira abstinuisse, etiam ipse sibi emendationem quoad hoc vitium possibilem judicavit, & manum adhibuit. Vide plura tom. 2. tit. Iracundia.

III. *Manete in me, & ego in vobis.* Jo. 15. Ostendi potest, quomodo illa tria erga S. Georgium observare debeamus, quæ S. Bernardus in Festivitatibus Sanctorum consideranda esse dixit, nempe auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram; quam sententiam vide tom. 1. tit. 30. §. 3. n. 1. in quo loco etiam reliqua ad conceptum hunc dilatandum opportuna reperientur.

IV. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum.* Jo. 15. Ostendi potest, quomodo manere debeamus, si scilicet ei uniamur per *Fidem* firmiter credendo, quidquid revelavit: per *Spem*, sperando firmiter, quod promisit, nempe se mansurum nobiscum usque ad consummationem sæculi: per *Charitatem*, omnia ex amore illius faciendo & tolerando juxta illud 1. Cor. 10. Sive manducatis &c. Hinc Sponsæ Cant. 8. dixit: Pone me ut signaculum. Deinde ostendatur, quem fructum sperare possimus, si in ipso maneamus dicto modo, nempe augmentum gratiæ, gloriæ, & lætitiæ internæ, qui omnes fructus facilè dilatari possunt, si inspiciantur tom. 4. tit. Gratia. tom. 3. tit. Beatitudo. tom. 4. tit. Pax. & Conscientia.

V. *Ego sum vitis, vos palmites.* Jo. 15. Ex occasione hujus textûs excitentur Auditores ad spem in Christo ponendam ob tria incitamenta spei à S. Bernardo f. 3. de septem pan. assignata, dum dixit: Tria considero, in quibus spes mea tota consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis. de qua vide tom. 1. tit. 31. §. 12. n. 6. ubi & reliqua pro probatione.

VI. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, fiet vobis.* Jo. 15. Potest ostendi, quomodo semper obtinere possint, quod volunt, si scilicet maneant in Christo. Unde in prima parte demonstrari potest, quid sit manere in Christo, nempe unum cum illo velle & nolle; id quod tam per prosperos, quàm adversos casus probari potest. In secunda parte ostendatur, quomodo talis omnia, quæ petit, obtineat, quia nihil aliud petit, quàm quod placet DEO dare, hoc autem semper obtinere possit juxta illud:

Wann wir thäten/ was wir solten/
Hätten wir allzeit/ was wir wolten.

Vide tom. 2. tit. 25.

PRO FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

I. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Jo. 14. Sumatur exordium à consuetudine arbores majales erigendi, & dicat Concionator, se duas arbores in Auditorum memoria erecturum, scilicet SS. Apostolos Philippum & Jacobum, utpote qui sicut arbores majales erant *decorticati*, & liberati ab omni affectu mundano: alti propter perfectionem & dignitatem Apostolicam, de qua S. David psal. 72. dixit: Nimis honorati &c. & in suprema parte *virentes* zelo Apostolico alienæ salutis augendæ. hi ergo statuendi cum Epigraphe: Aspice, & fac secundùm exemplar, præcipuè in Christo sequendo, & vocatione implenda. Unde 1. ostendatur, quid sit sequi Christum, scilicet abnegare seipsum & tollere crucem suam, seu abstinere & pati; unde antiqui etiam Philosophi sapientiam in duobus verbis: abstine, & sustine: ponebant. hinc, teste S. Augustino, Dæmon duplicem contra nos aciem educit: blanditur, ut decipiat: terret, ut frangat. Nec propterea exigitur, ut omnes statum suum deserant, & divitias ac uxores relinquant, sed tantùm ut sequantur doctrinam & consilium Apostoli 1. Cor. 7. Reliquum est, ut & qui habent &c. atque adeò unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 2. Ostendatur, quomodo sequi debeant, nempe 1. *verè*; id quod pauci faciunt, teste Thoma Kemp. l. 2. c. 11. Multi JESUM sequuntur &c. aliter Apostoli, qui in adversis æquè, ac prosperis adhæserunt Christo, uti explicandum Martyrium eorum. Ita ergo & nos; nam, ut rectè S. Augustinus in ps. 36. ait, Nemo &c. vide tom. 4. tit. 9. n. 2. & 3. hinc aliqui discrimen inter veros & falsos Christianos esse ajunt, quod est inter cereos veros ex aromatibus, & inter falsos ex pulvere factos, quorum hi igni applicati ignes evomunt, illi bonum odorem exhalant, & splendorem gratum emittunt. 2. sequi debent *celeriter*, ut Apostoli, qui statim omnibus relictis secuti sunt; si enim Principes non ferunt, tardè exequentes mandata, quantò minùs Christus. Hic certè, si ullibi locum habet illud S. Ambrosii, Nescit tarda molimina Spiritûs sancti gratia. & illud Thren. 3. Bonum est adolescenti &c. & cuivis homini; bonum ad augendum meritum, ad promovendum profectum, & ad facilitandum obsequiū, experta virgo, quæ Christo relicto ad portam vocata se contulit, de qua vide tom. 1. tit. 19. n. 17. & §. 1. n. 11. 3. *constanter* sequi debent, ut patet ex majali arbore, in qua præmium propositum non acquirit, nisi

qui

qui apicem attingit. vide plura de hac. tom.2. tit. 24. V. Perseverantia. & ostende, quomodo Apostoli usq; ad mortem secuti sint, ita ut ipse Christus Luc. 22. dixerit: Vos estis, qui permansistis &c. Excitentur ergo Auditores, ut has arbores majales frequenter aspiciant, & se animent illis Thomæ Kemp. verbis l.3. de imit. c.56. Domine JESU &c. Verè vita boni Monachi &c. & Christiani &c. Eja Fratres &c. ut audiamus & nos. Vos estis &c. & olim etiam: Venite benedicti &c.

II. *Non turbetur cor vestrum.* Jo.14. Ostendi potest, quomodo turbari non debeant in variis occasionibus, sed sicut Sol licet foris obnubilatus, intus serenus manet, ita & ipsi in tribulationibus se habeant. Declaretur ergo, quòd 1. turbari non debeant ob judicia DEI tam mirabiliter omnia disponentis, sed cogitent sibi à DEO dici illud Christi Jo.13. Quod ego facio, nescis modo, scies autem postea in die judicij. 2. ob judicia hominum: quibus satisfacere impossibile, ut patet in DEO, S. Paulo, & aliis. 3. ob alienos defectus: **Was dich nicht brennt / blaß nicht.** 4. ob tentationes Diaboli: sed potiùs juxta monitum S. Jacobi c.1. Omne gaudium existiment &c. 5. ob tribulationes occurrentes: cùm omnia fiant ad triplicem finem, **zur Besserung / Bewöhrung / Bereichung.** Vide tit. Tentatio. & tit. Crux. to.3.

III. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Jo.14. Ostendi potest, quòd, licet hæc doctrina videatur contraria Parabolæ de Patrefamilias æqualem mercedem operariis offerente, revera tamen contraria non sit, cùm illa de substantiali tantùm beatitudine, sententia hæc de accidentali loquatur, in qua diversos fore homines patet ex testimonio S. Pauli 1.Cor.15. Alia claritas Solis &c. unde quia cum Discipulis Christi quærent utique Auditores: Quis putas major est in regno cælorum, dicat Concionator, se in hac concione ostensurum. 1. itaque pronuntiet, majores fore *humiles*; uti Christus Matth. 18. ostendit. de quo vide to.1. tit. Humilitas. 2. *tribulatos*: Sicut socij passionum &c. 2.Cor. 1. de quo vide to.3. tit. Crux. 3. *fideliores* in talento impendendo, uti probat parabola de diversis talentis. Matth. 25. nempe Spectaculum facti sumus. 1.Cor.4. non refert, quam Personam habeamus, sed quàm bene; unde S. Macarius, qui per plurimos annos in eremo cum summo rigore vixerat, cùm scire cuperet, cui in meritis similis esset? jussus est Alexandriæ duas mulieres conjugatas quærere, quibus similis esset &c. Animentur ergo Auditores, ut unusquisque in statu suo permaneat, & illud Eccl. 11. Confide in DEO, & mane in loco tuo &c. ob oculos habeat, & Personâ suâ bene agere studeat, ut audiat illud Christi Matt. 25. Euge serve bone &c.

IV. *Non turbetur cor vestrum.* Jo.14. Ex occasione textûs hujus utiliter ageretur de scrupulis, quibus plurimi homines subjecti sunt. Et 1. quidem ostendi potest, quid sit scrupulus, & quæ illius indicia. 2. quàm noxii sint tales scrupuli, utpote qui impediunt gloriam DEI, meritum proprium, pacem & lætitiam animi. 3. quibus mediis curandi, nempe oratione, contemptu, obedientia, de qua materia vide Instructionem meam quintam. fol.188.

V. *Non turbetur cor vestrum.* Jo. 14. Pari utilitate possunt aliqui scrupuli in specie, à quibus plurimi homines multùm vexantur, proponi. 1. itaque proponantur scrupuli in confessione occurrere soliti, de quibus vide cit. Instruct.5. f.192. q. 8. & 9. 2. Scrupuli ex tentationibus orti, de quibus vide l. c. q. 10. 3. Scrupuli ob orationem occurrentes, de quibus vide loc. cit. fol.199. q.10.

VI. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Jo. 14. Proponi possunt motiva ad Christum sequendum per imitationem, & modus imitandi; nempe 1. quia via est, id est, quà verbis, quà exemplis ducit ad cælum, id quod ostendendum. 2. quia veritas est, & fallere non potest. 3. quia vita est juxta illud Jo.17. Hæc est autem vita æterna &c. unde meritò Thomas Kemp. l.3. c. 56. ait: Sequere me &c. In secunda parte ostendatur, in quo præcipuè imitandus sit, nempe ut quisque humiliet seipsum, factus obediens, usque ad mortem crucis. de quibus vide tom.3. tit. Christus. & tom.1. tit. Humilitas & Obedientia.

PRO FESTO ASCENSIONIS CHRISTI.

I. **A***ssumptus est in cælum, & sedet à dextris DEI.* Marci 16. Ex occasione hujus textûs explicari potest Cæremonia Ecclesiæ, quâ in festo Ascensionis effigiem seu statuam Christi in altum attrahi curat. Dicatur ergo 1. Statuam per funem attrahi, ut indicetur caritas DEI erga nos promittentis per Oseam c.11. In funiculis Adæ traham eos, in funiculis caritatis: unde Christus Luc. 10. quærenti, quid facere debeat ad æternam vitam possidendam, respondit: Diliges &c. Ostendatur ergo, quàm suave sit, & efficax hoc medium, quid enim dulcius & naturale magis, quàm amare, præsertim infinitum bonum &c. 2. dicatur, Statuam illam rubro vestimento esse vestitam, & vulnerum cicatricibus conspicuam, ut insinuetur, quod Christus Discipulis in Emaus euntibus dixit Luc. 22. Nónne oportuit &c. nimirum constituta lex est: Quoniam per multas tribulationes &c. act.14. hæc via est, per quam caput intravit in cælum; per eandem ergo & membra intrare debent. hinc Thomas Kemp. l.2. c. 1. Sustine cum Christo, & pro Christo, si vis regnare cum Christo. Dicat ergo quisque cum eodem Authore l.3. c.56. Domine JESU, sicut dixisti &c. 3. Statua vexillum in manibus habet, ut indicetur, neminem coronatum iri, nisi qui legitimè certaverit. 2. ad Tim. 2. hinc Apoc.3. dicitur, Qui vicerit, dabo ei sedere &c. Hostis autem, quem vincere debemus, sumus nos ipsi. Non enim est pejor animæ hostis &c. Hinc Tho. Kemp. l.c. c.3. ait, Hoc deberet &c. 4. Angeli utrinque stipant statuam, ut indicetur, per eos animas nostras in cælum introducendas esse juxta illud Exod. 23. Ecce ego mitto Angelũ meum &c. sic Lazarus portatus Luc. 16.

ſic Chriſtus Luc.15. dicit: Dico vobis, quòd ita gaudium erit &c. unde audiendum monitum in cit. loc. Exod. Obſerva eum, & audi vocem ejus &c. 5. per foramen anguſtum ſtatua attrahitur, ut indicetur, quod Chriſtus Matth.7. dixit: Intrate per anguſtam portam &c. unde divitiarum ſarcina abjicienda, affectu ſaltem, ſi effectu non licet. nam dives difficulter intrabit &c. ut Matth.10. dicitur. 6. Hoſtiæ dejiciuntur, ut indicetur, quòd Eccleſia hodie canit: Aſcendens Chriſtus &c. dedit dona hominibus. Eph. c. 4. unde credendum, quod hodie Chriſtus dicat: Uſque modo non petiſtis &c. Jo.16. quid autem petendum ſit, Eliſæus exemplo docuit petens ab Elia in altum evecto: Obſecro, fiat in me Spiritus duplex tuus. 4.Reg.2. nempe ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſic enim David ſuaſit pſ.36. Quis eſt homo, qui vult vitam &c. Excitentur ergo Auditores, ut cæremonium hanc ita aſpiciant, ut indicatum fructom quoque referant, ſicq; cum Chriſto vivant in terris, ut cum eodem etiam ad cælos aſcendere mereantur. Vide pro hac materia tom.1. tit. Caritas. tom.2. tit. Crux.

II. *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc.16. Dici poteſt, Chriſtum feciſſe, quòd Duces belli recuperatâ famoſa civitate ſolent, mittendo in omnia loca, qui nuntient bona nova de redacta in poteſtatem civitate: feciſſe autem hoc non tantùm ut gaudeamus, ſed etiam ipſi expugnare conemur, nam regnum cælorum vim patitur Matth.11. Dicat ergo Concionator, ſe oſtenſurũ, quomodo expugnari debeat. nempe 1. per cuniculos (durch minieren) humilitatis, ſic enim Chriſtus humiliavit ſemetipſum &c. hinc S.Paulus Eph.4. Quòd autẽ aſcendit &c. vide tom.1. tit. Humilitas. 2. Muros concutiendo globis orationis. ſic Chriſtus integras noctes conſumens in oratione, ubi Roſarij globuli commendandi. vide tom.1. tit. Oratio, 3. Scalas admovendo Mandatorum DEI. ſic Chriſtus: Deſcendi &c. Job.6. Hinc quærenti, quid facere debeat pro vita æterna obtinenda, reſpondit: Si vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata. Matth.19. hinc pulchrè Euſebius Emyſſenus: Si unuſquiſque noſtrum ſubdere eas ſibi ſtudeat, & eminentia dominantis animi ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo ad ſuperiora conſcendat, Sublimabunt nos, ſi fuerint infra nos: de noſtris nobis vitiis ſcalam facimus, ſi vitia ipſa calcamus. De hac ſcala DEUS apoc.3 dicit: Qui vicerit (vitia) dabo ei ſedere &c. Hanc Jacob Gen.28. vidit. hanc ergo applicemus dicendo cum Pſalmiſta pſ.118. Juravi, & ſtatui &c. 4. Portas confringendo, ſeu vim ſibi faciendo, & multa patiendo. ſic Chriſtus: Nónne oportuit &c. Luc.22. hinc Thomas Kemp. l.1. c.25. Unum eſt &c. 5. Ignem injiciendo. ſic Chriſtus caritatem copioſè oſtendendo: Si enim majorem nemo habet &c. Jo.15. hinc Luc.12. Ignem veni mittere &c. & S.Joannes 1. c.3. Filioli, non diligamus &c. Excitentur ergo ad oppugnandam hanc civitatem, ut cum Chriſto ibidem æternùm vivere, & gaudere valeant.

NB. Si omnes hos modos cælum expugnandi accipere non placet, unus ex illis eligatur, & quomodo à Chriſto adhibitus ſit, & à nobis quoque uſurpari debeat, oſtendatur.

III. *Aſſumptus eſt in cælum.* Marc.16. Poteſt narrari hiſtoria de Elia in altum rapto in curru igneo, 4. Reg. 2. & dici, quòd ſimili modo Chriſtus per currum igneum caritatis erga DEUM & proximum in cælos aſſumptus ſit; quódque nos videntes eum oculo fidei taliter aſſumptom debeamus clamare cum Eliſæo l. 4. c. 2. Obſecro, ut fiat in me Spiritus duplex tuus, eadem ſcilicet duplex caritas, cujus proin neceſſitas, utilitas, & præſtantia demonſtranda. Vide to.1. tit. Caritas. & Dilectio Proximi.

IV. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Marc. 16. Dici poteſt, non immeritò aliquos quærere, cur Chriſtus fidem tantopere ante aſcenſionem commendâtit, & reſponderi communiter id propterea factum, ut oſtenderet, ex vivæ fidei defectu potiſſimum impedimentum aſcenſionis in cælum oriri, uti etiam S. Tereſia agnovit, dicere ſolita, omnes imperfectiones noſtras ex defectu fidei oriri; id quod enarratione impedimentorum ſe probaturum dicat Concionator. Et primum quidem impedimentum ac principale eſt peccatum mortale; unde autem hoc oritur, niſi quia vivaciter non credimus, DEUM in omni loco præſentẽ eſſe. Vide to.4. tit. Præſentia DEI. Secundum eſt impatientia in adverſis: unde autem hoc oritur, niſi quia firmiter non credimus, non eſſe malom in urbe, quod non fecit Dominus. Vide to. 1. tit. Reſignatio. & to.3. tit. Voluntas. Tertium eſt, quia res creatas inordinatè nimis amamus; unde verò hoc oritur, niſi quia firmiter non creditur Chriſti dictum Luc.18. Nemo bonus, niſi ſolus DEUS, tanquam fons boni. Vide to.3 tit. DEUS. Quartum eſt, quia proximum non diligimus, ut oportet: unde autem hoc oritur, niſi quia non credimus firmiter illud Chriſti dictum Matth.25. Quamdiu feciſtis &c. Unde excitandi Auditores, ut has præcipuè quatuor veritates firmiſſimè credant, & in mente habeant, nec dubitent, quin ſalvi ſint futuri.

V. *Aſſumptus eſt in cælum.* Marc.16. Narrari poteſt hiſtoria Aſcenſionis, & inter alia dici, videri adhuc bina veſtigia Chriſti impreſſa loco, unde aſcendit, eáq; veſtigia omni ſexui & ætati quadrare. Dicatur ergo, hæc veſtigia nihil aliud eſſe, quàm *abſtine & ſuſtine*, eáque omni ætati & ſexui convenire. Oſtendatur ergo, quomodo hæc veſtigia imitanda. Vide tit. Chriſtus, to.3. Item to.1. tit. Abſtinentia. & tit. Patientia.

VI. *Aſſumptus eſt in cælum.* Marc.16. Demonſtrari poteſt magnitudo gloriæ Chriſti ex tribus præcipuè fontibus orta, ſcilicet obedientia, humilitate, patientia, juxta illud Philipp.2. Oſtendatur proin, quomodo Auditores in his Chriſtum imitari, & majorem ſibi gloriam procurare debeant.

PRO

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

I. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit Filium.* Luc. 2. ostendi potest, qualem Filium pepererit, dicique, quòd tota laus S. Joannis in compendio proposita fuerit à S. Angelo Gabriele, dum Luc. 1. de eo dixit: erit enim magnus coram Domino. Ostendatur ergo, quid sit magnum esse coram Domino, nempe multùm ipsum diligere, & multùm ab eo diligi; nam quantitas cujusque animæ æstimatur de mensura caritatis, quam habet, teste S. Bernardo f. 21. in Cant. unde ostendatur, quomodo S. Joannes dilexerit DEUM, id quod per duos actus caritatis, qui pulsus animæ vocantur, abstinentiam scilicet ab omni inordinato amore rerum creatarum, & sustinentiam adversitatum, probari potest. Vide tit. Caritas. & tit. Patientia. to. 1.

II. *Audierunt vicini & cognati ejus, quia Dominus magnificavit misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Luc. 1. Dici potest, hodie impletum esse, quod Angelus Gabriel Zachariæ Patri prædixerat: In nativitate ejus multi gaudebunt, Luc. 1. Ostendatur ergo in prima parte, quomodo DEUS Angeli, Parentes, Cognati, vicini, defuncti Patres in Limbo gavisi sint in ejus Nativitate. In secunda verò parte ostendatur, quomodo & nos simile gaudium per nativitatem spiritualem seu veram conversionem ad DEUM creare possimus DEO & Angelis (ut patet in redeunte Filio Prodigo) Christo (ut patet in parabola inventæ ovis) B. Virgini & Sanctis, Domesticis, Defunctis, nobis ipsis ante, in & post mortem.

III. *Joannes est nomen ejus.* Luc. 1. quàm benè olim dixerit Poëta: Conveniunt rebus nomina sæpe suis: idque in S. Joanne maximè apparere, cujus nomen idem significat ac gratia, quæ nihil aliud est, quàm amicitia cum DEO. Ostendatur proin, quàm sincerus & dilectus Amicus DEI fuerit S. Joannes, idque probetur ex continua familiaritate cum DEO, dein quia omnia habebat communia, & tandem quòd animam suam pro amico posuerit. In secundâ parte ostendatur, quòd de hac amicitia verè dicere potuerit: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: Cant. 8. nam sumus illi honor & lætitia inde parta est. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi hanc amicitiam quærere, aut conservare, & augere studeant. Vide to. 4. tit. Amicitia & Gratia.

IV. *Quis putas puer iste erit?* Luc. 1. Dicat Concionator, se non dubitare, quin plerique Auditorum habentium Liberos cupiant de illis scire, quales olim futuri sint, id proin se illis prædicturum, nempe tales, quales in pueritia fuerint juxta notum illud: quò semel est imbuta &c. & Salomonis effatum. Adolescens juxta viam &c. & exemplum S. Joannis, cujus vita puerilis cum virili comparetur, & quàm similis fuerit, ostendatur. Dein excitentur Auditores, ut diligenter in pueritia instruant, aut instrui curent suos Liberos in pietate & timore, in bonis moribus, in proficuis artibus. Vide to. 1. tit. Pietas. & Timor.

V. *Etenim manus Domini erat cum illo.* Luc. 1. Dici potest, eximiam quidem esse vitam & opera S. Joannis Bapt. sed hoc mirum videri non debere, cùm manus Domini fuerit cum illo, cui manui nihil impossibile est. Ostendatur ergo, quomodo fuerit cum illo in vita tam aspera continuanda: in excitandis hominibus ad pœnitentiam: in morte pro Christo. In secunda postea parte ostendatur, quomodo & ipsi possint obtinere, ut manus Domini sit cum illis, si scilicet cum Davide fiant viri secundùm cor DEI, & faciant omnes voluntates ejus; tunc enim implebitur promissum DEI: Oleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei &c. in obtinendis bonis temporalibus: in administrandis officiis, in tribulationibus perficiendis. Vide to. 1. tit. Fortitudo.

VI. *Nequaquam, sed vocabitur Joannes:* Luc. 1. dici potest, non frustra hoc nomen ei à DEO datum esse, sed propter officium Præcursoris, quod suscepturus erat; ad hoc enim vel maximè conducebat, ut esset Sanctus, & gratus DEO, ac non tam verbis, quàm exemplis prædicaret, & prædiceret Christum, & pœnitentiam. Ostendatur ergo, quomodo S. Joannes exemplo confirmaverit ea, quæ prædicavit, maximè pœnitentiam & patientiam; & quomodo ipsi etiam Auditores exemplo magis, quàm verbis suos instruere, & erudire debeant.

PRO FESTO SS. PETRI ET PAULI.

I. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16. dici potest, quòd, sicut Carolus Imperator olim duas columnas in mari posuit, iisque inscribi curavit, non plus ultra: sic DEUS SS. Apostolos velut duas columnas Ecclesiæ & fidei Catholicæ posuerit, iisque pariter inscripserit: non plus ultra: credendum scilicet, quàm illi verbo & exemplo docuerint. Ostendatur ergo, quomodo fidem Catholicam, non verbo duntaxat, sed etiam opere docuerint, quamque firmiter illam defenderint, sicque verè immobiles columnæ extiterint, & quomodo Auditores quoque eosdem in hac firmitate imitari debeant. Vide to. 1. tit. Fides.

II. *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Matth. 16. potest ostendi necessitas confessionis fidei, simulque modus faciendæ hujus professionis demonstrari, quòd scilicet corde, ore, & opere sit facienda, exemplo SS. Petri & Pauli: & quo cum fructu talis confessio sit facienda, quòd scilicet verificandum sit illud Christi promissum. Qui confitebitur me &c. Vide to. 1. tit. Fides.

III. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Potest dici olim Constantiam esse repræsentatam per Petram in mari sitam cum hac inscriptione: nec flumine, nec flamine, nec fulmine: id est, lædor aut dimoveor: ostendatur proin, talem Petram fuisse S. Petrum, & probetur, quòd nec à flumine seu fluxis voluptatibus: nec à flamine

seu oblatione honorum: nec à fulmine minarum, quibus cruciatus & mortem Tyrannus minabatur, dimoveri se à veræ fidei confessione sit passus; quomodo proin ipsum Auditores in hoc imitari debeant.

IV. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Matt. 16. dici potest, hæc verba præ aliis esse observanda, utpote quæ fundamentum contineant nostræ fidei; nam ex Judicis defectu, necessariò multas hæreses fuisse exortas, unde demonstrandum, quòd Hæretici non habeant verum Judicem; habeant autem Catholici, ut qui continuam successionem Judicum à S. Petro usque ad modernum Pontificem probare possint.

V. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matt. 16. ostendi potest, quomodo nos ad hanc quæstionem respondere debeamus, & dicere ad Christum. 1. Tu meus es *principalis Spectator*, utpote qui solus intimè cognoscis actiones meas, & de ijs ferre judicium potes, & cui placere plus est, quàm si omnibus hominibus simul sumptis placerem. 2. Tu meus es *Adjutor maximus*, quia tu scis, potes, & vis juvare. 3. Tu meus es *Magister optimus*, qui artem vilissimam, dignissimam, & jucundissimam amandi DEUM doces, verbo, & exemplo, & adjutorio. 4. Tu meus es *Consolator maximus*, quia consolationes veras, solidas (id est, animam satiantes) & constantes communicas. 5. Tu meus es *Præmiator maximus*, quia mercedem summam, præsentem, æternam offers, quæ omnia facilè ex ijs, quæ to. 3. tit. Christus dicta sunt, probari possunt.

VI. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Matt. 16. Dici potest, meritò magnum beneficium collatum censeri S. Petro; dum ei claves regni cœlestis collatæ sunt, non minus tamen nobis etiam collatum censeri posse, dum clavem pœnitentiæ nobis concedere paratus est, si eam acceptare velimus. Ostendatur ergo, eam esse optimum medium cœlos aperiendi. Deinde pariter demonstretur, quomodo SS. Apostoli Petrus & Paulus eandem egerint, & exemplo præiverint, & quomodo adeò nos quoque illos imitari debeamus. Vide to. 1. tit. Pœnitentia.

PRO FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

I. *Exurgens MARIA abyt cum festinatione*, Luc. 1. potest Dilectio B. V. erga proximum demonstrari ex tribus præcipuè actibus. 1. Quòd *promptè* eam exercuerit exurgens cum festinatione. 2. Quòd *efficaciter* eam exercuerit tum verbis (suaviter eam salutando & alloquendo) tum operibus, per tres menses ei inserviendo. 3. Quòd *constanter* illam exercuerit, nec difficultates itineris, nec molestias obsequiorum præstitorum horrendo. Dein ostendatur, quomodo Auditores quoque eandem imitari possint, & debeant. Vide tit. Dilectio proximi. & Hyperduliana Mariana to. 1.

II. *Intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Luc. 1. declarari potest, quos fructus afferat Visitatio Deiparæ ante, in, & post mortem, de quo vide to. 1. tit. to. Hyperdulia Mariana. §. 10. n. 27.

III. *Exultavit infans in utero meo.* Luc. 1. ostendi potest, quòd magni quidem & multiplices fuerint fructus Salutationis activæ, quâ B. V. S. Elisabeth salutavit, non minores tamen, nec pauciores sint Salutationis passivæ, quâ à nobis per salutationem Angelicam salutatur. Unde commenda ista salutatio. 1. ab Authoribus. 2. à brevitate. 3. ab efficacia, quam habet ad impetrandas varias gratias: ad repellendos hostes: ad felicem horam mortis obtinendam, pro quibus omnibus probandis vide to. 1. tit. 10. §. 4. à n. 50. & §. 11. à n. 43.

IV. *Mansit autem MARIA cum illa quasi mensibus tribus.* Luc. 1. ostendi potest, quomodo B. Virgo, sicut S. Elisabeth ad partum felicem obtinendum juvit, ita nunc quoque ad triplicem partum felicem, corporis, animæ, animalium, agrorum, hortorum &c. de quo vide to. 1. tit. Hyperdulia Mariana. §. 10. n. 28.

V. *Intravit in domum Zachariæ.* Luc. 1. dici potest, quod S. Ambrosius de Virginitate Deiparæ dixit: Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitaque MARIÆ, hoc multò magis de Visitatione B. V. dici posse, ut scilicet ex illa tanquam exemplari discant Auditores, malas quidem Visitationes devitare, bonas autem frequentare; quænam autem illæ sint, in præsenti concione demonstratum iri. In prima ergo parte ostendatur, quænam sint malæ visitationes, nempe diurnæ Hospitiorum, nocturnæ mulierum; diurnæ, & nocturnæ simul aliorum bonorum per furtum: quarum omnium visitationum damna ostendantur. In secunda parte bonæ visitationes declarentur, nempe templorum, ægrorum, purgatorij per auxilium animabus illis præstitum; quarum omnium visitationum præstantia pariter demonstretur; pro quibus dilatandi vide speciales titulos to. 2. tit. Ebrietas. & Purgatorium. to. 3. tit. Purgatorium.

VI. *Benedicta tu inter mulieres.* Luc. 1. dici potest, magnum quidem fuisse hoc elogium, sed majus longè esse, quòd benedicta, id est, meritis & gloriâ excedens sit omnes Sanctos; hoc autem elogium verè illi convenire, ostensurum se ex præsenti concione, pro quo videatur to. 1. tit. Hyperdulia Mariana. §. 9. n. 1. 2. & 3. & inde concludatur, quantopere æstimanda, invocanda, & honoranda sit hæc Virgo, id quod variis sententiis & historiis ex eodem titulo. §. 2. & 3. desumptis probetur.

PRO FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

I. *Vides hanc mulierem?* Luc. 7. dicat, se hodie gratum spectaculum seu Comœdiam Auditoribus repræsentaturum, scilicet B. Magdalenam. Et si primo quidem actu *peccantem*, ut inde miserum peccatorum statum discant, & quomodo luxuria præcipuè in varia peccata præcipitet, pro qua assertione probanda vide to. 2. tit. Luxuria. & peccatum. In secundo

pani-

pœnitentem, ut inde discant modum pœnitendi, & causas; ad quam probationem conducere potest to. 1. tit. pœnit. §. 9. n. 1. & §. 10. n. 4. In tertio *gloriosam*, ut appareat fructus pœnitentiæ; ubi explicari ex vita S. Magdalenæ possunt favores à Christo eidem post conversionem exhibiti, & per eos Auditores ad similem pœnitentiam animari.

II. *Lacrymis capit rigare pedes ejus.* Luc. 7. Explicari possunt quinque fontes, ex quibus S. Magdalena has lacrymas hausit, & ipsi quoque Auditores haurire debent, quos vide to. 1. tit. Pœnitentia. §. 11. n. 11.

III. *Fides tua te salvam fecit.* Luc. 7. Dici potest, rectè Fidei adscribi salutem S. Magdalenæ, quia per eam quinque impedimenta potissima pœnitentiæ agendæ removit, quæ impedimenta videantur to. 1. tit. Pœn. §. 9. n. 3. & quomodo à S. Magdalena remota sint, & ab Auditoribus quoque removeri debeant, ostendatur.

IV. *Lacrymis capit rigare pedes ejus.* Luc. 7. potest lacrymarum utilitas ex comparatione earum cum variis aquis demonstrari. Et 1. quidem cum aqua per cineres percolata seu lixivio, dum à Sordibus peccatorum lavat. 2. cum aquis calidis thermarum, dum morbos & radicitus curat. 3. cum aquis pluviarum, dum fertilem reddit animum, & varios fructus producere facit: pro quo Scopo vide to. 4. tit. Lacrymæ.

V. *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7. Potest dici, multùm quidem disputare Philosophos, an detur causalitas & prioritas mutua: in S. Magdalenæ tamen conversione eandem datam fuisse, meritò videri posse, utpote in qua dilectio causavit remissionem peccatorum, uti ex cit. textu patet; & vicissim remissio peccatorum causavit dilectionem juxta aliquorum interpretationem volentium, particulam *quoniam* in textu citato idem significare ac *propterea*. unde explicetur in prima parte fusiùs, quàm efficax medium sit dilectio ad peccata delenda, pro quo vide tit. Caritas. §. 3. n. 15. & 17. In secunda verò parte ostendatur, quomodo remissio peccatorum ad dilectionem meritò invitet, pro quo serviet pulchrum exemplum to. 1. tit. Pœnit. §. 5. n. 16.

VI. *Hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Luc. 7. Potest demonstrari qualitas pœnitentiæ à S. Magdalena susceptæ. Quòd videlicet 1. fuerit *generosa* ob insignem sui, & respectus humani victoriam. 2. *copiosa*, quia lacrymas copiosas fundit, oscula copiosa fixit, unguentum copiosum fudit, in quo imitanda per varios actus pœnitentiæ, qui to. 1. tit. Pœnitentia. §. 1. n. 3. explicati videri possunt; 3. *fructuosa*, ob peccatorum remissionem; Christi defensionem contra Pharisæum; multiplicem consolationem dum quotidie per 30. annos cœlestem Musicam audivit: frequentem Visitationem, quâ Christus ultra centum vices visitavit: inexplicabilem gloriam, quâ ipsam post mortem donavit. Excitentur proin Auditores ad similem pœnitentiam agendam, ut similes fructus participare queant.

PRO FESTO S. JACOBI.

I. *Dic, ut sedeant hi duo Filij mei, unus ad dextram, & alter ad sinistram.* Luc. 20. Potest dici, Christum quidem corripuisse Matrem hanc cum Filiis, quia honorem inordinatè ambierunt: Concionatorem verò ipsis hodie liberè concessurum, imò hortaturum, ut honores ambiant, & quærant, dummodo id faciant per debitam viam & medium; quodnam autem hoc sit, se in præsenti concione demonstraturum. Dicat ergo hanc viam perveniendi ad honores veros solam esse virtutem, uti S. Bernardus testatus est, & Romani, quorum sententias vide to. 1. tit. Virtus. §. 9. n. 3. id probetur ampliùs ex natura honoris veri dein ex exemplis Sanctorum honoratorum ob virtutem à DEO & hominibus; pro quibus amplificandis. Vide to. 1. tit. Virtus. & to. 4. tit. Fama & Honor.

II. *Nescitis, quid petatis.* Luc. 20. potest invectio fieri in ambitionis vitium. Et 1. ostendi, in quo consistat Ambitio. de quo vide to. 1. tit. 2. Ambitio. §. 1. 2. ostendat, quàm noxium sit vitium, quia honor per illam quæsitus indebitè venit, præpropere affectatur, periculosè captatur. Vide eod. tit. §. 12. n. 3. & §. 5. & 13. 3. Ostendat unum vel alterum medium ad hoc vitium vitandum, pro quo vide cit. tit. §. 10.

III. *Potestis bibere Calicem?* Luc. 20. Possunt proponi motiva, ob quæ libenter calicem Domini bibere debeamus, quæ vide proposita. to. 1. tit. 22. V. Patientia. §. 12. n. 14.

IV. *Potestis bibere Calicem?* Luc. 20. Dici potest S. Jacobum Apostolum quidem cum Fratre promptè ad hanc quæstionem Possumus. Verùm hodie plurimos esse, qui respondeant: Non possumus, de quibus verificetur illud dictum verificetur: Et cœperunt, se singuli excusare; unde excusationes eorum in concione refutare proderit, de quibus vide to. 1. tit. Patientia. §. 12. n. 12. simulque ostende, quomodo nullam similem excitationem S. Jacobus attulerit.

V. *Dicunt ei: Possumus.* Luc. 20. Ostendi potest, etiamsi multis impossibile videatur, calicem passionis bibere, & deliquium timeant, non difficulter tamen illum bibituros, & dicturos possumus: si spirituale myrothecion ulurpent (ein Balsam-Büchslin) ex variis exemplis compositum, quod vide cit. tit. §. 11. n. 4. & tot. §. 5.

VI. *Nescitis, quid petatis.* Luc. 20. Dici potest, hanc sententiam & correptionem Solis quidem duobus Filiis Zebedæi & Matri dictam esse; sed hodie majori hominum parti repeti posse; quid enim plerique aliud petunt, & desiderant, nisi ut divitiis, honoribus, & voluptatibus frui queant? atqui his omnibus jure meritissimo dici potest: Nescitis, quid petatis: id quod per tres partes concionis demonstrando, quanta damna afferat inordinatus

oatus divitiarum, honorum, & voluptatum appeotus, pro qua probatiooe vide to. 4. tit. Divitiæ. Honor. Voluptas.

PRO FESTO S. IGNATII.

I. *Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. ostendi potest, quòd S. Ignatius, generosus quidem miles fuerit ante suam conversionem, sed multò generosior post conversionem ob duas causas. 1. quia areem multò nobiliorem defendit, scilicet Ecclesiam. 2. quia generosiori & feliciori modo eam defendit contra Lutherum aliósque Hæreticos, uti fusiùs ostenditur in septima Instructione mea.

II. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. 12. potest Zelus S. Ignatij commendari, & dici, quòd S. Ignatius sit ille ignis, de quo Christus Luc. 12. dixit: Ignem veni mittere &c. uti ipsum nomen etiam præsefert, quod unicâ literâ demptâ idem significat, ac ignitus seu ignis es tu. Unde ostendendum, quomodo, Zelum suum instar ignis exercuerit, de quo vide Instructionem III. p. 1. & to. 1. Bibl. tit. Zelus. §. 12. o. 1.

III. *Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes,* Luc. 12. dici potest DEUM tempore S. Ignatij meritò repetere potuisse illud Act. 13. & Psal. Inveni David &c. & quomodo is verè fecerit omnes voluntates ejus, & hinc tano obedientiam fecerit, ut eam notam, per quam sui socij cognoscerentur, esse voluerit. In altera verò parte ostendatur, quomodo DEUS in ipso impleverit, quòd de Davide prædixerat: Oleo meo sancto unxi eum &c. vide to. 1. tit. 28. V. Resignatio. §. 12. n. 1.

IV. *Beati sunt servi illi.* Luc. 12. Dici potest S. Ignatium similem fuisse illi mulieri, quæ quondam Ivoni Religioso S. Dominici, cùm à Ludovico Rege Galliæ ad Magnum Sultanum missus fuisset, occurrit, & una manu ignem, alterâ lebetem aquâ plenum tulit, &, quid his facere vellet, rogata, respondit, se igne cælum comburere, & aquâ gehennam extinguere desiderare, ut omnes deinceps homines in actionibus suis nihil, nisi gloriam DEI quærant. Ostendatur ergo in prima parte, quomodo semper *majorem* DEI gloriam quæsierit *intensivè*, faciendo semper, quæ DEO magis placebant, ideóque generosè se vincendo, & tribulationes amando, consolationes respuendo &c. & *extensivè* cupiendo semper plures & plures ad DEI amorem attrahere, unde dicere solitus erat sociis: Ite, omnia accendite. In secunda parte ostendatur, qoomodo DEUS vicissim majorem gloriam S. Ignatij quæsierit, illum tanti Ordinis fundatorem constituendo, tot miraculis illustrem faciendo, Societatem ipsius per orbem universum dilatando, ut in Filiis suis magis glorificaretur. Vide to. 1. tit. Intentio bona. & Zelus.

V. *Ut, cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.* Luc. 12. dici potest, impletum hoc in S. Ignatio videri, ut, qui talem gratiam convertendi animas habuerit, ut mox, ubi pulsavit, corda ei aperta fuerint, ut ipse DEUS aliquando S. Magdaleoæ de Pazz. dixerit, maximè felicem Spiritum, qui hodie regnat in terra, esse Spiritum & Zelum S. Ignatij. Qualis aotem ille fuerit, dicat Coocionator, se in concione demonstraturum. In prima ergo concionis parte osteodat, qualis hic Spiritus fuerit, quòd scilicet homines ad cognitionem & amorem DEI trahere studuerit, hinc duo erant ipsius desideria. O otinam homines te nôssent! & Ite, omnia accendite. huc scholæ, huc conciones, confessionalia, visitationes ægrotorum, Exercitia spiritualia, tendebant. In secunda ostendatur hunc Spiritum meritò felicissimum judicari ob tres causas. 1. quia efficacissimus est, nam caritas omnem animi languorem sanat &c. vide to. 1. tit. Caritas. §. 3. n. 17. 2. quia hic modus facillimus est, & omnes difficultates tollit; nihil enim durum &c. vide l. c. n. 45. 46. & 47. 3. Quia gratissimus & jucundissimus, quia naturale & jucundum est homini amare, maximè finem, ad quem creatus est, unde S. Augustinus dixit: Verus amor non sentit &c. vide l. c. n. 35. Hinc alibi dixit: O quam suave mihi subitò factum est, carere soavitatibus nugarum: & quas amittere metus fuit, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas, tu vera & summa suavitas: ejiciebas eas, & intrabas pro eis. Excitentur proin Auditores, ut imaginentur sibi S. Ignatium dicentem: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & de generationibus meis adimplemini: Spiotus enim meus dulcis & hæreditas mea super mel & favum. Et iterum: Venite ad me omnes &c. Matt. 11. jugum enim meum suave &c.

VI. *Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Luc. 12. osteodi potest, quàm vigilans & fidelis servus fuerit S. Ignatius, ut qui duo talenta sibi concredita, scilicet intellectum & voluntatem tam bene collocârit, & duo alia talenta, nempe Salutem propriam & alienam tam sollicitè lucrari studuerit. Unde in doas partes dividi poterit concio, & in prima ostendi, quantâ curâ in salutem propriam per virtutum studium incubuerit, semper oboculos habens illud Christi: qoid prodest homini &c. In secunda verò ostendi potest, quomodo alienæ saluti invigilârit. Pro quo vide to. 1. tit. ult. V. Zelus. §. 1. n. 3. & §. 11. n. 2.

PRO FESTO S. LAURENTII.

I. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Jo. 12. dici potest, illatam quidem à plerisque nunc messem corporalem esse; an autem etiam spiritualem perinde etiam spiritualem intulerit, dubitari meritò posse. Verendum profectò esse, oe de laboribus & actionibus hujus anni multi audiverint illud Aggæi. c. 1. Ponite corda vestra super vias vestras. Seminâstis multùm, & intulistis parùm. Quare hoc? quia artem seminandi nescíverunt, quare hæc doceatur. Et in prima parte dicatur, quod S. Laurentius agrum bonum elegerit, scilicet Christum, in quem Semen

men actionum suarum conjecit, propter ipsum enim Diaconi munus suscepit, & sustinuit, & eleemosynas distribuit, Martyrium toleravit, ut Ecclesia confitetur dicens: Laurentius ingressus &c. excitentur proin Auditores ad agrum hunc eligendum, utpote bene aratum per passionem juxta illud Psal. 128. supra dorsum meum fabricaverunt (vel ut alij legunt) araverunt) Peccatores &c.) Vide to. 1. tit. Intentio. In secunda doceatur, quomodo semen etiam bonum, imò optimum elegerit, scilicet eleemosynas, & tribulationes, hoc enim centuplum fructum refert, uti de Eleemosynis testatus est Christus Matt. 19. Amen, amen dico vobis, quòd omnis, qui reliqerit &c. de tribulationibus verò S. Paulus Rom. 8. non sunt condignæ &c. Vide to. 1. tit. Misericordia & Patientia. In tertia parte ostendatur, quomodo bene occaverit agrum, & texerit semen juxta illud Matt. 6. Attendite &c. thesauros namque in occulto distribuit, nihili faciens favorem Imperat. & aliorum. Excitentur Auditores ad idem faciendum. Vide iterum to. 1. tit. Intentio.

II. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Jo. 12. ostendatur, quid requiratur ad Christum sequendum, nempe quod ipse Matt. 16. dixit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Dividatur itaque concio in duas partes, & in prima demonstretur, quomodo S. Laurentius abnegaverit semetipsum, pro quo videatur to. 4. tit. Abnegatio. In secunda ostendatur, quomodo sustulerit crucem, subeundo Martyrium, pro quo videatur tit. Patientia to. 1. & tit. Crux. to. 3.

III. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Jo. 12. Ostendatur 1. quid sit odisse se, scilicet bona negare, mala inferre; hi enim sunt actus principales, quos erga odio habitos exercere solemus. 2. ostendatur, quomodo hoc odium erga se S. Laorentius exercuerit. 3. Ostendatur, quomodo vitam æternam per hoc odium obtinuerit, juxta illud Christi Matt. 19. Centuplum accipiet &c. & Matt. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur &c. Vide tit. Aboegatio. to. 4. & tit. Patientia. to. 1.

IV. *Ubi sum ego, illic & Minister meus erit.* Jo. 12 Ostendatur triplex titulus, ob quem deceat, Christianum ibi esse debere, ubi est Christus, videlicet quia Christus est Dominus ob creationem, Magister ob instructionem, Redemptor ob redemptionem. Deinde ostendatur, ubi fuerit Christus, nempe in Cruce; & quomodo ibi etiam fuerit S. Laurentius, & Auditores esse debeant, dicendo cum S. Andrea: ô bona crux &c. & cum S. Paulo ad Gal. 5. Absit mihi gloriari &c.

V. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joan. 12. excitentur Auditores ad mortem spiritualem, exemplo S. Laurentij. Et in prima parte ostendatur, quid sit mori spiritualiter, nempe animam separari à corpore spiritualiter, ut nec divitias, nec voluptates, nec honores hujus mundi desideret, sed his omnibus utatur, tanquam non utatur, id quod colligetur, si hæc omnia sine dolore dimittantur, tunc enim signum est, ea non adhærere; id quod fecisse S. Laurentium demonstretur. In secunda parte ostendatur, quomodo homo mortuus taliter multum fructum afferat DEO & Sanctis per creatum beneplacitum & honorem: Sibi ipsi per beatitudinem in hac & altera vita obtentam: proximo per auxilium & exemplum. Vide to. 4. tit. Abnegatio. & to. 3. tit. Exemplum.

VI. *Amen dico vobis, nisi granum frumenti in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Jo. 12. dicatur, hoc vel maximè de divitiis dici posse, quæ nisi in agrum pauperum jaciantur, solæ manent, id est, nihil prosunt; si autem in pauperes distribuantur, multum fructum afferunt. Unde in prima parte ostendatur, quomodo eleemosyna sit danda, nimirum promptè, liberaliter, hilariter, humiliter. Et quomodo has conditiones impleverit S. Laurentius. In secunda ostendantur fructus, quos offert talis eleemosyna, nempe quos Christus Luc. 6. promisit: Mensuram *bonam*, in temporalibus juxta exemplum Monasterij duos Fratres: *Date, & dabitur:* habentis, quod vide tit. Misericordia. to. 1. §. 2. Mensuram *confertam* in gratia & virtutibus: mensuram *coagitatam* in felici morte, & liberatione à purgatorio obtinenda; & mensuram *supereffluentem* in gloria cœlesti promerenda, pro quorum omnium probatione vide to. 1. tit. Misericordia.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

I. *MARIA optimam partem elegit.* Luc. 10. Ostendi potest, quomodo B. Virgo optimam partem elegerit in bonis corporis, animæ, gratiæ, gloriæ, de quo vide to. 1. tit. 10. §. 10. n. 33.

II. *Assumpta est MARIA in cælum.* Ecclesiæ in officio Festi. potest explicari triumphus, quo B. V. in cælum deducta est, de quo vide l. c. n. 34.

III. *Exaltata est S. DEI Genitrix super choros Angelorum.* In officio Festi. demonstretur magnitudo gloriæ, quam in cælo B. V. adepta est, eum in finem videatur to. 1. tit. 10. §. 9. n. 3. & ex magnitudine gratiæ ostendatur gloriæ magnitudo, simúlque Auditores ad illam æstimandam, invocandam & venerandam excitentur; pro quo videatur to. 1. tit. 10. §. 2. & 3.

IV. *MARIA Virgo assumpta est ad æthereum thalamum.* In officio Festi. Demonstretur, B. V. factam esse Reginam cæli, & omnium Sanctorum, & meritò, quia plùs, quàm omnes Sancti se humiliavit, id quod ostendendum. Dein excitentur Auditores ad eam tanquam Reginam suam salutandam per Antiphonam Ave Regina: ad homagium ei per renovationem formulæ Marianæ præstandum: ad eandem quotidianis officiis venerandam: & in necessitatibus invocandam. pro quo vide to. 1. tit. 10.

V. *Exaltata est Sancta DEI Genitrix.* In officio Festi. Potest B. V. Arcæ Noë comparari, uti indicatur in to. 1. tit. 10. n. 39. ubi tamen præcipuè insistatur causæ finali, & probetur B. V. amorem esse signum prædestinationis. 1. ex S. Scriptura. §. 2. n. 45. 2. ex SS. Patribus. §. 3. n. 52. 3. ex revelationibus. 4. ex historiis variis. 5. ex amore illius erga humanum genus. pro quo vide Pistorium in Matre admirab. c. 10. p. 1. n. 4.

VI. *MARIA optimam partem elegit.* Luc. 10. Unde & nos vult illius participes facere, dicendo illud 8. Qui me invenerit, inveniet vitam, temporalem, spiritualem, æternam; uti to. 1. tit. 10. n. 41. insinuatur.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI.

I. *Elegit duodecim ex illis.* Luc. 6. Demonstrari potest legitima vocatio ad Apostolatum. 1. Quia non proprio motu hoc officium suscepit, sed à Christo ad illud electus est. 2. Quia etiam locum, in quo Apostolatum exerceret, non proprio arbitrio elegit, sed sorte accepit. 3. Quia non exivit, donec virtute indueretur ex alto. 4. Quia pelli & animæ suæ non pepercit in Apostolatu suo. Unde duo Corollaria eruenda pro Auditoribus. 1. Ut inde cognoscant beneficium Vocationis ad fidem Catholicam, utpote quæ à Personis legitimè vocatis propagata est, & etiamnum propagatur, & pro eo gratias agere studeant. 2. Ut, cùm quisque ad certum etiam Statum vocatus sit juxta illud Proverb. Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur: atque adeò cuique Persona sua velut in Comœdia assignetur, quisque vocationi suæ respondere, & Personam suam rectè sustinere studeat, sciens, non referre, quam Personam, sed quàm bene agat. Vide to. 1. tit. Fides. & to. 4. Acceptio Personarum.

II. *Venite post me, faciam vos Piscatores hominum.* Matth. 4. Ostendi potest 1. quàm excellens sit officium horum Piscatorum, quod ex præstantia animarum colligi potest, de qua vide to. 3. tit. Anima. 2. Demonstrari potest, quàm sedulò S. Bartholomæus hoc munus veri Piscatoris impleverit. 1. laxando retia in verbo DEI, id est, juxta nutum ejus; sciens alioqui nihil se effecturum juxta illud Christi: Jo. 15. Sine me nihil potestis facere. 2. indefesso studio, quasi diu, noctùque in vigilando huic piscationi. 3. nullam difficultatem, aut periculum horrendo, cùm etiam mortem ipsam subire non timuerit, & quidem tam crudelem. Unde excitentur Auditores ad salutē & animas suas æstimandas, ad quarum piscationem tam sollicitè Christus Apostolos vocavit, & isti tanta egerunt, & passi sunt: deinde verò libenter capi se sinant, id est, doctrinas & fidem verbo & exemplo ab ipsis tradidas constanter verbo & opere profitendo. Vide to. 1. tit. Fides.

III. *Omnis turba quærebat eum tangere,* Luc. 6. dici potest, hanc sententiam in alio sensu meritò cuivis homini applicari, ita ut verè de illo dici possit: Omnis turba quærit eum tangere, id est, culpare & detrahere, ac proinde ut vitiū hoc summè noxium sedulò vitetur, ostensum iri, quod detractores longè crudeliores sint, quàm Carnifices S. Bartholomæum excoriantes, pro quo vide to. 2. tit. 5. V. Detractio. §. 11. n. 1.

IV. *Vocavit Discipulos suos.* Luc. 6. Ostendi potest, quàm perfectè Discipuli officium impleverit S. Bartholomæus. 1. quia implevit primam conditionem à Christo. Luc. 14. præscriptam: Qui non renuntiat omnibus &c. 2. quia doctrinā à Christo Matt. 11. d. tam: Discite à me, quia mitis &c. accuratè implevit, deferendo dignitatem regiam, & humilem Statum Apstoli assumendo; & præterea injurias Tyranni & aliorum cum magna mansuetudine tolerando. 3. quia ipsi constanter adhæsit, ita ut illud. Luc. 22. audire meruerit: Vos estis, qui permansistis &c. Excitentur Auditores, ut & ipsi Discipuli Christi esse studeant, imitando vitam & mores illius, & magnum in cælo præmium exspectent. Vide to. 3. tit. Christus. & Thomam Kempl. l. 1. c. 1.

V. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione.* Luc. 6. Dici potest, Christum hoc suo ascensu in montem breve compendium omnium doctrinarum ad orationem pertinentium reliquisse. Nam 1. dum primariæ actioni, id est, electioni Apostolorum orationem præmisit, ostendit orationem omnibus actionibus esse præmittendam ob rationem à S. Thoma judicatam, quam vide to. 1. tit. Oratio. §. 9. n. 1. & §. 3. à n. 8. 2. dum in montem ascendit, ostendit locum pro oratione eligendum, scilicet solitarium, & à distractionibus liberum, ut olim Matt. 6. monuerat: Tu autem cùm oraveris &c. 3. dum pernoctavit, insinuavit constantiam, jam olim in Parabola amici panem petentis Luc. 11. indicatam. 4. dum virtus de illo exibat, & sanabat omnes, ostendit fructum orationis, scilicet quòd omnia impetrari per illam possint, uti tum Christus Joan. 14. quodamque &c. tum S. Bernardus indicavit dicens: Nemo &c. vide toto tit. 21. to. 1. præsertim hanc sententiam §. 3. n. 43.

VI. *Et qui vexabantur à Spiritibus immundis, curabantur.* Luc. 6. Dici potest, fuisse olim Regem, qui Judicem injustum excoriari jussit, & pellem in Sede tribunalis insterni, ut alij Judices deterrerentur: aliter tamen Ecclesiam pellem S. Bartholomæi proponere nobis, nempe ut cum ipso pellem antiquam seu malam consuetudinem exuere studeamus. Unde in prima parte ostendatur, quomodo talis consuetudo exui debeat. In secunda quàm gloriosum sit hoc quoque martyrium triplici ex capite. 1. quia à nobis ipsis infertur. 2. quia majori eum violentia & difficultate perficitur. 3. quia non semel, sed sæpius sustineri debet. unde meritò huc applicari potest illud: Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. Vide to. 3. Thomæ Kempens. l. 1. c. 25. tit. Consuetudo. & tom. 4. tit. Abnegano.

PRO

PRO FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

I. J*Acob autem genuit Ioseph virum MARIÆ.* Matt. 1. Potest explicari nomen MARIA; & variæ doctrinæ ad cultum Virginis pertinentes erui. 1. quòd significet idem ac *Congregatio aquarum*, id est, omnium perfectionum in aliis Sanctis repertarum, unde magna æstimatio velut fundamentum cultus mariani concipienda, pro qua vide to. 1. tit. 10. § 3. n. 29. 30. & 31. Item §. 4. à. n. 33. 2. quod idem significet ac *Stella maris*, uti ab Ecclesia salutatur: Ave Maris Stella, ad portum Salutis dirigens, uti tum sententiis l. c. §. 3. n. 44. 51. & 52. tum exemplis. §. 4. n. 39. & seq. demonstrandum erit, ex quo fiducia concipienda, pro qua vide §. 3. à n. 42. & §. 4. à n. 39. 3. Quòd idem significet ac *Domina*, uti S. Bernardus, quem vide §. 3. n. 29. Quid nos &c. & S. Gerardus, quem vide §. 4. n. 3. ostenderunt, unde veneratio hujus Dominæ eruenda, pro qua vide §. 3. & 4.

II. *Ave Maris Stella:* Ecclesia in hymno. Ostendi potest, quomodo B. Virgo sit vera Stella Maris, prout ostenditur to. 1. tit. 10. §. 3. n. 44. & 45. & §. 10. n. 7. unde fiducia singularis concipienda juxta monitum S. Bernardi: in periculis, in rebus dubiis respice Stellam, voca MARIAM, non recedat ab ore, non recedat à corde.

III. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. Potest excellentia hujus nominis explicari ex comparatione cum oleo, juxta to. 1. tit. 10. § 10. n. 14. pro quo Scopo dilatando videatur l. c. §. 3. n. 1. & seq. item §. 4. à n. 1.

IV. *Nativitas tua gaudium attulit universo mundo.* In officio. Potest ostendi, quomodo hæc nativitas attulerit gaudium juxta l. c. §. 10. n. 6. excitandi proin Auditores, ut ipsi vicissim studeant gaudium facere juxta illud Apostoli: Gaudium meum, & corona mea vos estis. Aurea utique per amorem DEI & hujus Virginis.

V. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Cant. 6. Potest B. Virgo auroræ surgenti comparari, uti videre licet to. 1. tit. 10. §. 10. n. 8. unde spes & fiducia commendanda, & maximè vita bona juxta illud Apostoli: Fratres, hora nunc est de somno surgere &c.

VI. *Arcum meum ponam in nubibus, ut sit signum fœderis inter me & te.* Gen. 9. comparari potest B. Virgo. Iridi, & præcipuè propter significationem pacis inter DEUM & homines, atque adeò quia est signum prædestinationis. Dein excitari, ut servent consilium Ecclesiastici hortantis: Vide arcum (id est, oculos ad illum per fiduciam & venerationem attolle) & benedic DEUM, qui fecit illum. Vide to. 1. tit. 10. §. 10. n. 10.

PRO FESTO S. MATTHÆI.

I. V*Idit hominem sedentem ad telonium Matthæum nomine.* Matt. 9. proponi potest omnibus Peccatoribus in exemplum S. Matthæus, & dici: Aspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Ostendatur itaque 1. qualis Status fuerit S. Matthæi ante conversionem, & quomodo propterea ipse non desperaverit; pro quo vide to. 3. tit. Deus. § 9. & 11. 2. qualis fuerit Status illius in conversione, scilicet quòd statim secutus sit, Christum vocantem, & telonium dimiserit; unde discant Peccatores non differre pœnitentiam, pro quo vide to. 1. tit. Pœn. §. 3. n. 35. 3. qualis fuerit post conversionem, quòd scilicet impleverit illud S. Augustini, quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi, hinc antea divitias amabat, postea paupertatem: antea injustitiam, postea justitiam: antea mala opera, postea bona: antea odium DEI & proximi, postea amorem. Vide totum tit. de pœnitentia. & præcipuè tres illius gradus. §. 1. n. *11. 12. & 13.*

II. *Sequere me.* Matt. 9. Potest ostendi Suavitas & efficacia vocationis divinæ, quæ in tribus eluxit. 1. quòd tam *benignè* vocârit, non respiciendo priorem Statum S. Matthæi; ubi proderit exemplum de Monacho converso ex hoc motivo narrate. to. 1. tit. Pœn. §. 5. n. 16. 2. quòd *potenter* vocaverit, efficiendo, ut mox telonium tantopere amatum relinqueret, uti ostendenda consuetudinis potentia, ut magis potentia gratiæ eluceat. Vide tom. 3. tit. Consuetudo. & to. 4. tit. Gratia. 3. quòd *suaviter* vocârit, scilicet per internam illustrationem, per quam amorem DEI erga se, & beneficia agnovit, & sic tam benignum DEUM offendere ampliùs noluit. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi experiri velint efficaciam vocationis divinæ, & illud Psalmistæ Psal. 94. sibi applicent: Hodie si vocem ejus audieritis &c.

III. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Matt. 9. potest afferri triplex motivum ad agendam pœnitentiam, quod velut funiculus triplex difficulter frangi potest, nempe æquitas, utilitas, & securitas pœnitentiæ, de qua vide tom. 1. tit. Pœnitentia. §. 9. n. 2. & §. 7. n. 2. & 3.

IV. *Et surgens secutus est eum.* Matt. 9. possunt afferri excusationes Peccatorum, ob quas plerumque pœnitentiam differunt, & tum exemplo S. Matthæi, tum efficacibus rationibus refutari, pro quo Scopo vide to. 1. tit. Pœnitentia. §. 3. n. 3.

V. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Matt. 9. Potest Misericordiæ exercitium commodari, eùmque in finem 1. Natura illius describi, quem in finem serviat. to. 1. tit. 15. V. Misericordia. §. 9. n. 1. & 2. 2. Modus eandem exercendi explicari, qui ibid. num. 3. videri potest.

VI. Ex occasione ejusdem thematis dicere potest Concionator, se audax facinus in præsenti concione commissurum esse, nimirum Auditores ad fœnerandum incitaturum, eùm tamen Christus S. Matthæum inde abstraxerit; perrecturum se tamen in proposito, & tantò lauda-

laudabilius, quantò laudabilior est fœneratio, quàm persuasurus est, ea nempe, quam jam olim Salomon Prov. 19. commendaverat dicens: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Ostendatur ergo, quomodo fœneratio ista peragenda, & duas ob causas; pro quo vide to. 1. tit. Misericordia. §. 10. n. 7. Ubi etiam plures Conceptus de Misericordia reperientur.

PRO FESTO S. MICHAELIS.

I. *Quis putas major est in regno cœlorum?* Matth. 18. Ostendendum, quòd S. Michaël meritò suspemus inter Angelos censeatur ob tres causas. 1. Quia præ reliquis seipsum vicit, subjiciendo se DEO, quod ipsi utpote digniori longè difficilius erat, quàm alicui inferiori; hanc autem victoriam esse causam majoritatis colligitur ex noto illo: tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. 2. Quia præ reliquis plùs amavit DEUM, & æstimavit dicendo: Quis ut DEUS? unde dicere poterat: Amor meus, pondus meum; Caritatem autem esse mensuram dilectionis in tit. Caritas demonstratum est. 3. Quia præ reliquis se Officium altius accepit, scilicet ut esset protector totius Ecclesiæ; Officium autem sequitur honor & æstimatio, unde Auditores excitandi, ut magni faciant S. Michaëlem, ut colant, ut ejus protectioni se committant. Vide to. 3. tit. Angelus. & to. 1. tit. Humilitas.

II. *S. Michaël Archangele, veni in adjutorium Populo DEI.* In Breviario narrari potest, quòd 2. Mach. 15. legitur de Jeremia, quòd scilicet priùs Onias de illo dixerit: Hic est Fratrum amator &c. & ipse Judæ gladium aureum dederit dicens: Accipe sanctum gladium &c. quæ omnia S. Michaëli applicari possunt, dicique, quòd gladius iste aureus nihil sit, quàm verba illa, quibus S. Michaël Luciferum vicit: Quis ut DEUS? ostendatur itaque, quomodo illo uti debeant Auditores. 1. Contra Mundum, quando hic ad sibi serviendum invitat? Quis ut DEUS? tam bonus, tam sapiens, tam potens, qui servitium æquè præmiare soleat? 2. Contra carnem, si ad voluptates invitat: Quis ut DEUS, qui tam sinceras, honestas, constantes voluptates offerat. 3. Contra Diabolum ad Superbiam & ambitionem incitantem: Quis ut DEUS? tam magnus, tantopere honorans suos, & veros honores tribuens? Vide tit. DEUS tom. 3. & tit. Mundus. tom. 4.

III. *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matt. 18. Explicari potest natura scandali; & quomodo parvulorum præcipuè scandalum sit vitandum. 2. Quanta damna inferat ipsis scandalizatis, quibus causa peccatorum & suppliciorum plurimorum existit: Reipublicæ, cujus membra corrumpit: Cælo, cui plurimos incolas subducit, atque adeò etiam honorem & gloriam subtrahit. Vide tit. Peccatum.

IV. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 18. Ostendendum, in quo parvuli imitandi, nempe 1. In innocentia; nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum. 2. In humilitate; ut neque nos ipsos magnificemus; nec ab aliis magnifieri desideremus. 3. In simplicitate, ut alios non judicemus juxta illud Matt. 7. Nolite judicare, & non judicabimini &c. Vide to. 1. tit. Humilitas. & to. 2. Judicium temerarium.

V. *Quicunque susceperit parvulum talem in nomine meo,* Me suscipit. Matth. 18. Ostendatur inprimis, quomodo parvuli, vel alij homines suscipi debeant in nomine Christi, scilicet propter ipsum varia illis beneficia conferendo, quorum aliqua ex operibus misericordiæ enarrari possunt. Deinde ostendatur, quantum fructum & solatium ex tali exercitio reportaturi sint Auditores, si meminerint se omnia Christo facere, & perinde præmiatum iri, ac si Christo in propria Persona exhibita fuissent. Vide tit. Misericordia, & Dilectio proximi. to. 1.

VI. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Matth. 18. Commendari potest oculorum custodia, & 1. ostendi, quanta damna ex oculorum neglecta custodia exorta sint. 2. Quanta commoda afferat oculorum custodia. 3. Quæ media ad hanc custodiam adhibenda sint, præcipuè autem id, quod à Silvano adhibitum est dicente, si ad aliquid inordinatè videndum: Claudamini oculi mei, & ad meliora gaudia vos servate. Vide to. 1. tit. Oculorum custodia.

PRO FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

I. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Joan. 15. Potest dilectio proximi commendari, & in prima parte ostendi, quomodo diligendus sit proximus, pro quo videatur to. 1. tit. 4. V. Dilectio proximi. §. 9. n. 1. In secunda parte ostendatur, cur diligendus sit, scilicet ob triplicem causam, de qua agitur l. c. §. 11. n. 6.

II. Ex eodem themate ostendi potest fructus dilectionis per notum axioma: Concordiâ res parvæ crescunt: discordiâ maximæ dilabuntur; & in prima parte ostendi, in quo consistat vera concordia. In secunda, quomodo ea faciat crescere in bonis temporalibus, spiritualibus, æternis, de quo vide to. 1. tit. 4. §. 12. n. 3. & totum §. 2. & 3.

III. Ex eodem themate declarari potest modus juvandi proximum, scilicet precibus, exemplo, opere, veluti triplici funiculo, qui difficulter rumpitur, de quo vide l. c. §. 12. n. 5. & cit. §. 2. & 3.

IV Ex eodem ostendi potest modus & commoda dilectionis ex comparatione triplici membrorum, ut scilicet caput se rectè habeat erga membra: membra erga caput: & membra in-

bra inter se, quam comparationem proposi-tam vide tom. 1. tit. 4. §. 11. n. 4. Deinde etiam ostendatur fructus ex hac constitutione membrorum oriri solitus, scilicet sanitas (quâ nihil est optabilius) mutuum auxilium, jucunditas vitæ, de quibus vide §. 2. 3. & 4. dicti tituli.

V. *Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Joan. 15. Ostendatur, quomodo se in omnibus casibus adversis, præsertim in persecutione bonorum temporalium, famæ, & corporis per tormenta vel plagas solari debeant exemplo Christi, & illud pro Myrothecio (für ein Balsam-Büchslein) habere. In secunda parte ostendatur, quale robur & solatium per hoc exemplum sint reportatum, pro quo Scopo videatur to. 3. tit. Passio Christi. & Exemplum.

VI. *Ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.* Jo. 15. Ostendi potest 1. quantus sit favor & gratia, si quis à Christo electus sit, ut sit amicus & cohæres illius, id quod tum ex dignitate Personæ, cum qua amicitia contrahitur: tum ex magnitudine gloriæ & felicitate, quæ ex hac amicitia oritur, demonstrari potest; pro quo vide tom. 3. tit. Beatitudo. & tom. 4. tit. Gratia. In secunda parte ostendi potest, quomodo tristari non debeant ob varias persecutiones, eò quòd hoc sit signum electionis & prædestinationis ad vitam æternam; atque adeò in mente semper habere debeant illud Christi Matt. 6. Beati estis, cùm maledixerint &c.

PRO FESTO OMNIUM SANCTORUM.

I. BEati estis. Matth. 5. Ostendi possunt causæ, cur hoc Festum institutum, & cum magna lætitia & devotione celebrandum sit, quas vide tom. 1. tit. 30. V. Sanctorum cultus. §. 11. n. 10. In secunda ostendi potest, in quo lætitia & devotio ista consistat, nempe ut DEO gratias pro gloria ipsis collata agamus: ut ipsis gratulemur ex animo suam felicitatem: & tandem ut ipsos frequenter & seriò invocemus, eùmque in finem variis obsequiis demereamur, pro quo Scopo vide cit. tit. §. 1. 2. 3. 4.

II. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Ps. 150. Explicari potest modus, quo Sancti Cælites colendi sunt, scilicet corde, ore, re; de quo conceptu vide to. 1. tit. 30. §. 11. n. 1. & §. 10. n. 3.

III. *Gaudeamus omnes in Domino diem Festum celebrantes in honore Sanctorum Omnium.* In Missa. Explicari possunt rationes, ob quas Omnes Sancti simul sumpti in Patronos eligendi, & præcipuo studio colendi sint; de quo vide l. c. §. 11. n. 13. & 11. & §. 10. n. 1. & 2.

IV. *Nimis honorificati sunt amici tui DEUS.* Psal. 138. Potest honor à DEO omnibus Sanctis exhibitus per similitudinem honoris olim Esther. 6. Mardochæo ab Asvero Rege exhibiti explicari, & salutares inde doctrinæ erui, de quo vide tom. 1. tit. 30. §. 11. v. 2.

V. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Matth. 5. Ostendi potest magnitudo beatitudinis, quam Sancti in cælis obtinuerunt, de qua vide tom. 3. tit. 4. V. Beatitudo. §. 11. n. 7. & §. 2. & 3. Deinde quomodo Sancti ad hanc felicitatem pervenerint, scilicet per arctam portam tribulationum, quoniam per multas tribulationes &c. Act. 14. Vide to. 1. tit. 30. §. 11. n. 8.

VI. *Cum palma ad regna pervenerunt Sancti.* In Breviario. Dici potest, non sine mysterio Christum, cùm Jerusalem ingressus est, turbam cum palmis obviam tem habuisse, ut ostenderet nempe, neminem cælestem Jerusalem ingressurum, nisi qui palmam in manibus haberet, hinc etiam Apoc. 7. cum palmis in manibus conspecti sunt. Palmæ autem tales victoriæ signum sunt. Unde potest ostendi, quomodo Sancti Mundum, Carnem, & Diabolum vicerint; aut certè quomodo victoriam sui omnium victoriarum præstantissimam de seipsis obtinuerint, de qua vide to. 1. tit. 30. §. 11. n. 6. ubi etiam plures Conceptus de hac materia reperiri possunt.

PRO COMMEMORATIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM.

I. MIseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Job. c. 19. Possunt explicari potiora motiva ad misericordiam animabus Purgatorij præstandam excitantia, quæ vide tom. 1. tit. 16. V. Misericordia erga Defunctos. §. 10. n. 1.

II. *Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Matth. 25. probari potest, animabus Purgatorij propterea etiam strenuè & promptè succurrendum esse, quòd hæc misericordia sit unum ex certioribus signis prædestinationis ad vitam æternam certiùs, citiùs, & copiosiùs obtinendam, de quo vide to. 1. tit. 16. §. 10. n. 4. & 5.

III. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos Amici mei.* Job. 19. Potest ostendi, quàm verè dicantur animæ defunctorum miseræ seu pauperes die arme Seelen / quia scilicet in gravissima necessitate sunt constitutæ, & seipsas juvare non possunt; unde explicetur hæc earum necessitas ex pœnæ gravitate, de qua vide tom. 3. tit. Purgatorij. In secunda postea parte ostendatur, quomodo ipsis succurrendum sit triplici genere bonorum operum, oratione scilicet, eleemosyna, & jejunio seu operibus pœnitentiæ, de quo vide to. 1. tit. 16. §. 9. n. 2. aut §. 1. n. 9.

IV. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Matt. 4. Ostendi potest, quomodo Auditores animas piscari debeant; quem conceptum vide loc. cit. §. 10. n. 10.

V. *Date, & dabitur vobis.* Luc. 6. Potest ostendi perfectissimus modus succurrendi animabus, scilicet mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem dando in sinum earum, uti tom. 1. tit. 16. §. 1. n. 9. & §. 10. n. 14. ostenditur. In secunda parte ostendatur, quomodo ipsæ vicissim sint daturæ mensuram bonam impetrando benedictionem in temporalibus: confertam impetrando augmentum virtutum & meritorum: coagitatam impetrando felicem mortem, & liberationem à purgatorio: supereffluentem, impetrando insigne augmentum gloriæ; de quibus vide to. 1. tit. 10. §. 4. varias historiolas.

VI. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare:* ostendi potest, quantopere Dæmon impedire conetur auxilium animabus Purgatorij præstandum per varias objectiones, quæ proinde refutandæ sunt. Vide to. 1. tit. 16. §. 9. n. 4. & §. 10. n. 13. ubi etiam plures ejusmodi conceptus reperiri possunt.

PRO FESTO S. MARTINI.

I. NEmo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Luc. 11. Potest ostendi, quomodo S. Martinus fuerit lucerna ardens & lucens; lucans quidem luce veræ fidei & boni exempli; ardens verò ardore caritatis duplicis erga DEUM & homines, ad quod serviet vita ejus breviter in Breviario, & fusiùs apud Surium descripta; & ea, quæ in tit. Caritas & dilectio proximi to. 1. & tit. Exemplum to. 3. sunt dicta.

II. *Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Luc. 11. Ostendi potest, quomodo quivis Paterfamilias exemplo S. Martini debeat esse lucerna seu lumen suæ domûs. Et 1. quidem ut lux exiccare & purgare omnes sordes & vitia suorum Subditorum, corrigendo eadem, & occasiones tollendo. 2. Illuminando, seu quà verbis, quà exemplo bonos mores, & honestas artes docendo, aut certè ut ab aliis doceantur, curando. 3. Accendendo seu efficiendo, ut DEUM & proximum sincero amore diligant; quæ omnia quomodo S. Martinus erga suos præstiterit, & quilibet Paterfamilias imitari debeat, practicè ostendatur. Vide supra cit. titulos.

III. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Luc. 11. Ostendi potest, necessitas, utilitas & jucunditas intentionis bonæ, & quomodo ex hoc capite totum corpus seu tota vita S. Martini lucida fuerit, & laudabilis apud DEUM & homimines, pro quo vide to. 1. tit. 11. V. Intentio bona.

IV. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Luc. 11. Potest intentio bona oculo comparari 1. Ob necessitatem; sicut enim sine oculis homo miser est juxta notum proverbium: Ein blinder Mann / ein armer Mann; ita multò magis hoc de intentione dici potest, utpote sine qua nihil homo lucratur pro æterna vita. 2. Ob teneritudinem; sicut enim nihil est, quod in corpore humano faciliùs læditur, quàm oculus, ita idem de intentione cum veritate dici potest, utpotè quæ facillimè per subrepentem vanam gloriam aut aliam malam intentionem vitiatur. 3. Ob utilitatem, sicut enim qui bonos oculos habet, magnum habet ad labores peragendos, periculaque & hostes declinandos subsidium; ita qui bonam intentionem habet, cum magna alacritate & diligentia quotidianas suas actiones perficiet, & contra varias hostium tentationes se defendet, ut bene notavit Thomas Kemp. l. 3. c. 33. dicens: quantò purior fuerit intentionis oculus; tantò constantiùs inter diversas itur procellas. 4. Sicut qui oculos bonos habet, multiplicem ex variorum objectorum visione delectationem percipit, ita & qui bonam intentionem habet, magna voluptate perfunditur, ex finis, quem intendit, & actionum, quas elicit, præstantia. Vide dictum tit. Intentio.

V. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit.* Luc. 11. Potest malæ intentionis natura, & damna explicari, & ostendi, quomodo impediat gloriam, & beneplacitum DEI, salutem proximi (cùm DEUS talibus non assistat) & propriam, utpote qui aliquando fateri debeant cum Apostolis: Præceptor, tota nocte laborantes, nihil cepimus. Vide to. 1. tit. 11. §. 1. à 0. 34. & §. 2. à n. 31. §. 5. à n. 11. §. 10. à n. 14. & §. 12. à n. 28.

VI. *Lucerna fulgoris illuminabis te.* Luc. 11. Potest misericordia per divisum pallium, & alia opera exhibita à S. Martino commendari, & illud præcipuè in considerationem trahi, quòd Christus in illa veste ipsi apparens dixerit: Hâc me veste Martinus vestivit; unde ostendi poterit, quomodo illam Christi doctrinam Matth. 25. Quamdiu fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis: ob oculos semper habere, & per eam ad mansuetudinem, caritatem, & misericordiam juxta exemplum S. Martini exercendam excitare se debeant, quem in finem non parùm serviet historia tom. 1. tit. 4. §. 5. n. 13. item tom. 1. tit. 15. V. Misericordia.



PRO

PRO FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

I. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Poteſt narrari hiſtoria de Eſther, c. 2. Eſth. & præcipuè quomodo introducta fuerit in domum regiam, ut præpararetur cum puellis regiis; atque oſtendi, quomodo B. Virgo ſe præparârit, ut fieri poſſet Sponſa Spiritûs ſancti, id quod accuratè faciebat per orationis continuæ, & virtutum aliarum, præcipuè humilitatis, obedientiæ, & modeſtiæ ſtudium, quarum proinde virtutum aliqui actus enumerari poſſunt, atque eum in finem videri tituli earundem virtutum.

II. Ex ejuſdem thematis occaſione oſtendi poteſt, quomodo B.Virgo ſe præſentârit in templo, & obtulerit Domino. Unde 1. oſtendatur, in quo conſiſtat Præſentatio, ſcilicet ut ſe totum arbitrio DEI quis committat, ſolúmque illius beneplacitum requirat. 2. Quomodo hoc totum B.Virgo impleverit. 3. Quomodo ipſi quoque Auditores ad exemplum hujus Virginis præſentare ſe debeant. Vide to.1. tit. Reſignatio.

III. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Poteſt oſtendi, quanta felicitas & dignitas obtigerit B.Virgini per Maternitatem DEI; ob hanc enim præſervata eſt ab originali macula: eſt repleta innumeris donis gratiæ, teſte Angelo Luc.1. præſervata à multis periculis, ad ſummam poſt DEUM dignitatem evecta, & in cælos glorioſè aſſumpta. In ſecunda parte oſtendatur, quomodo quivis Mater DEI effici poſſit juxta illud Chriſti Matth.12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus Frater, Soror, & Mater eſt:* & quomodo etiam Auditores ſuo modo participare queant ſimiles effectus. Vide to.1. tit. Hyperdulia Mariana. §.2. & 3.

IV. *Quin imò beati, qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud.* Luc. 11. Poteſt explicari felicitas eorum, qui Verbum DEI audiunt, id eſt, voluntatem DEI in omnibus obſervant, & exequuntur. Oſtendatur ergo, quomodo triplicem beatitudinem conſequantur. 1. *in bonis temporalibus*, juxta illud Chriſti Matth.6.Quærite primùm regnum DEI &c. 2. *in bonis gratiæ:* quia obedientia, teſte S. Gregorio, cæteras virtutes menti inſerit, inſertáſque cuſtodit; hinc & ipſe Chriſtus, quia ſubditus erat Parentibus, proficiebat ætate, & gratia &c. 3. *in bonis gloriæ*, quia obediens uti loquetur & obtinebit victorias longè excellentiores, ſubjugando & captivando ſeipſum & judicium ſuum, ita præmium quoque copioſius à DEO obtinebit. Vide to.1. tit.Obedientia & Reſignatio.

V. Ex eodem themate oſtendi poteſt,quòd B.Virgo felix quidem fuerit, quòd genuerit Verbum divinum, ſed multò felicior, quòd audierit Verbum DEI, & conſervaverit illud in corde ſuo, uti Evangelium teſtatur, & per inductionem aliquot Exemplorum probari poteſt, ſimúlque oſtendi, cur & quomodo ipſi quoque Auditores Verbum DEI audire, cuſtodire, & opere complere debeant, de quo videatur to.3. tit. Verbum DEI.

VI. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Poteſt B.Virgo Speculo virtutum comparari, & illa S.Ambroſij hortatio: Sit vobis tanquam in imagine &c. proponi, ſimúlque, quæ virtutes in hoc Speculo,tempore præſentationis maximè reluxerint,oſtendi; de quo videatur to.1. tit. Hyperdulia Mariana. §.4. n.57. & ſeq. & §.5. à n.86. & §.10.n.18. ubi etiam plures conceptus reperire licet.

PRO FESTO S. CATHARINÆ.

I. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Matth. 25. Oſtendi poteſt, non immeritò S. Catharinam Studioſorum, & Philoſophorum maximè Patronam agnoſci, eò quòd abſolutiſſima Philoſophiæ & Sapientiæ cæleſtis ſpecimina ediderit, obſervans exactiſſimè duo primaria Philoſophiæ præcepta: abſtine, & ſuſtine. Unde 1. oſtendatur, quomodo abſtinuerit à voluptatibus, divitiis, honoribus à Maximiniano Imperatore promiſſis: & quomodo ſuſtinuerit indigentiam, contemptus, dolores. In ſecunda parte oſtendatur, quos fructus ex hac Sapientia retulerit, ſcilicet ſummas conſolationes cæleſtes, ſummas divitias virtutum (quæ ſolæ veræ divitiæ ſunt) & ſummos honores in cælis & terris. Vide to.1. tit.27. V. Prudentia. §.12. n. 2.

II. *Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Matth. 25. Oſtendi poteſt, quòd per oleum hoc meritò caritas erga DEUM & proximum intelligatur, utpote quæ perinde ad lumen fidei alendum requiritur, ac oleum ad lumen in lampade conſervandum, juxta illud S.Pauli 1. Cor.13. Si habuero omnem fidem &c. Oſtendatur ergo, quomodo hoc oleo lampadem ſuam S.Catharina impleverit, id eſt, caritatem ſuam erga DEUM & Proximum oſtenderit, & Auditores quoque eandem imitari, &, *Date nobis de oleo veſtro*, dicere debeant. Vide tit. Caritas. & Dilectio Proximi. to.1.

III. *Ecce Sponſus venit, exite obviam ei.* Matth. 25. Oſtendi poteſt, quàm ſapienter egerit S.Catharina nuptias Maximiniani recuſando, & Chriſtum in Sponſum eligendo, quia erat pulchrior, ſapientior, ditior, nobilior, dignior; & quomodo proin ipſi quoque Auditores eidem ſe per caritatem deſponſare poſſint. Vide tit.Caritas. to.1.

IV. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.* Matth. 25. Poteſt oſtendi, quomodo S.Catharina vigilaverit, ſe ad mortem diſponendo per optimam, id eſt, voluntati DEI conformem vitam; & quomodo Audi-

tores quoque ad eandem se disponere debeant per simile medium, pro quo to.3. tit. Mors. videri potest.

V. *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Matth. 25. Ostendi potest, quales fuerint Nuptiæ, ad quas S. Catharina intravit, sive Sponsus, in cujus thalamum introducta fuit: sive festivitas & gaudium, quod ex iisdem nuptiis percipiendum fuerat: sive illarum perpetuitas consideretur. In secunda parte ostendatur, cur admissa fuerit ad has nuptias, quia scilicet parata erat per animi puritatem juxta illud Matth. 5. Beati mundo corde &c. & ps. 14. Domine quis habitabit &c. qui ingreditur sine macula &c. Vide tom. 3. tit. Beatitudo. & Mors.

VI. *Et clausa est janua.* Matth. 25. Potest Auditor ad non differentem pœnitentiam excitari, atque ad hunc finem explicari, quantum dolorem meritò illæ Virgines fatuæ percepisse credendæ sint, dum verba ista, *janua clausa est*, audiverunt: & quantò majorem percepturi sint damnati, si non tantùm pœnam damni per ista verba, sed etiam pœnam sensûs incurrisse adverterint per verba: Ite Maledicti. Ostendatur dein, quomodo S. Catharina à juventute lampadem cordis oleo caritatis impleverit, atque adeò quivis ejus exemplum imitari debeat. Vide to. 1. tit. Pœnitentia.

PRO FESTO S. ANDREÆ.

I. *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Matth. 4. Potest ostendi, quomodo quisque vocationem suam implere debeat, nimirum 1. continuò seu statim sequendo juxta illud ps. 94. Hodie si vocem ejus audieritis &c. 2. retia, seu impedimenta vocationis relinquendo, seu generosè removendo. 3. sequendo, imitando scilicet Christum in voluntate Patris cælestis adimplenda, seu iis, quæ ad statum suum pertinent, perfectè obeundis.

II. *Venite post me.* Matth. 4. Potest ostendi, cur S. Andreas vocem Christi tam promptè audierit, & secutus sit, quia scilicet habebat omnes conditiones earum vocum, quas libenter audire solemus, & erat vox Personæ potentis, sapientis, amantis, præmiantis; de quo conceptu vide to. 1. tit. 19. §. 12. n. 7.

III. *Faciam vos Piscatores hominum.* Matt. 4. Explicari potest, quàm nobilis sit piscatio animarum. 1. ob pisces, qui capiuntur, scilicet animas, de quarum præstantia vide to. 3. tit. a. V. Anima. §. 3. 10. & 11. 2. ob instrumenta piscandi, videlicet orationem, verbum, & exemplum, de quibus vide tom. 1. tit. 35. V. Zelus. §. 11. n. 2. 3. ob lucrum inde sperandum seu præmium zelosis Piscatoribus animarum promissum, de quo vide l. c. §. 3. à n. 16. Ostendatur dein, quomodo S. Andreas impleverit hoc officium Piscatoris, & quomodo Auditores quoque eundem pro suo statu & vocatione imitari debeat.

IV. *Relictis retibus, & Patre secuti sunt eum.* Matth. 4. Possunt proponi, & refutari impedimenta, ob quæ aliqui ægrè vocem & verbum DEI audiunt, de quibus vide to. 1. tit. 19. §. 12. n. 4. & to. 3. tit. Verbum DEI.

V. *Secuti sunt eum.* Matth. 4. Ostendi potest, quàm perfectè S. Andreas Christum secutus sit, implendo scilicet conditiones, quas ipse Christus Matth. 16. indicavit dicens: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me: Declaretur ergo in prima parte, quomodo abnegaverit semetipsum, pro quo vide to. 4. tit. Abnegatio. In secunda verò explicetur, quomodo sustulerit crucem suam, ita ut non solùm libenter, sed etiam alacriter & constanter eam tulerit; de quo vide to. 1. tit. Patientia. & to. 3. tit. Crux.

VI. Ex ejusdem thematis occasione ostendi potest, quare S. Andreas cum Christo tam hilariter crucem portaverit, quia videlicet non ad exteriorem pressuram, sed ad fructum intus latentem oculos reflexit perinde ac is, qui crucem ligneam, intus cavam & auro impletam eum gaudio domum portaret, unde ostendantur, & enumerentur fructus latentes sub cruce & tribulationibus, & probetur, quàm illæ dignæ fuerint, ut S. Andreas cum gaudio crucem salutaret, & susciperet, & verò etiam in hoc Auditores ipsum imitari debeant. Vide to. 3. tit. Crux. §. 10. & to. 1. tit. 22. V. Patientia. §. 9. n. 5. & §. 12. n. 8.

PRO FESTO S. NICOLAI.

I. *Tradidit illis bona sua.* Matth. 25. Ostendi potest, quomodo DEUS omnes res creatas homini tradiderit ad usum, juxta illud ps. 8. Omnia subjecisti ei &c. & quomodo proin illa tria cujusdam S. Patris dicta sibi applicare debeat: Accipe beneficium, redde servitium: time supplicium: quæ proin ampliùs explicari, & quomodo bonis sibi traditis S. Nicolaus sit usus ad finem destinatum, id est, ad servitium DEI, ostendi. Vide tit. Amor. to. 1. & tit. DEUS. to. 3.

II. *Euge Serve bone & fidelis.* Matth. 25. Ostendi potest, quis sit fidelis Servus, & quomodo omnia talis Servi officia impleverit exactissimè S. Nicolaus, de quo vide to. 3. tit. DEUS. §. 11. n. 3.

III. *Domine, duo talenta tradidisti mihi.* Matth. 25. Explicari potest, quomodo quilibet homo duo talenta, intellectum scilicet, & voluntatem à DEO acceperit, ut per ea acquirat alia duo talenta in hac vita, scilicet cognitionem & amorem DEI, & duo in altera, visionem nempe & fruitionem DEI, & quomodo hæc duo talenta lucratus sit S. Nicolaus, & ipsi etiam Auditores lucrari debeant. Vide to. 1. tit. Amor. & to. 3. tit. Beatitudo.

IV. *Uni-*

IV. *Unicuique secundùm propriam virtutem.* Matth. 25. Ostendi potest, quomodo quisque talento suo contentus esse debeat, & inprimis quoad dona naturalia, puta constitutionem corporis & animi, de quo vide pulcherrimum caput in lib. de imit. Christi l.3. c.22. Deinde quoad bona fortunæ, de quo vide tit. Paupertas, to.1. & tit. Divitiæ, to. 4. Denique quoad conditionem status & officij, ut meminerit, quemvis spectaculum factum esse DEO & hominibus, atque adeò non referre, quam Personam, sed quàm bene agat. quæ omnia proin quomodo S. Nicolaus observârit, & quisque ex Auditoribus observare debeat, fusiùs ostendatur. Vide to.1. tit. Resignatio.

V. *Operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.* Matth. 25. Ostendi potest, quomodo fœneratus sit S. Nicolaus, statim ab adolescentia facultates suas pauperibus distribuendo, ita ut dicere cum Jobo posset: Ab infantia mecum crevit miseratio &c. Job.31. & deinceps hanc misericordiam per totam vitam continuando, id quod facilè ex vita in Breviario descripta ostendi potest. Addatur, quos fructus ex hac misericordia retulerit, & quos Auditores quoque sperare possint. Vide tit. Misericordia, to 1.

VI. *Uni dedit quinque talenta, alij duo.* Matth. 25. Ostendi potest, quomodo S. Nicolaus artem eleemosynas fructuosè dandi docuerit, observando scilicet 1. Personas, quæ magis egebant, ut patet in tribus Virginibus, quas dotabat. 2. Modum securissimum, nempe occultè dando, & sic observando consilium Christi Matth. 6. Cùm ergo facis &c. 3. Quantitatem, dum omnia sua distribuit juxta consilium Christi Matth. 19. Si vis perfectus esse &c. Excitentur proin Auditores ad hanc misericordiam & liberalitatem imitandam, quem in finem vide tit. Misericordia. to. 1.

PRO FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

I. *Jacob autem genuit Joseph virum MARIÆ.* Matth. 5. Potest ostendi, quale sit hoc Festum; & quantopere placeat ejus devota celebratio: & quis sit optimus modus celebrandi, scilicet per immaculatæ vitæ studium; de quo conceptu vide to.1. tit.10. §.10. n.3. Item §.3. à n.19. & §. 4. à n.19.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo in conceptione B. Virginis impletum sit illud Cant. 6. Sicut lilium inter spinas &c. de quo vide to.1. tit.10. §.10. n.1.

III. Item quomodo verificatum sit in illa id, quod Cant. 4. de Sponsa dicitur: Tota pulchra es &c. de quo conceptu vide l. c. n. 2.

IV. Item quomodo verificatum sit illud Gen. 3. Inimicitiam ponam &c. de quo vide l. c. n. 5.

V. Item quomodo hoc dic aurora, seu potiùs aurea hora, ut S. Birgittæ revelatum est, exorta sit. de quo vide l. c. n. 4.

VI. Item ostendi potest, quomodo hoc Festum devotissimè celebrari possit, nempe 1. Cogitatione, firmiter credendo immaculatam conceptionem, pro quo fine possunt afferri rationes id credibile facientes. 2. Verbo, prædicando aut asserendo immaculatam conceptionem, (id quod per officium immaculatæ conceptionis quotidie recitatum fieri potest) eámque contra Adversariorum argumenta defendendo, prout non pauci etiam voto ad id se adstringunt. 3. Opere, seu per immaculatæ vitæ studium, qui modus, cùm sit purissimus, amplissimus, & constantissimus, meritò B. V. quoque gratissimus censeri potest, ac debet. de quo vide to.1. tit. Hyperdulia. §.2.3.4. ubi §.10. reperientur etiam alij conceptus ad B. Virginem pertinentes, & omnibus Festis communes.

PRO FESTO S. THOMÆ.

I. *Noli esse incredulus.* Jo. 20. Potest ostendi, quanta damna afferat incredulitas, nam 1. est radix omnium peccatorum, uti jam olim S. Teresia affirmavit, & facilè per inductionem suaderi potest; ita ut meritò dixerit Joannes Avila, Christianos malè viventes aut Hæreticorum carcere dignos esse, quia non credunt ea, quæ de futuræ vitæ gaudiis & pœnis fides docet; aut Stultorum cavea, si nempe credant ea, & tamen pergant peccando viam sibi ad cælum occludere, & ad infernum aperire. 2. privat præsentiâ & gratiâ Christi, quâ nihil est utilius, jucundius, & optabilius, uti ex c. 7. & 8. l. 2. de imit. patet. 3. privat facultate bene operandi; cùm, qui veram fidem non habet, oculo quasi spirituali animæ careat, ac proinde nihil operari possit ad vitam æternam pertinens; quæ jactura quàm gravis sit, ostendatur. Pro quo vide tit. Hæresis. to. 3.

II. Ex ejusdem thematis occasione potest incredulitas cœcitati spirituali, & ostendi inde damna illius, ob quæ meritò dicatur: Ein blinder Mann/ ein armer Mann. Nam 1. non secure incedit, sed in periculo manifesto est, ne à vera via ad cælum aberret. 2. pariter in periculo est, ne in foveam inferni cadat. 3. nihil operari potest ad salutem, ut cœcus. 4. privatur gaudio, quod ex aspectu Cæli, & cælestium Incolarum, & ipsius DEI alij percipiunt, & ipse quoque percipere potuisset. Vide to. 3. tit. Hæresis.

III. *Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis.* Jo. 20. Ostendi potest, quæ sit potissima causa incredulitatis & Hæresium, nempe quia non sociantur Apostolis seu Ecclesiæ Apostolicam doctrinam tenenti; unde probetur, quomodo Ecclesia hanc doctrinam semper tenuerit, & defenderit,

derit, quámque adeò meritò eidem quivis firmissime conjungi, & adhærere debeat. pro quo vide to.1. tit. Fides.

IV. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Jo.20. Potest ostendi, quàm verè beati dicuntur, qui veram fidem tenent, in acceptatione exercitio, & prœmiatione fidei, pro quo vide totum tit. Fides. to.1. præsertim verò §.11. n.12.

V. *Erant Discipuli intus, & Thomas cum eis.* Jo.20. Potest ostendi utilitas Societatis bonæ, quia scilicet excitat exemplo ad bonos mores, frui facit præsentia Christi (qui in medio eorum est, qui congregari sunt in nomine suo) & singularem lætitiam affert juxta illud Psalmistæ: O quàm jucundum est habitare Fratres in unum: & contra hostes defendit, quia Frater, qui juvatur à Fratre, quasi civitas firma. Vide to.3. tit. Societas.

VI. *Venit JESUS januis clausis.* Matth.25. Possunt explicari fructus præsentiæ Christi, & ad eos participandos Auditores excitari. de quo conceptu vide tit. DEUS. to.3. §.11. n.11.

PRO FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

I. NAtus est vobis hodie Salvator. Luc. 2. Ostendi possunt causæ duæ potissimæ, propter quas natus est Christus, scilicet ut per passionem nobis aperiret cælum, & per vitæ suæ exemplum ostenderet brevissimam, certissimam, & securissimam viam ad cælum. Unde utraque hæc causa fusiùs ostendenda, & quomodo eundem imitari debeant Auditores, demonstrandum. Vide tom.3. tit. 11. V. Christus. §.3. à n.24 & 30.

II. *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Luc. 2. Ostendi potest, quomodo de Christo multò veriùs, quàm de B.Virgine dici queat: Nativitas tua DEI Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo Mundo, scilicet DEO, Angelis, Patribus in Limbo, Animabus Purgatorij, Hominibus, quia scilicet his omnibus natus est Salvator; unde excitandi Auditores ad gaudium, gratitudinem, & ad Christi merita per bonam vitam applicanda. Vide cit. tit. §.11. n.6.

III. *Et peperit Filium suum primogenitum.* Luc. 2. Potest ostendi, quis sit optimus modus suum amorem erga Christum ostendendi, si videlicet illum tractemus, ut B.Virgo eum tractavit concipiendo, generando, pannis involvendo &c. quæ omnia fusiùs proposita vide cit. tit. Christus. §.11. n.5.

IV. Ex ejusdem thematis occasione potest ostendi, quomodo consuetudo, natales dies magnorum Principum celebrandi observari debent erga Christum, & in prima quidem parte demonstrari, cur hic dies præ reliquis festivè celebrari debeat, nimirum quia summus Dominus natus est, dein quia natus est nobis, id est, in nostrum commodum, & totius generis humani. In secunda parte ostendi potest, quomodo debeamus celebrare, nempe concipiendo gaudium magnum & congratulationem, instituendo certamen (Turnier) contra vitia nostra & passiones per confessionem & seriam emendationem, sumendo convivium magnificentissimum Eucharistiæ, excitando ignes missiles variarum ardentium precum, quibus sanè modis DEUM & Angelos, & homines recreabimus. Vide tit. cit. §.11. n.7.

V. *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. Potest ostendi, quomodo Angeli canere potuerint Christum venisse ad pacem mittendam, cùm tamen ipse postea dixerit: Non veni pacem mittere, sed gladium: & resolvatur, eum non venisse ad pacem falsam, quam Mundus dat, uti ipsemet Jo. 14. resolvit, sed ad pacem veram, quæ oritur ex eo, quòd gloria & voluntas DEI in omnibus quæratur, & adimpleatur, quæ proin ampliùs explicanda. Vide to.4. tit. Pax. & c.25. l.3. de imit. Christi.

VI. *Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Luc. 2. Potest dici, olim Hebræos habuisse hunc morem, ut, si tristitia quæpiam eos invasit, mox se mutuò excitantes dixerint: Eamus ad Filium MARIÆ, ut hilares fiamus: eò quòd Christus etiamnum adolescens parvulus tam amabilis fuerit, ut solo aspectu suo aspicientes exhilarârit. Dicat ergo Concionator, se quatuor turmas hodie ad Præsepe adducturum, & facturum, ut hilares fiant, quarum prima est pauperum, secunda infirmorum, tertia contemptum patientium, quarta peccatorum; ostendat ergo, quomodo singulæ hæ turbæ Christum in præsepio aspicere, & ejus exemplo solari se debeant. Vide cit. tit. Christus.

PRO FESTO S. STEPHANI.

I. STephanus autem plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Act. 6. Potest ostendi, qualia prodigia fecerit S. Stephanus, nempe sequentia tria. 1. Quòd veritatem tam apertè dixerit, quod quia vix ullus, aut certè paucissimi dicere audent, meritò prodigij loco haberi potest. 2. Quòd lapides tam alacriter exceperit, ut Ecclesia de eo canat, quòd dulces eidem fuerint. 3. Quòd inimicis tam generosè ignoverit. Ostendatur ergo fusiùs, quàm grandia fuerint hæc prodigia, & quomodo Auditores ea imitari debeant. Vide tit. Fortitudo. & tit. Dilectio Inimici. to. 1.

II. *Ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt.* act. 7. Potest dicere Concionator, se paradoxum in hac concione probaturum, scilicet quòd S. Stephanus se vel maximè de inimicis vindicaverit, nempe per dilectionem eorundem, quæ est honestissima, effica-

ficacissima, & longissimè durans ultio; de quo vide to.1. tit.5. §.11. n.1.

III. Ex eodem themate probari potest, cur S. Stephanus tam ferventer oraverit pro inimicis, nempe quia consideravit exemplum Patris æterni, Christi, Sanctorum, puta Davidis & similium, aliáque motiva sibi proposuit: de quibus vide tit. cit. §. 8.

IV. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis DEI.* Act. 7. Potest ostendi, qualem sibi imaginatus sit Christum. Nempe 1. ut Magistrum dilectionis inimicorum. 2. ut Agonothetam seu Spectatorem. 3. ut Remuneratorem; & ideo tam fortiter certaverit, & odium inimicorum vicerit. Vide cit. tit. 5.

V. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Ecclesia in Breviario. Ostendi potest, quid lapides hos ipsi dulces fecerit, nempe 1. Amor DEI, de quo vide tit. Caritas. to.1. 2. Amor Christi, de quo vide tit. Christus. to. 3. 3. Amor inimicorum, de quo vide tit. Dilectio Inimici. to. 1. 4. Amor sui ordinatus attendens præmium offerendum. de quo vide tit. Beatitudo. to.3.

VI. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Ps. 20. Ostendi potest, quàm pretiosa fuerit corona S. Stephani ex lapidibus tribulationum facta. 1. quia per hanc coronam summè placebat DEO, Christo, & Beatis in cælo. 2. quia ob eam etiam summam laudem & honorem apud homines promeruit. 3. quia per eam regnum cælorum, & beatitudinem comparavit. Vide tit. Patientia. to. 1. & tit. Beatitudo. to.3.

PRO FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

I. **V**Idit illum Discipulum, quem diligebat JESUS. Jo. 21. Ostendi potest, quare Christus S. Joannem tantopere dilexerit, nimirum 1. ob castimoniam corporis. 2. ob vitæ innocentiam. 3. ob fiduciam singularem. Ad quas virtutes imitandas excitentur & ipsi Auditores. Vide tit. Castitas. & Caritas. to. 1.

II. *Scimus, quia verum est testimonium ejus.* Jo. 21. Potest ostendi, non immeritò S. Joanni Aquilam appingi, eò quòd, sicut nulla avis oculis suis magis inspicere potest Solem, ita & ille præ cæteris Evangelistis altiùs de Divinitate scripserit, utpote qui etiam supra pectus Domini recubuit, & fluenta Evangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Dein ostendatur, ob quam causam sic intueri Solem, id est, DEUM potuerit, quia scilicet mundum cor habebat, hinc in illo impletum: Beati mundo corde &c. Excitentur ergo Auditores, ut & ipsi huic munditiæ studeant, ut in hac & altera vita DEUM clariùs videre mereantur. Vide to. 3. tit. DEUS. & Fabrum conc. 1.

III. *Recubuit in cœna super pectus ejus.* Jo. 21. Ostendatur imprimis, quid sit supra pectus Christi recumbere, nimirum caput suum cordi Christi, seu voluntati ejus conjungere & unire, seu clariùs, voluntatem suam voluntati ejus conformare. Dein ostendatur, quomodo S. Joannes non tantùm materialiter, sed etiam moraliter dicto modo recubuerit super pectus ejus. & tandem quem fructum inde reportaverit, scilicet summam & jucundissimam quietem ac tranquillitatem animi. Excitentur proin Auditores, ut, sicut S. Joannem propterea felicem judicârunt, quia super pectus Domini recubuit, ita hanc ipsam felicitatem per conformationem voluntatis suæ cum divina participare studeant. Vide to. 1. tit. Resignatio.

IV. *Tu me sequere.* Jo. 21. Ostendi potest, quomodo S. Joannes Christum secutus sit. 1. in vocatione, relictis retibus, & Patre. 2. in consolatione in monte Thabor. 3. in passione, nempe ad montem Oliveti, & Calvariæ; & postea in exilium, in Martyrium, saltem intentatum. 4. in gloria, ut verificatum fuerit illud: Sicut socius passionis eris, ita & gloriæ. Vide tit. Passio Christi. to. 3. & l. 2. c. 11. de imit.

V. *Valde honorandus est B. Joannes.* Ecclesia in Breviario. Ostendi potest, cur honorandus sit B. Joannes, nempe ob triplicem laureolam, Virginum, Doctorum, Martyrum; quæ proin quomodo illi convenerit, ostendendum; quomodo item suo modo Auditores harum laureolarum fructum participare queant. Vide tit. Castitas & Patientia. to. 1. & tit. Verbum DEI. to. 3.

VI. *Quid ad te? tu me sequere?* Jo. 21. Ostendi potest, cur de alienis factis & moribus dijudicandis solliciti esse non debeamus, quia talis sollicitudo *vana* est (utpote ad nihil conducens) *injusta*, dum invadimus jurisdictionem alienam, scilicet Judicis supremi: *noxia*, quia lædit DEUM, Proximum, Nosipsos, dum a melioribus & utilioribus cogitandis, & prædicandis abstrahit. Vide lib. de imit. 3. c. 24. In secunda parte ostendi potest, quomodo quivis sequi debeat Christum dicentem: Veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Vide tit. Obedientia. to. 1.

PRO FESTO DEDICATIONIS TEMPLI.

I. **H**Odie salus domui huic facta est. Luc. 19. Potest ostendi, cur dedicatio instituta sit, nempe ob tres causas. 1. Ut memoriam recolamus Beneficiorum per templum & in templo collatorum. 2. Ut debitas pro iis gratias agamus. 3. Ut veniam petamus negligentiarum in templo tali commissarum, & defectus tales sincerè emendare studeamus; qui quidem defectus enumerari possunt, nempe negligentia in eo frequentando, in cultu divino ibidem

ibidem rectè peragendo in Missa, in Verbo divino ritè audiendo, in Sacramentis fructuosè suscipiendis. Vide to. 3. tit. Sacramentum. & Sacrificium. & Verbum DEI.

II. *Hodie in domo tua oportet me manere.* Luc. 19. Potest ostendi, quomodo dedicatio dignè celebrari possit, si scilicet mens nostra, quæ est templum DEI, denuo dedicetur divinis usibus. In prima ergo parte ostendatur, quomodo antiquum ædificium, v. g. lupanar, hospitium, taberna destrui, id est, præterita consuetudo deponi debeat. In secunda, quomodo non nisi divina officia, id est, opera ad honorem DEI peracta celebrari debeant. Vide to. 1. tit. Intentio bona. & to. 3. tit. Consuetudo.

III. *Hodie salus facta est huic domui.* Luc. 19. Potest ostendi, quomodo possit quivis pro dedicatione jucundum convivium DEO, Sanctis, Amicis, sibi parare, illud nempe, de quo Salomon prov. 15. dixit: Secura mens quasi juge convivium. Ostendatur ergo, quomodo bona conscientia lætificet DEUM & Sanctos, & proximos, & maximè seipsum, ante, in, & post mortem, & quomodo hoc convivium Zachæus Christo instruxerit. Vide tit. Conscientia. to. 3. §. 10. n. 3.

IV. *In domo tua oportet me manere.* Luc. 19. Ostendi potest, quomodo sequi quisque debeat consilium S. Augustini dicentis f. 252. de tempore: Quotiescunque, Fratres carissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, & sanctè ac justè vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum nobis spirituali ædificatione completur. Demonstretur ergo, quomodo 1. dedicatio prima celebrari debeat, deputando nosipsos totos divino cultui. 2. quomodo annua dedicatio fieri debeat per renovationem annuam, in qua agamus gratias pro beneficiis collatis, petamus veniam negligentiarum commissarum, novum concipiamus propositum, divino servitio & cultui nos totos mancipandi. 3. quomodo dedicatio extraordinaria, seu reconciliatio fieri debeat post pollutionem templi factam per peccatum mortale. Vide to. 1. tit. Pœnitentia. & Instruct. 7. pro Festo Dedicat.

V. *Hodie salus domui huic facta est.* Luc. 19. Potest inprimus indicari præstantia templi Salomonici, & probari ex impensis in id factis, de quibus dixit David 1. Paralip. c. 29. Ego autem totis viribus &c.: ex magnitudine, Opus enim grande est &c. ibid. ex elegantia, quia auro undique ornatum fuerat. Deinde ostendatur, quantò præstantius templum sit anima easdem circumstantias spectando, quantòque adeò id magis Majestas DEI sit impletura, & preces in eo exauditura. Inde inferatur, quantâ curâ sit hoc templum mundum custodiendum, laus DEI in illo celebranda, ad illud confugiendum. &c. Vide to. 1. tit. Oratio.

VI. *Hæc est domus Domini.* Eccles. in Breviar. Ostendi potest, quando ad Ecclesiam recurrere debeamus, tunc nempe, quando ad domum materialem recurrimus. 1. quando aliquâ re indigemus. 2. quando pluviæ ingruunt. 3. quando cibum sumere volumus. 4. quando hostis nos persequitur. 5. quando quiescere, & dormire volumus, quæ omnia in sensu spirituali, domui sacræ seu templo accommodari possunt. de quo vide Instruct. 7. pro Festo Dedicat. ubi plures conceptus reperies.



INDEX

INDEX CONCIONATORIUS
in Dominicas.

PRO DOMINICA I. ADVENTUS.

I.

ERunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Luc. 21. Potest Judicij extremi horror demonstrari ex S. Anselmi de simil. Mundi sententia, dum ait: A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper iratus Judex, foris Mundus ardens, intus Conscientia urens &c. quæ omnia vide tom. 3. tit. Judicium. §. 3. n. 2. ubi etiam plura pro amplificatione reperientur.

II. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube.* Luc. 21. Potest judicium extremum tempestati in cælo ortæ comparari, & in secunda parte ostendi, quæ præsidia contra hanc tempestatem adhiberi debeant, quem conceptum vide cit. to. 3. §. 12. n. 2.

III. *Et in terris pressura Gentium.* Luc. 21. Poterit ostendi, 1. qualis ista pressura sit futura, nempe illa, de qua Sophon. c. 1. dicitur: Dies iræ, dies illa &c. 2. Unde oritura sit, nempe ex signis præcedentibus, comitantibus, subsequentibus. 3. Quomodo se quivis armare debeat contra hanc pressuram, de quo vide to. 3. §. 11. n. 4.

IV. *Tunc videbunt Filium hominis.* Luc. 21. Potest judicium Examini pro ascensu & pro præmio comparari. Et 1. ostendi, quàm severum sit futurum, tum ob severitatem Examinantis: tum ob rigorem examinis, quia cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium. Eccles. 12. tum ob sententiam non solùm negantem ascensum ad cælos, & præmium, sed etiam detrudentem ad infernum. 2. Ostendatur, quàm felices se judicarent Discipuli, si omnes quæstiones proponendas in examine præscirent, quantáque diligentia se ad illas præparaturi essent; quantò majori proin sollicitudine quivis homo, cùm ipse Christus velut Examinator, quæstiones proponendas in judicio manifestârit, Matth. 25. se ad eas bene resolvendas per misericordiam præparare debeat. Vide cit. tit.

V. *Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. Ostendi potest, quinam cum gaudio Judicem venturum aspecturi sint, nempe illi, qui priùs seipsos in hac vita dijudicaverunt juxta illud S. Pauli: Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. 11. In secunda postea parte ostendatur, quomodo seipsus per pœnitentiam dijudicare debeant, in specie autem per frequentem contritionem elicitam, per quotidianum examen conscientiæ, per seriam confessionem; pro quo vide tit. Pœnitentia, to. 1. & tit. Confessio. & Examen Conscientiæ, to. 3.

VI. *Verba mea non præteribunt.* Luc. 21. Potest ostendi, quàm consolatoria sint hæc verba, & quasi myrothecij loco variis Personis, præcipuè pauperibus, infirmis, peccatoribus, contemptum patientibus, pro quibus singulis probandis vide tit. Paupertas, & Patientia, & Humilitas, to. 1. Item tit. DEUS. §. 2. & 3. n. 27. & 15. Item tit. Spes. to. 1. Vide etiam totum conceptum hunc dilatatum in Instruct. 7. fol. 67.

PRO DOMINICA II. ADVENTUS.

I. QUid existis videre? arundinem vento agitatam? Matth. 11. Ostendi potest, quàm inconstantes sint homines, maximè si tribulatio ingruat, atque adeò meritò comparentur arundini, à vento & aquis tribulationum agitatæ. In secunda dein parte ostendatur, quomodo se firmare debeant per virtutem constantiæ, de qua vide to. 1. tit. Perseverantia. §. 10. varia media.

II. *Quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Matth. 11. Potest luxus vestium reprehendi, & dissuaderi ob quadruplex damnum. 1. Ob prodigalitatem pecuniarum. 2. Ob prodigalitatem temporis in apparandis & induendis vestibus. 3. Ob prodigalitatem famæ, quæ plerumque non modicum detrimentum patitur. 4. Ob prodigalitatem innocentiæ vel gratiæ. Pro quibus vide tit. Tempus, to. 3. & tit. Fama ac Gratia, to. 4.

III. *Quid existis videre?* Matth. 11. Potest de contemptu Mundi & rerum creatarum institui concio, & occasio ex illis Thomæ Kemp. l. r. c. 20. verbis sumi: Quid potes alicubi videre, quod potest diu sub Sole permanere &c. eum in finem adducatur exemplum Salomonis c. 2. Eccles. omnia enarrantis, in quibus putabat se satietatem inventurum, & inde concludatur, si tantæ divitiæ, honores, & voluptates satiare non potuerunt cor Salomonis, quantò minùs particula aliqua satiatura sit. In secunda ergo parte ostendatur, quomodo hæc omnia multò perfectiùs in DEO velut fonte reperiantur, & claudatur hæc probatio illis S. Anselmi verbis: Quid vagaris per multa, ô homo, quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit. Vide to. 4. tit. Concupiscentia & Mundus.

IV. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Matth. 11. Potest de scandalo agi, & natura ac diversitas scandalorum proponi, ac ostendi, quàm facilè homines scandalizari soleant, quámque adeò meritò beatus dici queat, qui nunquam scandalizatus est in aliis. Vide to. 3. V. Scandalum.

V. *Præparabit viam tuam ante te.* Matth. 11. Potest ostendi, quàm viam paraverit S. Joan-

Joannes, scilicet Viam pœnitentiæ, eò quòd hæc sit via certa ad cælum; via trita seu ab omnibus Sanctis usurpata; via secura, quia nullis periculis & insidiis hostium obnoxia; pro quo vide to.1. tit. Pœnitentia.

VI. *Cùm audisset Joannes in vinculis.* Matth. 11. Possunt afferri causæ, ob quas DEUS justos variis tribulationibus & persecutionibus exerceri permittat; & quòd propterea magna cum patientia & alacritate excipi debeant, de quo vide tit. Patientia, to.1. §.11. n.4. & 5.

PRO DOMINICA III. ADVENTUS.

I. *TU quis es?* Joan.1. Potest cognitio sui commendari, & dici, plerosque sollicitos esse de aliorum moribus cognoscendis, & dicere ad eos: Tu, quis es? cùm tamen dicere potiùs deberent: Quis sum ego? unde docendum, in quo consistat vera sui cognitio. Dein quàm necessaria & utilis sit: & quo medio acquirenda. pro quo vide tom.3. tit.5. §.3. & 11.

II. *Tu quis es?* Joan. 1. Potest ostendi, quomodo hæc quæstio à quovis utiliter sibi applicari possit, quærendo, Tu quis es? 1. secundùm naturam. 2. secundùm religionem. 3. secundùm statum & officium, pro quo vide to.3. tit.5. §.11. n.2.

III. *Confessus est, & non negavit.* Joan. 1. Potest de confessionis integritate & necessitate utiliter instirui concio, de quo vide to. 3. tit. Confessio. §.10. n.2.

IV. *Quid ergo baptizas?* Jo.1. Potest explicari obligatio, quam quivis per baptismum contraxit, nempe ut quæ Patrinus olim in baptismo promisit loco baptizati, ipse nunc opere compleat, de quo vide to.3. tit. Baptismus. §.8. n.3. & §.3. n.10.

V. *Dirigite viam Domini.* Jo.1. Possunt variæ viæ obliquæ & erroneæ proponi, simúlque ostendi, quomodo declinari, & via recta eligi debeat, de quo vide to.1. tit. Pœnitentia. §.11. n.8.

VI. *Quid dicis de teipso?* Jo.1. Ostendi potest, quare & quomodo quivis exemplo S. Joannis humiliter de se sentire & loqui debeat, quem in finem conducet to.1. tit. Humilitas. §.10. n.6. & 8.

PRO DOMINICA IV. ADVENTUS.

I. *VEnit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum Pœnitentiæ.* Luc. 3. Quæri potest, cur Evangelista Pœnitentiam Baptismum vocaverit? & responderi, quòd id propter similitudinem cum Baptismo factum sit; ostendatur ergo hæc similitudo tum ex necessitate, tum ex effectibus, & Auditores ad pœnitentiam suscipiendam excitentur. Vide tom.1. tit. Pœnitentia. §.10. n.10. & §.2. n.9. Item §.3. à n.9.

II. *Parate viam Domini.* Luc. 3. Potest ostendi, quomodo via Domini paranda sit, per tres partes Pœnitentiæ, & per contritionem mutanda prava in directa: per confessionem humilem colles & montes (hoc est, tam altæ, quàm infimæ conditionis) homines humiliandi: per satisfactionem denique valles, id est, obligationes ad pœnam subeundam implendæ. Vide to.1. tit. Pœnitentia. §.10. n.5.

III. *Omnis mons & collis humiliabitur.* Luc. 3. Potest ostendi, quomodo quivis homo meritò accendi debeat ad humilitatem sectandam, si consideret exemplum Christi in ingressu seu nativitate, in progressu per reliquam vitam, & in egressu seu tempore Passionis tam admiranda specimina humilitatis dantis. Vide tom. 1. tit. Humilitas. §. 3. n. 9. 14. 16.

IV. *Omnis vallis implebitur.* Luc. 3. Potest ostendi, quòd humilitas sit aptissimum medium ad quasvis gratias à DEO impetrandas, & merita augenda, pro quo videri potest cit. tit. §. 10. n. 3. & 7. ubi causæ redduntur, cur hoc fiat.

V. *Vox clamantis in deserto.* Luc. 3. Ostendi potest, cur Christus in solitudine per S. Joannem clamârit, & etiam Oseæ 2. dixerit, se Sponsam in solitudinem ducturum, & locuturum ad cor ejus, nempe ut ostenderet dispositiones ad Verbum DEI audiendum necessarias, ut scilicet audiatur, 1. deseratur affectus inordinatus erga creaturas; quamdiu enim talis viget in anima, non potest Verbum DEI efficaciter operari. 2. Ut deserantur curæ, quæ vellicant animum, faciúntque, ut Verbum DEI non attentè audiatur. 3. Ut deseratur saltem cum firmo proposito consuetudo peccandi, quæ nisi evellatur, manet radix peccatorum. Vide tom. 4. tit. Verbum DEI.

VI. *Rectas facite semitas ejus.* Luc. 3. Potest ostendi, quomodo se quivis ad imminentia Festa præparare debeat, nempe rectas faciendo semitas, per sinceram vitæ emendationem, ad quam tria præcipuè suadenda. 1. ardens desiderium emendationis juxta illud Matth. 5. Beati, qui esuriunt &c. 2. Petitio gratiæ. Quia sine me nihil potestis facere, dicebat Christus Jo. 15. & Salomon Sap. 8. Ut scivi, quoniam non possem esse continens, adij Dominum &c. 3. Cooperatio seria & generosa, maximè in radice peccatorum evellenda, juxta consilium Thomæ Kemp. l.3. c.53. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere &c. & l.1. c. 25. Unum est, quòd multos à profectu retardat &c. Vide tom.1. tit. Pœnitentia. §.9. n.3.



PRO

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

I. Ecce positus est hic in ruinam & resurre-ctionem multorum. Luc. 2. Ostendi 1. potest, quomodo Christus positus sit in ruinam multorum, quia scilicet, cùm tot ac tanta pro illis egerit, dixerit, tulerit, tantò major est ingratitudo, quantò plura & majora beneficia acceperunt; hinc ipse Christus dixit: Si locutus non fuissem eis, peccatum non haberent? Unde faciet istis suo tempore, quod olim cuipiam fecit, cui, cùm frustra suaderetur pœnitentia, sanguinem ex latere haustum in faciem projecit, dicens: Cùm nolueris sanguine meo uti ad salutem, fit tibi in perditionem. 2. Ostendi potest, quomodo sit positus in resurre ctionem illis, qui secuti sunt consilium illius Luc. 12. datum: Si quis vult post me venire &c. his enim dicet illud Luc. 22. Vos autem estis, qui permansistis &c. ut adeò verificetur illud S. Pauli: Sicut socij passionum fuistis, ita & gloriæ participes eritis. Vide to. 2. tit. Ingratitudo. præsertim §. 3. n. 7. & §. 4. n. 5. 6. 7.

II. *Positus est in signum, cui contradicetur.* Luc. 2. Narretur, quòd de S. Ignatio legitur, quòd cùm aliquando in Collegium venisset, in quo Domestici dicebant, omnia sibi prosperè succedere, cum gemitu dixerit: Vereor, Filij, ne juxta vocationem vestram strenuè non operemini; alioqui enim statim contradictores habereris à Diabolo excitatos, ut bonis vestris conatibus se opponerent. Ostendatur ergo 1. quàm hoc ipsum etiam in Christo, & Apostolis, & aliis zelosis Operariis sit observatum. 2. Quomodo se Auditores in ejusmodi contradictionibus gerere debeant, nempe eos spernendo, pergendo alacriùs in bene cœptis, divinæ protectioni se committendo. Vide to. 3. tit. Crux §. 6. n. 1. & §. 10. n. 1.

III. *Non discedebat de templo.* Luc. 2. Ostendi potest, cur templa suo tempore diligenter sint frequentanda. 1. Propter orationem fructuosiùs peragendam, ad quam tum ipsa templi sanctitas & reverentia magis excitat; tum etiam conjunctio aliorum hominum non parum conducit juxta illud Christi Matth. 18. Si duo consenserint &c. Vide etiam tit. Oratio. to. 1. §. 11. n. 8. 2. Propter Verbum DEI fructuosiùs audiendum; quia in templo velut loco nativo magis benedictio sperari potest; & præterea cum majori præparatione & applicatione proponitur; de quo vide to. 3. tit. Verbum divinum. 3. Propter Sacramentorum frequentationem, quæ in templo ut proprio loco liberaliter nec sine magno fructu & profectu animarum dispensantur. de quibus vide to. 3. tit. Sacramentum.

IV. *Jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Luc. 2. Ostendi potest, quomodo oratio fructuosa & efficax fieri queat, nempe per sequentia tria media. 1. Si enim jejunio conjungatur, maximè cum universali, seu abstinentia à peccatis, tunc enim locum habet illud S. Joannis 1. c. 3. Filioli, si cor nostrum &c. 2. Si per Christum, B. V. & Sanctorum merita fiat, eorúmque orationibus uniatur; hoc enim per verbum *obsecrationibus* innuitur, & ab Ecclesia docetur, dum omnes ferè orationes per Christum Dominum nostrum claudit. 3. Si constanter oretur, ut Anna Prophetissa exemplo docuit, & Christus hortatus est Luc. 18. Oportet semper orare, & non deficere. Vide de his plura to. 1. tit. Oratio. §. 2. & 3. V. Assiduitas. & Perseverantia.

V. *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia.* Luc. 2. Tractari potest de recta institutione & educatione Liberorum, quæ in tribus consistit. 1. Ut necessaria ad vitam corporalem sustentandam, puta, alimenta, vestitus, & habitatio pro mensura status offerantur. 2. Ut pro vita spirituali etiam occasio illis offeratur, nempe pro sapientia & gratia obtinenda, id est, pro artibus, scientiis & virtutibus addiscendis. 3. Ut in vita civili, id est, bonis & honestis moribus solidè & efficaciter instituantur, omnésque occasiones, quæ huic studio obstare possunt, removeantur. Vide to. 4. tit. Educatio.

VI. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. 2. Potest ostendi, 1. qualis fuerit hic gladius, scilicet tribulationum multiplicium, quas à nativitate Christi usque ad mortem occasione illius tolerare debebat, quæ proin breviter enumerari possunt. 2. Quàm acutus fuerit hic gladius, id est, quàm graves dolores B. V. ex Christi vita & passione orti. de quibus vide to. 1. tit. Hyperdulia Mariana. §. 3. & 4. V. Maria dolorosa. 3. Quàm generosè exceperit hunc gladium, & quantum inde fructum tulerit, ut scilicet, sicut nemo magis socius fuit passionum, ita & gloriæ nemo magis esset particeps. Addi etiam potest, quo medio se potissimùm excitaverit ad hunc gladium tam intrepidè excipiendum, scilicet per exemplum Christi. quæ omnia amplificari possunt per ea, quæ in cit. tit. dicuntur.

PRO DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

I. Regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Luc. 2. Ostendi potest, cur Christus & ejus gratia per peccatum amissi requirendi sint, scilicet quia de ipso longè potiori jure dicere potest peccator, ac Anna de Tobia Filio suo c. 10. Tob. Omnia simul in uno te habentes te non debuimus dimittere à nobis. Ostendatur proin, quomodo in Christo & gratia omnia habeantur, divitiæ, voluptates, & honores; si enim de creata Sapientia dixit Salomon sap. 8. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum ea; quantò magis de increata Sapientia dici id poterit. Vide tom. 3. tit. Christus. §. 3. n. 16. In secunda parte ostendatur, quomodo quærendus sit Christus, scilicet per triduum contritionis, confessionis, & satisfactionis; quantúmque gaudium ex hac inven-

inventione sit sperandum. de quo vide tit. Confessio. to.3. §.1. n. 4. & §. 4. n.23.

II. *Remansit Puer JESUS in Jerusalem.* Luc. 2. Ostendi potest, quomodo Adolescentes educari debeant. Nempe 1. in templo & in oratione. 2. in schola inter Doctores, interrogando & audiendo. 3. in iis, quæ Patris sunt, id est, voluntate Parentum domi adimplenda; pro quibus dilatandis vide tit. Educatio. to.4.

III. *Erat subditus illis.* Luc. 2. Potest ostendi, cur Christus de 18. annis nihil aliud de se scribi voluerit, nisi quòd fuerit subditus Parentibus, ut indicaret videlicet, quòd obedientia sit compendium totius perfectionis & sanctitatis, & radix ingentium meritorum, & tranquillitatis in vita & morte. quæ omnia facilè per ea, quæ to.1. tit. Obed. dicuntur, demonstrari queunt.

IV. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Luc. 2. Ostendi potest, 1. quid Pietas Filiorum erga Parentes requirat. pro quo vide to.1. tit. Pietas. §.10. n.1. & §.11. n.6. 2. in quibus casibus Pietas postponenda sit voluntati DEI, de quo vide cit. §.10. n. 2. & 3, & §. 3. n.2. 3. 4. item §.4. n.15. & seq.

V. *JESUS proficiebat Sapientia, & ætate, & gratia apud DEUM & homines.* Luc. 2. Ostendi potest, in quo profectus & ætas hominis consistat, scilicet ut sapientia proficiat, id est, sapidâ scienria, ut cognoscat, ad quem finem ipse, & aliæ creaturæ sint creatæ, & hunc finem totis viribus persequatur; seu quod idem est, vitam voluntati DEI conformem ducat. 2. quos fructus ex hac sapientia reporraturus sit, ut scilicet crescat gratiâ apud DEUM & homines, & cum hac gratia omnia bona ei obveniant. pro qua materia vide to.1. tit. Virtus. §.12. n.2. & toto hoc tit. passim.

VI. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus.* Luc. 2. Ostendatur 1. in quo vera prudentia consistat, de quo vide to.1. tit. Prudentia. §.1. 2. Quomodo Christus eam verbo & exemplo docuerit, de quo vide cit. tit. §. 12. n. 1. & applica Christo. 3. Quem fructum ex ea retulerit, & Auditores quoque sperare possint, de quo vide cit. §. 12. n. 2.

PRO DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

I. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* Jo. 2. Potest ostendi triplex finis, ob quem contrahi debet Matrimonium, & praxis ac media salutaria & efficacia eundem consequendi indicari, de quo vide to.3. tit.19. §. 9. n. 2. & §.10. n.1.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quæ sint officia Conjugum erga se mutuò, de quibus vide l. c. §.10. n.2. 5. 6. 9.

III. *Vocatus autem est & JESUS, & Discipuli ejus ad nuptias.* Jo. 2. Potest ostendi, quomodo Matrimonium ritè contrahi debeat, ut optata benedictio sperari queat. de quo vide l. c. §.9. n. 4. & §.10. n.7.

IV. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ.* Jo. 2. Potest ostendi, quomodo in nuptiis seu matrimoniali statu sex hydriæ aquis tribulationum plenæ reperiantur, sed à Christo in vinum lætitiæ convertantur, si ipse suo auxilio & gratia sit præsens, de quibus vide l. c. §.10. n.3. & 9.

V. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.* Jo. 2. Potest consuetudo & fallacia Mundi ostendi, quomodo scilicet primùm, id est, in hac vita bonum vinum, seu voluptates, postea verò in altera vita deterius, nempe æternas pœnas apponat; Christus autem contrarium morem teneat; quantò potiori jure proin Christo, quàm Mundo adhærendum. de quo vide to.3. tit. Christus. & to. 4. tit. Mundus.

VI. *Dicit Mater JESU ad eum: Vinum non habent.* Jo. 2. Potest ostendi, quòd deficiente vino consolationis non possimus illud meliùs & faciliùs obtinere, quàm per intercessionem B. Virginis, utpote quæ vult, & potest impetrare omnia apud Filium. de quo vide to.1. tit.10. §.3. n. 42. & §.10. n. 43. In secunda tamen parte ostendatur, quid ipsa vicissim exigat à nobis: nempe quæcunque dixerit vobis (Filius) servate, & facite, id quòd clariùs explicandum. Vide tom.1. tit. Obedientia.

PRO DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

I. *Et ecce Leprosus veniens adorabat eum.* Matth. 8. Potest peccati gravitas & fœditas ex comparatione lepræ demonstrari, simúlque ostendi, quantas causas habeat peccator ad Christum, ejúsque Vicarios Sacerdotes confugiendi. Vide tom. 3. tit. Confessio. §.11. n.5. & tit. Peccatum.

II. *Vade, & ostende te Sacerdoti.* Matth. 8. Potest ostendi necessitas confessionis, & utilitas, eáque variis sententiis S. Scripturæ, SS. Patrum, & exemplis probari, de quo vide to.3. tit. Confessio. §.2. 3. & 4.

III. *Domine, si vis, potes me mundare.* Matth. 8. Potest dici, non tantùm peccatorem posse hæc verba ad Christum dicere, sed vicissim etiam, & multò magis Christum eadem verba repetere ad peccatorem, & dicere: Si vis, potes mundari; sicut olim S. Thomas sorori dicenti: O utinam & ego sancta essem! dixit: Si vis, potes. Ostendatur ergo, quantùm positum sit in seria voluntate & proposito se emendandi, ita ut Thomas Kemp. l. 1. c. 19. dicere ausus sit: Secundùm propositum nostrum cursus profectus nostri &c. id quod variis exemplis secularium, maximè mulierum, imò & infantum, seriò aliquid proponentium probari potest.

potest. Vide to. 4. tit. Fervor. & Engelgrav. Emblem. 3. §. 3.

IV. *Vide, ne cui dixeris.* Matth. 8. Probari potest, cur, & quomodo vana gloria in operibus nostris, maximè proximo exhibitis fugienda sit. de qua materia vide to. 3. tit. Vana gloria.

V. *Domine, puer meus jacet in domo Paralyticus, & malè torquetur.* Matth. 8. Potest otij natura & effectus per comparationem cum Paralysi demonstrari, &, quantopere torqueantur otiosi à seipsis, à domesticis, externis, dæmonibus, ostendi, pro quo vide to. 3. tit. Otium. Varias sententias & exempla.

VI. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Matth. 8. Ostendi potest spei efficacia, & probari, quòd sit quodammodo vas, juxta cujus capacitatem reportamus dona, quæ petimus à DEO. Vide tit. Spes. to. 1. §. 3. n. 26. & §. 9. n. 3. & §. 12. n. 3.

PRO DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

I. *ET ecce motus magnus factus est in mari.* Matt. 8. Ostendi possunt causæ, ob quas DEUS justos tentari permittat; quas vide explicatas to. 3. tit. Tentatio.

II. *Ipse verò dormiebat*, Matth. 8. Potest ostendi securitas & quies hominis justi, & cum divina voluntate conformati, & probari, quomodo dormiat, seu quietus sit, etiam inter gravissimos fluctus tentationum à DEO, hominibus, Diabolis exortos. pro quo vide to. 1. tit. Resignatio.

III. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Matt. 8. Ostendi potest, pleròsque homines similes esse infantibus, qui quodvis etiam fictitium phantasma (ein Bockelmann) timent; quódque hic timor ex defectu fidei firmæ oriatur, quòd non credamus vivaciter, nihil sine DEI voluntate accidere posse, & eum non passurum, ut ultra vires tentemur, sed facturum cum tentatione proventum. Faciat proin Concionator cum Auditoribus, quod nonnulli eum equis timidis solent facere, & impellat eos ad objecta, quæ adeò timent, accuratiùs consideranda, ut videant, quàm nullas timendi causas habeant. Vide to. 1. tit. Spes.

IV. *Domine, salva nos, perimus.* Matth. 8. Ostendi potest, quomodo in tempestatibus tribulationum gerere nos debeamus; videlicet 1. Diffidere nobis ipsis: perimus. 2. confidere in Christo: salva nos. 3. Accedere ad ipsum per actualem recursum. 4. Suscitare eum per seriam & repetitam orationem. Ostendatur autem & è contrario, quàm pauci homines has doctrinas observent, quámque adeò meritò locum habeat illa Christi apud Thomam Kemp. l. 3. c. 30. adhortatio; Fili, ego Dominus &c. Vide etiam to. 3. tit. Spes.

V. *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matth. 8. Potest ostendi 1. Quomodo omnis motus in corde humano oriatur ex concupiscentia juxta illud Jac. 4. Unde bella & lites &c. & exemplum Salomonis Eccles. 2. Vide plura tit. Concupiscentia. to. 4. 2. Ostendi potest, quomodo si DEUS imperet cordi humano, id est, solus quæratur, & ametur, mox fiat tranquillitas magna juxta illud S. Augustini. l. 1. conf. Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Vide tit. Caritas. to. 1.

VI. *Ipse autem dormiebat.* Matth. 8. Potest diversitas malæ & bonæ conscientiæ demonstrari per varios effectus utriusque, maximè securitatem & timorem; de quibus vide to. 3. tit. Conscientia.

PRO DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

I. *SEminavit bonum semen in agro suo.* Matth. 13. Ostendi potest, quàm solliciti sint homines, ut bonum semen in agris suis materialibus seminent; quantò magis ergo sollicitì esse debeant, ut in agro spirituali animæ bonum semen seminent. Ostendatur ergo, quod sit bonum semen, scilicet opera bona, & quid ad ea requiratur, & quàm præclarum lucrum & messem inde sperare possint. Vide to. 3. tit. Opera bona.

II. *Venit inimicus homo, & superseminavit Zizania.* Matth. 13. Ostendi potest, quomodo Diabolus conetur superseminare Zizania semini bonorum operum nostrorum. Et 1. Quidem quomodo in initio actionum superseminet Zizania, efficiendo, ut vel nullam bonam intentionem faciamus, vel omnino malam eliciamus. 2. In progressu operum, laborando, ut vel negligenter ea faciamus, vel varia vitia & defectus, puta iræ, impatientiæ, blasphemiæ, fraudis, injustitiæ misceamus. 3. In fine operum, ut vanam ex ijs gloriam concipiamus, vel ex malo successu pusillanimes efficiamus, & deinceps talia opera omnino negligamus. Doceatur ergo, quomodo vigilandum, ne Zizania ista superseminet. Vide to. 1. tit. Intentio. & to. 3. Opera bona.

III. Ex eodem themate, in specie ostendi potest, quomodo varios defectus velut Zizania immiscere conetur Dæmon. 1. in oratione. 2. in labore. 3. in refectionibus & recreationibus corporis. 4. in negotiationibus. 5. in correctione proximi; qui omnes defectus per se facilè occurrent considerandi, & ex titulis Oratio, Dilectio Proximi, Justitia. to. 1. & tit. Labor. to. 4. colligi possunt.

IV. *Vis imus, & colligimus ea? & ait: non.* Matth. 13. Ostendi potest, cur DEUS malos tamdiu & tam prosperè vivere permittat; nimirum ut exerceant bonos; ut pauca bona, quæ agunt, illis recompensentur; & ut ostendat eos hoc ipso, quod extra disciplinam sint, veros suos Filios non esse, sed in æternū rejectos; quæ ttes causæ facilè fusiùs deduci possunt, tum ex ps. 72. tum ex tract. S. Augustini super ps. 54. ut videre est. in 2. nocturno Cœnæ Domini, tum ex to. 3. tit. DEUS. V. Justitia DEI.

d 3 V. Unde

V. *Unde habet Zizania?* Matth. 13. Potest ostendi damna ex mala Societate orta, simúlque probari, ejusmodi Zizania seu Societates malas ex eo potissimùm oriri, quòd dormiant Parentes, Patresfamilias, Pastores, Ludimagistri, & similes, quibus cura adolescentiæ, & subditorum commissa est. Vide tit. Societas. to. 3.

VI. *Colligite primùm Zizania.* Matth. 13. Potest infelix exitus peccatorum, & felix Justorum ob oculos poni, & excitari Auditores, ut malint esse triticum, & flagellari in hoc mundo, & in cælestia horrea congregari, quàm cum Zizanijs colligari in fasciculos, & æternis ignibus comburi. Vide tit. Beatitudo. Judicium. Infernus to. 3.

PRO DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

I. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Matth. 13. Ostendi potest, quomodo Ecclesia Catholica verè ab initio minima fuerit inter religiones, sicut sinapi inter olera; in quantam autem arborem creverit, ita ut volucres, id est, sapientissimi etiam & potentissimi homines habitent sub ramis & protectione ejus. Quàm felices proin Auditores reputare se debeant, quòd & ipsi possint sub ea manere, quámque adeò separationem ab ea timere debeant. Vide. to. 2. tit. Fides.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quanta damna oriantur ex peccato veniali, licet minimum videatur; & quomodo denique integræ cohortes Dæmonum habitent in corde per venialium repetitionem in gravia peccata lapso. Vide to. 3. tit. peccatum.

III. Ex eodem themate ostendi potest pretium temporis, cujus unicum momentum licet minimum, in maximam arborem, imò regiam & perpetuam felicitatis sedem excrescit. Enumerentur ergo fructus, qui per tempus bene collocatum obtineri possunt, & eorum magnitudo tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus, tum ex Exemplis probetur. Vide to. 4. tit. Tempus.

IV. Ex ejusdem thematis occasione possunt fructus auditi Verbi DEI explicari, ex quo sæpe integri Populi conversi sunt. Enumerentur proin hi fructus, & Auditores ad eosdem participandos excitentur. Vide to. 3. Tit. Verbum DEI.

V. *Simile factum est regnum cælorum fermento.* Matth. 13. Potest intentionis bonæ efficacia demonstrari ex eo, quòd farinæ satis tribus, id est, cogitationibus, verbis, & operibus saporem tribuat, eáque grata DEO, & nobis meritoria faciat. Ostendatur ergo, quàm sollicitè ijs misceri debent. Pro quo vide to. 1. tit. Intentio.

VI. Ex eodem themate potest exemplum bonum fermento comparari, & ostendi, quomodo plurimis satis, id est, hominibus mistum seu conspectum eos penitus immutarit, aliúmque saporem indiderit. Vide to. 3. tit. Exemplum bonum.

PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

I. *Ite, & vos in vineam meam.* Matth. 20. Potest ostendi, cuilibet vineam esse commissam, scilicet animam suam; quàm nobilis autem hæc vinea sit, colligi posse ex vino lætitiæ, quod inde hauriri potest, scilicet æternæ felicitatis, quæ proin breviter explicanda. Dein inferatur, quàm æquum sit, ut in hac vinea strenuè laboremus, fodiendo per humilitatem, pastinando per mortificationem, alligando per amorem, & similia alia officia exercendo, de quibus vide Fabrum conc. 3. Item to. 3. tit. Anima & Beatitudo.

II. *Quid hic statis tota die otiosi?* Matth. 20. Potest vitium otiositatis dissuaderi ex damnis, quæ secum solet afferre; simúlque medium unum aut alterum pro eo devitando offerri. De quo vide to. 3. tit. Otium.

III. *Exijt primò mane conducere operarios.* Matth. 20. Potest ostendi, quàm felices se plerumque æstiment operarij, si conducantur ab aliquo, quantò feliciores autem se reputare debeant operarij à Christo vocati, utpote quorum labor est longè honestior ob dignitatem vineæ: utilior ob mercedis magnitudinem: jucundior tum ob sociorum præsentiam, tum ob solatiorum cælestium copiam: levior ob Christi & gratiæ cooperantis auxilium. Vide to. 4. tit. Labor.

IV. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. Potest invidiæ vitium dissuaderi ex damnis, quæ creare solet, simúlque unum vel alterum medium ad illud vitandum offerri pro quo vide. to. 2. tit. Invidia. §. 9. & 10. n. 4. & 5.

V. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Matth. 20. Ostendi potest, quàm magna sit merces, quam DEUS suis operarijs tribuere solet, id quod ex tribus proprietatibus, quæ in mercede optari solent, colligi potest. Nam 1. est copiosa in se, seu quoad substantiam, utpote de qua DEUS Abrahamo Gen. 15. dixit: Ego sum merces tua magna nimis. 2. Est certa, quia qui promisit, fallere nec vult, nec potest. Hinc diligenter mox peracto labore jussit vocari operarios, & illis mercedem solvi. 3. Secura est, quia ubi semel accepta est, amitti ampliùs non potest; quæ omnia ex ijs, quæ to. 1. tit. Beatitudo dicuntur, facilè amplificari possunt.

VI. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. Potest ostendi, quàm pauci sint, qui vocationi suæ sincerè respondeant. Declaretur ergo inprimis, quid sit vocationi respondere. Dein quàm pauci sint, qui id, quod profitentur, opere confirment. Denique excitentur Auditores, ut saltem ipsi ex numero paucorum electorum esse conentur. Vide to. 3. tit. Christianus.

PRO

PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

I. *Exijt, qui seminat, seminare semen suum.* Loc. 8. Potest Concionator seminanti Verbum DEI semini comparari, & ostendi, quàm diversos fructus & effectus pariat hoc semen; dum apud aliquos cadit secus viam, apud illos videlicet, qui vel garriunt, vel dormiunt, vel non attendunt sub concione. Apud alios in spinas, dum illud contemnunt, vel alijs potiùs, quàm sibi applicant; apud alios in petram, apud obstinatos scilicet, & consuetudinarios peccatores apud alios in terram bonam, dum audiunt, & sibi applicant, sed cum diversa applicatione, unde aliud trigesimum, aliud centesimum fructum affert, apud eos maximè, qui etiam alijs audita in concione proponunt. Vide to. 3. tit. Verbum DEI.

II. *Aliud cecidit in Spinas.* Luc. 8. Ostendi potest cur Christus divitias spinis comparaverit, nempe 1. quia fodicant animum possideotis spinis immodici desiderij, ante possessionem: curarum & timoris in possessione: doloris & tristitiæ in amissione, & præterea spinis peccati, & malæ conscientiæ. 2. quia suffocant semen verbi DEI, hinc difficile intrare divitem in regnom cælorum. 3. quia præ alijs subministrant pabulum igni æterno, uti expertus est dives Epulo. Vide to. 4. tit. Divitiæ.

III. *Aliud cecidit secus viam.* Luc. 8. Possunt tribulationes comparari cum semine, & ostendi, quàm pretiosum sit semen, utpote quod tantum fructum in altera vita producit. Deinde verò pariter probari, quomodo apud plerosque cadant secus viam, id est, nullum fructum ferant, dum ex necessitate potiùs, vel cum impatientia tolerantur, quàm ex Christiana patientia; quæ omnia facilè ex ijs, quæ to. 1. tit. Patientia. & to. 3. tit. Crux. dicuntur, amplificari possunt.

IV. *In corde bono & optimo audientes verbum retinent illud, & fructum afferunt in patientia.* Luc. 8. Ostendi potest, quomodo Verbum DEI audiri aut legi debeat, ut optatus fructus referatur, scilicet in corde bono & optimo, servando tres conditiones à Thoma Kemp. l. 1. c. 5. præscriptas, dum ait: Si vis profectum haurire, lege humiliter (cum voluntate parata ad omnem DEI nutum) simpliciter (veritatem in scripturis & concionibus quærendo, non eloquentiam) & fideliter (utilitatem in Verbo DEI quærendo, non subtilitatem sermonis: nec indagando, quis dixerit; sed quid dicatur. Vide plura c. cit. & to. 4. tit. Verbum DEI.

V. *Ad Tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8. Ostendi potest, unde colligi possit, quod Verbum DEI in terram bonam ceciderit, si videlicet radicem fixerit in animo auditorum, id est, si serium & solidum propositum conceperint doctrinam, propositam ita practicandi, ut per nullam tentationem à tali praxi abduci se sinant. Quales tentationes aliquot breviter proponi possunt. Vide to. 1. tit. Perseverantia. & to. 4. tit Verbum DEI.

VI. *Et ortum fecit fructum centuplum.* Luc. 8. Ostendi potest, quomodo ex ijs, quæ agimus, & patimur, alij trigesimum, alij sexagesimum, alij centesimum fructum referant, nempe qui agunt, quæ DEUS vult, trigesimum: qui agunt etiam modo, quem DEUS vult, sexagesimum: & qui agunt purissimè, quia DEUS vult, centesimum. Sic etiam qui patiuntur æquanimiter, ita ut non murmureot, nec iodignentur, trigesimum fructum afferunt; qui libenter & alacriter patiuntur, sexagesimum: qui constanter usque ad finem, centesimum. Vide to. 1. tit. Resignatio & Patientia.

PRO DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

I. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Loc. 18. Ostendi potest, quomodo verè passio Christi hoc tempore tenovetur; quanque adeò tristari potiùs & condolere Christo hoc tempore, quàm lætari multùm debeamus. Vide to. 4. tit. Bachanalia. §. 7. n. 2.

II. *Cæcus quidam sedebat juxta viam.* Luc. 18. Ostendatur, quàm aptè hoc Evangelium hoc tempore legatur, quia nunquam magis cæci sunt homines, quam hoc tempore; cùm nec vanitatem, nec stultitiam, nec infelicitatē eorū, qui his diebus insaniunt, videant; dicat ergo Concionator, se visum illis restituturum, & facturum, ut hæc tria omnia clarè videant, curaturum. Vide l. c. n. 5.

III. *Domine, ut videam.* Luc. 18. Possunt fraudes, quibus Dæmon hoc tempore hominibus illudit, detegi, simúlque modus, quo eas declinare, & eludere possint, ostendi, pro quo vide l. c. n. 1.

IV. Ex eodem themate ostendi possunt variæ stultitiæ, quæ hoc tempore committuntur, nempe stultitia larvatorum, potatorum, lusorum, & singulis larvæ detrahi, id est, eorum ineptiæ demonstrari, & corrigi; de quo vide l. c. & to. 2. tit. Ebrietas.

V. Item ex eodem themate posset narrari, vel in memoriam revocari historia de Rege illo, cui Senex grandævus sapientiam vendidit, justitque, ante omnes actiones considerare, quem exitum sint habituræ, quam vide to. 1. tit. 27. §. 17. n. 2. Simúlque suaderi, quem exitum habitura sit res familiaris seu opes, deio corpus, & tandem anima seu conscientia, si hoc tempus, ut solet, tam insolenter transigant. De quo vide to. 4. tit. Bachanalia varia damna exemplis demonstrata.

VI. *Tradetur Gentibus, & illudetur.* Luc. 18. Narrari potest, quid S. Gertrudis hoc tempore viderit, scilicet Christum ad similitudinem languentis supra pectus recumbere, uti in to. 4. tit. 8. §. 4. n. 3. refertur, simúlque ostendi, quomodo refocillari debeat, de quo vide l. c. §. 7. n. 4.

PRO.

PRO FERIA IV. CINERUM.

I. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Matth. 6. Ostendi potest, cur Jejunium quadragesimale sit institutum, scilicet propter quatuor effectus ab Ecclesia in hodierna præfatione indicatos, quos vide to. 1. tit. 1. §. 10. n. 4.

II. Ex eodem themate ostendi potest Ecclesiam imitari hoc tempore Reginam Esther. c. 14. confugientem ad Dominum, cinere implentem caput, luctui vacantem &c. & dicentem: Vade, & congrega omnes &c. Esther. 9. de quo vide l. c. n. 1.

III. Item potest ostendi modus ritè perficiendi hoc jejunium, de quo vide l. c. n. 12.

IV. Item varia media confortativa offerri pro faciliùs tolerando jejunio, quorum tria offert S. Ambrosius l. de offic. dum ait: Jejunij labor compensatur mentis placiditate (seu hilaritate) levatur usu, fallitur negotio; quibus pro quarto addi potest exemplum Christi, de quo vide to. 1. tit. 1. §. 10. n. 13.

V. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Ecclesia.* Potest cinis benedictus pro tabaco offerri, & ostendi, quomodo tollat memoria mortis noxios humores triplicis concupiscentiæ, divitiarum, voluptatum, & honorum. Pro quo vide to. 3. tit. Mors. & to. 4. tit. Concupiscentia.

VI. *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus.* Eccl. in Miss. Ostendi potest, hactenus Bacchanalia corporis fuisse celebrata, deinceps Bacchanalia animæ celebranda esse, atque adeò sicut poùs comessationibus, ita nunc jejunio vacandum: sicut priùs risui & lætitiæ, ita nunc luctui & piæ tristitiæ indulgendum: sicut priùs cum hominibus ludicra & noxia conversatio instituta, ita nunc cum DEO seria & pia: denique sicut priùs pecuniæ prodigè in luxum & larvas dissipatæ, ita nunc salubriter in pauperes distribuendæ. Pro quo vide to. 1. tit. Abstinentia. Misericordia. Oratio.

PRO DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

I. *Ductus est JESUS in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Matth. 4. Ostendi possunt causæ, cur Christus tentari voluerit, nimirum ut suo exemplo doceret, militiam esse vitam hominis super terram: ut modum certandi & vincendi indicaret: & quæ prœmia certantibus sint promissa. Vide to. 3. tit. Tentatio. & Thom. Kemp. l. 1. c. 13.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quid quivis Christianus ante, in, & post tentationem observare debeat, ut optatum ex tentationibus fructum reportet: de quo vide pariter cit. tit. Tentatio. to. 3.

III. *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Matt. 4. Potest ostendi exemplo Christi fructus tentationum, scilicet quòd per recusationem earum rerum, quas in tentatione obtulit Dæmon, omnia perfectiori modo obtineantur, uti inductione probari potest. Hinc apoc. 2. dicitur: Vincenti dabo manna &c. Vide cit. tit.

IV. *Cum jejunasset quadraginta diebus & noctibus, postea esuriit.* Matt. 4. Potest comparatio piscium (aut certè ciborum quadragesimalium) cum pisce, qui Tobiam Juniorem devorare voluit, institui, & inde fructus jejunij quadragesimalis demonstrari, pro quo vide tit. Abstinentia. §. 10. n. 2. & §. 3. n. 16. & seq.

V. Ex ejusdem thematis occasione possunt Auditores ad jejunium magnum & generale, de quo S. Augustinus sup. Joann. dixit: Magnum & generale jejunium est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus: excitari, & ostendi. 1. Quòd magis sit necessarium, quia sine hoc corporale jejunium parùm aut nihil prodest, ut ex to. 1. tit. 1. §. 3. n. 1. 2. 3. & 4. videre est. 2. Quòd magis utile sit, quia magis vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia. videl. c. n. 16. & seq. 3. Quòd magis jucundum sit, quia si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo, teste Thom. Kemp. l. 2. c. 6. vide to. 3. tit. Conscientia. 4. Quòd magis gratum DEO & Sanctis sit; tum quia difficilius est, vincere seipsum & cupiditates suas; tum quia desiderium DEI & Sanctorum, quo ante omnia peccatum vitari, & mandata observari desiderant, magis impletur. 5. Quia magis diuturnum est, cùm perpetuò duret, corporale autem certis duntaxat temporibus observetur.

VI. *Hæc omnia tibi dabo.* Matt. 4. Potest inprimis dici, hæc verba: *Tibi dabo*: non immeritò à quibusdam Magneti comparari juxta illud Poetæ: Cuncta trahunt ad se Magnetes aurea, sicut ad se Magnetes ferrea cuncta trahunt. Ostendatur autem postea, quàm diversa sint promissa Mundi & DEI. Nam 1. promissa mundi sunt falsa, DEI vera & solida. 2. Illa sunt noxia, quia qui ea vult capere, debet cadere à gratia DEI, ab hæreditate & gloria cælesti in infernum; ista utilissima utpote ad æternam felicitatem juvantia. 3. Illa modica, quia non nisi minima terræ particula; hæc ingentia, & Datore digna. 4. Illa incerta & fallacia, hæc certa & infallibilia, quæ omnia facilè possunt fusiùs amplificari ex to. 3. tit. DEUS. & to. 4. tit. Mundus. Vide etiam Thom. K. l. 3. c. 3. & Fabrum in hac Dom. conc. 2.

PRO DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

I. *Assumpsit JESUS Petrum, & Jacobum, & Joannem.* Matth. 17. Potest ostendi, cur hos tres Discipulos Christus hîc in montem Thabor, & postea in montem Oliveti tempore Passionis assumpserit, nimirum ut ostenderet inprimis, quos magis diligeret, & in socios laborum & gaudiorum assumere cuperet, nempe eos, qui in fide (quos Petrus denotat,) spe & fiducia (quos Jacobus repræsentat,) &

in caritate (quorum Joannes figura est,) excellunt. Deinde ut ostenderet, Discipulos suos, sicut Socij gaudiorum sunt, ita & passionum socios esse debere; excitandi ergo Auditores, ut ijsdem virtutibus studeant, si pariter dilecti Discipuli esse velint.

II. *Ducit illos in montem excelsum.* Matt. 17. Ostendi potest causa, cur Christus gloriam suam in monte Apostolis ostenderit, nimirum ut indicaret, non posse ad gloriam DEI videndam perveniri, nisi priùs multæ difficultates & labores, & tribulationes perferantur, cùm decretum sit, quòd per multas tribulationes oporteat introire in Regnum DEI. Ostendatur ergo, quàm libenter hunc montem scandere debeant; cùm securi sint, quòd ibi æternum permanere liceat, & dicere: bonum est nos hic esse. Vide tit. Beatitudo & Crux to. 3.

III. *Et transfiguratus est ante eos.* Matt. 17. Ostendi potest, quanta sit pulchritudo & amabilitas DEI. Et t. demonstrari, quantopere pulchritudo corporalis hactenus rapuerit & etiamnum rapiat in sui amorem humana corda, id quod per exempla probari potest, & dicta de quibus vide to. 4. tit. Forma. 2. Inferri potest, quantò majores vires habitura sit infinita pulchritudo DEI, quæ per totam æternitatem occupabit, & satiabit omnes Sanctos: uti etiam Salomon. Sap. 13. indicavit dicens: quorum si specie &c. Concludatur ergo si Jacobo olim Rachel omnes annos in labore consumptos breves fecit & jucundos Gen. 29. Quantò magis leves omnes labores & tribulationes factura sit pulcherrima Deitas per totam æternam videnda, & amanda. Vide tit. Beatitudo. to. 3.

IV. *Bonum est nos hic esse:* Matt. 17. Ostendatur æternæ felicitatis magnitudo ex quinque fontibus, ex quibus emanat, quos vide to. 3. tit. Beatitudo. §. 11. n. 7. Item Fabrum. conc. 7.

V. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matt. 17. Ostendi potest, quantum, & quàm optabile sit hoc elogium; si enim Aulici tam beatos se existimant, si à Principe, homine fragili, infirmo, ejusdem naturæ, cujus favor vanus, inconstans, & noxius potiùs, quàm utilis est, specialiter diligantur, quantò pluris æstimandum erit, inter intimos DEI tam potentis, & sapientis amicos numerari, an non ergo quivis alloquetur socios suos iis verbis, quibus olim Aulici Theodosij, teste S. Augustino l. 8. Confess. c. 6. se allocuti sunt: Dic, quæso te, omnibus nostris laboribus, quò ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causa militamus? majórne poterit esse spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenúmque periculis? & per quæ pericula pervenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? amicus autem DEI, si voluero, ecce nunc fio. Vide to. 4. tit Amicitia.

V. *Nemini dixeritis visionem hanc.* Matt. 17. Potest ostendi, cur Christus tantoperè sua opera celari voluerit, scilicet ut suo exemplo doceret, quantopere vana gloria fugienda sit, utpote quæ opera nostra DEO insipida, nobis inania, proximo infructuosa facit, cùm nullam illis DEUS benedictionem largiatur. Vide to. 3. Vana Gloria.

PRO DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

I. Erat JESUS ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum? Luc. 11. Dicere potest Concionator, quæstionem interdum à nonnullis moveri, ubi dæmonium mutum maximè dominetur? & rectè responderi, in templis ita maximè dominari, ibi namque in cathedra (dum Concionatores ob metum Auditorum veritatem dicere verentur,) in Confessionalibus (dum Peccatores peccata sua sincere & integra confiteri erubescunt,) in subsellijs, (dum ora ad orationem aperienda occludit Dæmon) mutum Dæmonium dominatur, unde dicat, & hoc Dæmonium ejecturum, & t. ostensurum, quare Auditores libenter pati debeant dici veritatem. 2. cur sincerè explicare debeant peccata sua in confessione. 3. cur ferò orationem peragere debeant, pro qua materia vide to. 3. tit. Confessio. to. 4. tit. Veritas. to. 1. tit. Oratio.

II. *Et illud erat mutum.* Luc. 11. Potest narrari, quòd aliquando dæmon ipse fassus sit, tres esse Dæmones, qui plurimùm homines ad infernum pertrahant, quorum primus vocatur *claudens cor*, ut scilicet ante peccatum committendum, non meminerint DEI, novissimorum aut aliorum mediorum à peccato absterrentium, atque adeò non horreant illud committere. Secundus vocatur *claudens os*, ne, ubi peccatum commissum est, illud ritè confiteantur. Tertius *claudens bursam* appellatus conatur efficere, ne restituant malè ablata, & sic ipsa quoque peccata non remitti faciat. Ex his tamen tribus Dæmonibus se tantùm hodie medium ejecturum, atque adeò primùm causas propositurum & fraudes, per quas clauditos; deinde verò easdem solidè refutaturum. de quo vide to. 3. tit. Confessio. §. 10. n. 2.

III. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* Luc. 11. Potest ostendi, quomodo amor aut timor DEI sit talis fortis armatus, efficiátq; , ut neq; cupiditas ardens, neque timiditas jacens seu timor tribulationum pacem animæ perturbare possint, quámque adeò sollicitè Auditores curare debeant, ut hunc sen amorem, seu timorem atrio cordis sui adjungant. de quo vide to. 1. tit. Caritas. & Timor DEI.

IV. *Revertar in domum meam.* Luc. 11. Dicat Concionator, id, quod de immundo Spiritu in hoc Evangelio scribitur, plerumque etiam immundis hominibus contingere, nam & hos exire per peccatum à domo paterna, per loca inaquosa voluptatum ambulare, sed non invenire requiem, cùm nulla res creata satiare possit animam DEI capacem, id quòd fusiùs probari

probari potest ex to. 1. tit. Caritas. & to. 4. tit. Concupiscentia. Sequendum proin, sed in meliori sensu decretum immundi Spiritus, & dicendùm: Revertar in domum meam, ad Patrem per veram pœnitentiam, & ibi quæram requiem, quam foris in rebus creatis frustra quæsivi. Quæ amplificari possunt per similitudinem columbæ à Noë ex arca dimissæ Gen. 8. & Filij Prodigi ad Patrem redeuntis. Luc. 15. Vide to. 1. tit. Pœnitentia.

V. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Luc. 11. Possunt damna malæ & inveteratæ consuetudinis demonstrari, & ostendi, quomodo posteriora talis hominis fiant peiora prioribus, quoad reatus gravitatem, quoad pœnæ acerbitatem, & quoad emendationis difficultatem, de quo vide to. 3. tit. Consuetudo. §. 3. & 8. & Fabrum conc. 10. lit. L.

VI. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Dicere potest Concionator, id est, quod in hodierno Evangelio contigit, etiam hodie quotidie contingere, dum enim alium honoribus, alium divitijs, alium voluptatibus affluere homines vident, & ipsi pariter exclamant: Beatus venter, qui te portavit. Sed Christum eos corrigere dicendo: quin imò beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud; hi enim possident DEUM, & in ipso omnia alia. Unde ostendatur 1. quàm falsò illi beatos putent homines honoratos divites &c. 2. quantò veriùs beati dicantur, qui, uti Verbum DEI monet, DEUM amant & possident, quámque adeò verè dixerit Psalmista. Beatum dixerunt populum &c. Vide tit. Honor Divitiæ. Voluptas. to. 4. & tit. DEUS. to. 3.

PRO DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

I. *ET sequebatur eum multitudo magna.* Jo. 6. Ostendatur, quare Christiani multò magis sequi debeant Christum, quàm Judæi, nempe ob tres causas. 1. Quia non morbos tantùm corporales eorum sanavit, sed etiam spirituales, auferendo peccatum originale. 2. Quia pane longè nobiliori SS. Eucharistiæ eos pavit, in quo non unum, sed plurima miracula ostendit. 3. Quia Verbum DEI etiam modo longè excellentiori proponit, scilicet non ex lege scripta & dura, sed lege gratiæ & suavi desumptum, & ad summã perfectionẽ perducens. Ostendatur proin ulterius, quomodo Christum sequi debeant, scilicet magnam de ipso æstimationem concipiendo, magnã cum fiduciã ad illum confugiendo, & doctrinam ipsius avidè audiendo & practicando. Vide to. 3. tit. Christus.

II. *Hoc autem dicebat tentans eum.* Jo. 6. Potest dici, meritò dubitari posse, quomodo S. Jacobus c. 1. dicere cum veritate potuerit, quòd DEUS neminem tentet: cùm tamen hic expressè dicatur, Philippum tentâsse, sed respondendum esse, quòd S. Jacobus de tentatione, prout significat impulsum ad malum, Evangelium autem de tentatione, prout idem est, ac probatio seu investigatio internæ dispositionis hominis locutum sit, & hoc modo DEUM varijs modis probare solere. 1. per penuriæ permissionem, ut probet fiduciam nostram. 2. per ariditatis & desolationis immissionem, ut probet devotionem nostram, an solida sit. 3. per tribulationes immissas, ut probet patientiam nostram. 4. per tentationum ad peccatum permissionem, ut probet amorem nostrum. Excitentur ergo Auditores, ut probationes istas fortiter sustineant memores doctrinæ S. Jacobi c. 1. Omne gaudium &c. simúlque modus, quo probationem quamvis ex supradictis sustinere fructuosè debeant, ostendatur. Vide to. 1. Oratio & Spes. & to. 3. tit. Tentatio. & to. 4. tit. Consolatio.

III. *Facite illos discumbere.* Jo. 6. Ostendi potest, quanto desiderio & præparatione ad panem Eucharisticum præparare nos debeamus, quantáque majori reverentia & aviditate sæpiùs eum sumere. 1. quia mirabiliori modo producitur, & multò plura fragmenta remanent. 2. quia multò perfectiùs satiat, & nutrit, nempe quoad ipsam etiam animã. 3. quia multò majori cum caritate à Christo offertur, & faciliori modo haberi potest. Excitentur ergo Auditores, ut promptè accedant ad locum, ubi Christus per suos ministros hunc panem distribuit, & cum modestia discumbant, & de manu Sacerdotis illum accipiant. Vide tit. Eucharistia. to. 3.

IV. *Colligite, quæ superaverunt, fragmenta.* Jo. 16. Narrari potest, quod de Monacho quodam in Speculo magno Exempl. scribitur, quòd scilicet, cùm micas in mensa juxta regulam suo tempore colligere neglexisset, & postea signo finitæ mensæ dato eas citò in volam manus abscondisset, ut eas Superiori ostenderet, & pœnitentiam peteret, Superior, dum manum Monachus aperuit, in micos uniones micas conversas viderit. Subinferatur hoc miraculum quemvis sperare posse, si fragmenta varia diligenter colligat. 1. de Eucharistico pane, nimirum reminiscendo per totum diem accepti beneficij, atque per hanc memoriam ad gratias referendas, ad decentiam morum majorem templáque frequentanda se excitando. 2. de pane verbi divini unam, alterámve doctrinam sibi seriò applicando, frequenter ruminando, & in opus deducendo. 3. de pane naturali, diligenter reliquias colligendo, & pauperibus distribuẽdo; quæ omnia quomodo in uniones cœlestes cõvertantur, facilè ostendi potest ex dictis t. 3. V. Eucharistia to. 4. tit. Verbum Dei. & to. 1. tit. Misericordia.

V. *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Jo. 6. Ostendi potest, quomodo DEUS à liberalitate hominum superari se non patiatur, atque adeò quanta cum fiducia pauperibus eleemosyna, & alijs miseris misericordia sit distribuenda, quem in finem historia de Monasterio per duos Fratres: *Date, & dabitur vobis*: dictato, uti in Spec.

Spec. Exempl. legere est, per apposite narrabitur. Vide etiam to. 1. tit. Liberalitas & Misericordia copiosam materiam.

VI. *Accepit ergo JESUS panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Jo. 6. Potest tum per Christi exemplum, tum per discumbentium ordinem & modestiam ostendi modus piè & Christianè ad mensam accumbendi. Vide tit. Oratio. Gratitudo. Modestia. to. 1.

PRO DOMINICA PASSIONIS.

I. *VExilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium.* Eccl. in Hymno. dici potest, S. Leonem f. 9. de quadrag. sic enim ordiri: In omnibus, dilectissimi, solemnitatibus Christianis non ignoramus Paschale Sacramentum esse præcipuum, cui condignè & congruè suscipiendæ totius quidem nos temporis instituta reformant, sed doctrinam nostram præsentes vel maximè dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ Sacramento scimus esse contiguos, ita ille, & per illum hodie Ecclesia. Quia verò non omnes sciunt hunc modum, ideò in hac concione docebitur. Narretur ergo breviter, quod in Speculo Exempl. V. Passio ex. 6. legitur, de Peregrino transeunte die Veneris sancto silvam, & vidente omnes aviculas duabus alis arbori adhærentes velut mortuas, quæ tamen à transeunte in Paschate omnes lætæ & hilares sint visæ. Simili ergo modo dicat Concionator, omnes Christianos duabus alis, id est, affectu & effectu arbori crucis adhærere debere, id est, meditando assiduè passionem, variósque affectus eliciendo; & cum Christo libenter sufferendo tribulationes occurrentes. Vide to. 3. tit. Passio Christi.

II. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Jo. 8. Ostendi potest, quis sit optimus modus se contra calumnias & murmurationes hominum defendendi, scilicet si quis in officio suo ita se gerat, ut dicere possit: quis arguet me &c. unde præcipuè hæc verba usurpanda à Pastoribus, Judicibus, Concionatoribus, Patribusfamilias &c. Vide to. 1. tit. Dilectio proximi. §. 4. n. 31. & 37. & to. 3. V. Exemplum.

III. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Jo. 8. Ostendi possunt causæ, cur veritatem dicenti non credatur, nempe quia speculum exhibet turpitudinem nostram: & quia nobis concupiscentias nostras velut radices malorum eripere conatur: & tandem quia convincit nos ob crimina nostra: declaretur ergo, quomodo ob has & similes causas potiùs libenter veritatem dicenti credere, Auditores debeant, ut remedium adhibere possint. Vide to. 4. tit. Veritas.

IV. *Nonne benedicimus, quia Samaritanus es tu?* Jo. 8. Potest vitium judicij temerarij dissuaderi, & 1. ostendi, quid sit, & quæ ejus indicia. 2. quàm commune sit vitium. 3. quàm noxium. 4. quibus medijs cavendum. de quibus omnibus vide to. 2. tit. Judicium temerarium.

V. *Tulerunt ergo lapides in eum.* Jo. 8. Ostendi potest, quomodo & cur humana judicia spernenda sint. Nimirum 1. quia impossibile est omnibus placere. 2. Quia vanum est, ea timere; cùm ob ea homo nec melior, nec deterior fit. 3. Quia noxium est, ad ea attendere; cùm omnia inordinata debeat facere, qui hæc judicia attendit, uti Polycletes Pictor ostendit, qui, cùm imaginem à se eleganter pictam juxta cujusque prætereuntis sensum correxisset, turpissimam fecit. Vide tit. cit. judic. temer.

VI. *Ero similis vobis mendax.* J. 8. Potest natura, fœditas, & damna mendacij demonstrari, & unum vel alterum medium ad illud devitandum proponi. de quo vide to. 2. tit. Mendacium.

PRO DOMINICA PALMARUM.

I. *ALij autem cædebant ramos de arboribus.* Matt. 21. Ostendi potest, quomodo Christo ad nos per communionem Paschalem introducendo cum palmis obviare debeamus, superando nempe difficultates, quæ in tribus partibus Sacramenti pœnitentiæ obeundis feriuntur à plerisque, in contritione scilicet, confessione, & satisfactione, maximè si restitutio facienda, aut consuetudo deserenda sit, quâ de materia vide tit. Confessio to. 3.

II. Ex eodem themate ostendi potest, multos quidem comitari processionem Palmarum palmam in manibus gestantes, sed optimam DEOque gratissimam, & ipsi portanti utilissimam palmam esse victoriam suiipsius, maximè in illo vitio, quod adhuc maximè infestat, quæ omnia facilè ex iis, quæ to. 1. tit. Mortificatio, §. 12. n. 8. & 9. dicta sunt, probari possunt.

III. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Matt. 21. Potest dici, quòd Christus ideo hæc verba de se scribi voluerit, ut nos quoque imitationem mansuetudinis in passione & tribulatione nostra incitaret, sicque cuivis proximo de nobis dici possit: Ecce Frater tuus venit tibi mansuetus. Probetur ergo, quàm perfectè Christus mansuetudinem in passione sua docuerit, & quomodo quivis Christianus eum imitari debeat. Vide to. 1. tit. Mansuetudo.

IV. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via.* Matt. 21. Potest ostendi, quomodo Christus per communionem Paschalem introduci in animam debeat; scilicet cædendo ramos de arboribus, id est, vincendo nos in confessione seria præmittenda: sternendo vestimenta in via, id est, varias virtutes fidei, spei, charitatis, humilitatis, religionis exercendo: clamando Benedictus, qui venit, id est, in varias laudes Christi, & affectuosas petitiones erumpendo. Vide to. 3. tit. Eucharistia.

V. *Osanna Filio David.* Matt. 21. Potest inconstantia Mundi ostendi, quòd hodie Christum tam solemniter introducat in urbem, & paulò pòst tam ignominiosè educat in mortem. Demonstretur ergo, hoc idem omnibus mundi amatoribus fieri, idque ex ijs, quæ to. 4. tit. Mundus dicta sunt, probetur.

VI. *Adduxerunt asinam & pullum.* Matt. 21. Ostendi potest, cur Christus Jerusalem ingressus super asinam sedere voluerit, (scilicet ut indicaret, neminem Jerusalem cælestem ingressurum) nisi qui super asinam, id est, corpus suum sederet, illudque in camo & freno per mortificationem constringeret, & ut asinum tractaret, illaque tria ab Ecclesiastico c. 33. indicata: Cibaria, & virga, & onus asino: erga ipsum observaret. Ostendatur ergo, quomodo hæc in praxi observanda sint. Vide tit. Abstinentia. Mortificatio. to. 1.

PRO FERIA V. COENÆ DOMINI.

ET

Die Veneris Sancto de Domini. Passione.

I. *CHristo igitur passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* Potest Passio Christi Myrothecio spirituali comparari, & ostendi, quòd varia mysteria sint quasi diversæ capsulæ præstantissimo balsamo refertæ ad varios afflictos homines, præsertim varijs angoribus, contemptibus, morbis, indigentijs, persecutionibus, timore mortis angustiatos. Pro qua materia vide to. 3. tit. Passio. §. 12. n. 2. & in Instruct. 7. fol. 372. totam concionem.

II. *Accepto corpore Joseph, involvit illud syndone munda, & posuit illud in monumento suo novo.* Matt. 27. Potest ostendi, quomodo Auditores Christo sepulchrum longè gratius erigere queant, si cor suum Christo offerant, & in eo mysteria passionis per continuam illorum recordationem appendant, & lumina variorum affectuum, puta doloris, compassionis, fiduciæ, amoris, gratitudinis, imitationis accendant. Unde occasio datur potiora mysteria explicandi, & actus inde elici solidos enumerandi.

III. *Jam hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Cant. 2. Potest ostendi 1. quòd hyems passionis & imber effusi sanguinis transierit, enumerando & exaggerando potiora mysteria passionis, & varias sanguinis effusiones. 2. Ostendi potest, quòd jam flores apparere debeant in terra nostra, id est, varij actus virtutum, ad quas Passio Christi specialiter nos excitat, elici, quorum aliquos e to. 3. tit. Passio. §. 12. n. 3. indicatos videre est.

IV. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Ps. 115. Potest magnitudo Beneficij Redemptionis demonstrari, eùmque in finem historia de Androdo servo Romano Spinam Leoni eripiente, & ab hoc postea vicissim contra alios Leones in Amphitheatro defenso narrari, sicque concio in duas partes dividi, in quarum prima ostendatur, quàm acutam spinam peccati humanum genus per Adamum contraxerit, & quanto cum labore & difficultate Christus per Passionem suam (cujus potiora mysteria recenseantur,) eandem extraxerit. In secunda parte ostendatur, quid vicissim humanum genus debeat Christo, & quomodo eum contra peccata velut alios Leones defendere, & in antro cordis habitatio concedere debeat, ubi pulchræ antitheses inter beneficium Christi, & obligationem hominis in occasione peccandi constituti fieri possunt. Vide cit. tit. Passio.

V. *Respice in testamentum tuum.* Ps. 73. Potest Testamentum Christi in cruce factum, sanguine suo subscriptum, & tribus clavis velut sigillo munitum aperiri, & quid cuivis sorti hominum reliquerit indicari; ubi tria præstanda erunt. 1. Certum mysterium proponendum, v. g. Sudor in agonia effusus, & quàm gravis illa afflictio fuerit, quámque adeò pretiosum sit donum, ostendendum. 2. Cui sorti hominum conveniat, & quàm aptè ei relicta sit à Christo demonstrandum erit. 3. Quomodo hoc donum à Christo relictum pro honore & solatio Christi, & propria salute quivis applicare debeat, indicandum erit, pro quo vide iterum cit. tit. Passio. & Instruct. 7. fol. 392. n. 6.

VI *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. Potest dici, quòd verè S. Aug. tr. 119. in Jo. dixerit: *Crux Christi, non tantùm est lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis*: nunquam enim perfectiùs virtutes, quàm in cruce docuit, præsertim humilitatem, obedientiam, & patientiam, quæ proin tres virtutes fusiùs explicentur, ostendendo 1. in quo consistant. 2. Quàm perfectè Christus eas docuerit. 3. quomodo nos eas imitari debeamus, & quem fructum inde reportaturi simus. Vide to. 1. tit. Humilitas, Obedientia, Patientia. & to. 3. tit. Passio.



PRO RESURRECTIONE DOMINI.

I. SUrrexit, non est hic. Marc. 16. Persuaderi potest, ut Auditores cum Christo resurgere studeant, ideóque in prima parte ostendatur, in quo consistat vera resurrectio, scilicet in eo, quòd anima iterum corpori uniatur, & non ampliùs dissolvatur; sic ergo & resurrectio spiritualis consistit in hoc, quòd homo iterum DEO concilietur, & hæc unio non ampliùs dissolvatur. 2. Quomodo hæc resurrectio obtineri debeat, scilicet per gratiam DEI, & propriam virtutem seu cooperationem; quæ omnia facilè ex iis, quæ de Pœnitentia to. 1. & de tit. Resurrectio to. 3. dicuntur, amplificari possunt.

II. Ex eodem themate ostendi potest, ex quibus indiciis colligi possit, quòd aliquis verè cum Christo resurrexerit, nempe ex eo, quòd quas quatuor dotes corporis gloriosi in anima spiritualiter possideat. Et 1. sit subtilis in difficultatibus omnibus, quæ velut firmus murus emendationem impediunt, perrumpendis. 2. sit agilis ad omnia, quæ sive ad cultum DEI, sive ad salutem propriam, caritatémque proximo exhibendam pertinent. 3. sit clarus claritate boni exempli domesticis & vicinis præbendi, in iis præcipuè occasionibus & materiis, in quibus scandalum præbuerat. 4. sit impossibilis in iis occasionibus, in quibus se hactenus iracundum aut impatientem ostenderat. In quem finem non parùm conducet exemplum Juvenis, qui, cùm eidem ex terris peregrinis redeunti mulier impudica, cum qua priùs fœdum commercium habuerat, occurreret, diceretque: Ego sum illa &c. non me nôsti? respondit: Ast ego non sum amplius ille. Vide tit. Pœnitentia. to. 1. & tit. Exemplum. to. 3.

III. Ex eodem themate potest Mundi vanitas ostendi, & pro fabella Paschali narrari, quod cuidam Sacristano contigit, qui, cùm pecunias suas in sacrario, ubi scripta erant hæc verba: Hîc jacet Christus sepultus: recondidisset, paulò pòst ablatas esse deprehendit, & hanc subscriptionem, priore deletâ, substitutam: Surrexit, non est hîc: Ostendatur ergo per sententias S. Scripturæ, SS. PP. & Exempla, tum honorum, tum voluptatum, tum divitiarum materialium vanitas; & ad spirituales honores, voluptates, & divitias quærendas excitentur Auditores. Vide tom. 4. tit. Divitiæ, Honor, Voluptas.

IV. *Quis revolvet nobis lapidem?* Marci 16. Dici potest hoc esse potissimùm ferè impedimentum, quo homines impediantur ab emendatione vitæ, quòd difficultatem in ea intervenientem horreant; hinc lib. de imit. Christi c. 25. ait: Unum est, quod multos à profectu & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis seu labor certaminis. Ostendatur ergo, quæ media ad hanc emendationem adhibere debeant, scilicet magnum desiderium emendationis concipiendo; gratiam divinam per orationem crebrò petendo, & tandem seriò cooperando, & vim sibi in iis, quæ maximè infestant, vitiis inferendo, eúmque in finem varias Personas, quæ à tali vitio facilè abstinent, imaginando, & quasi insultando sibi ipsi dicere: Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris? Vide cit. tit. Pœnitentia. & tom. 3. tit. Consuetudo.

V. *Ibi eum videbitis.* Marc. 16. Potest ostendi, cur Christus tam variis Personis post Resurrectionem suam apparuerit, nimirum ut non ipse solus gaudium Resurrectionis participaret, sed etiam aliis communicaret. Simili ergo modo & eos, qui spiritualiter cum ipso resurrexerunt, apparere variis Personis debere, Matri suæ Ecclesiæ tanquam gloriosè resurgentes: Domesticis in specie hortulani, qui zizania evellat, & virtutum flores producat: Amicis & vicinis per modum pacem apprecantis: Afflictis per modum hospitis favum mellis, id est, consolationem porrigentis: Ignorantibus per modum peregrinis socios in Emaus euntes instruentis: in Purgatorio constitutos per modum Redemptoris, quæ omnia facilè ulteriùs amplificari possunt. Vide to. 1. tit. Pœnitentia & Zelus.

VI. *Præcedet vos in Galilæam.* Marc. 16. Ostendi potest, quis sit optimus modus proximum ad frugem, seu vitiorum fugam, & virtutum amorem trahendi, nempe per exemplum. Dein verò pariter demonstrari potest, quomodo hic modus ab iis, qui Subditos habent, usurpari practicè debeat. Vide to. 3. tit. Exemplum.

PRO FERIA II. PASCHATIS.

I. QUi sunt hi sermones, quos confertis ad invicem? Luc. 24. Potest ostendi 1. quàm cauti esse debeant homines in loquendo ob gravia damna, quæ ex lingua malè custodita sequuntur; simúlque ostendi optimum esse medium ad hanc cautelam adhibendam, si Christum omnia audientem, & quærentem, Qui sunt hi sermones &c. imaginemur; si enim præsentia S. Bernardini tantum valuit, ut dicerent socij turpia loquentes: Tacete, Bernardinus venit: quantò magis Christi aut DEI præsentia idem efficiet. Vide to. 3. tit. Lingua.

II. *Duo ex Discipulis JESU ipsa die ibant in castellum nomine Emaus.* Luc. 24. Dici potest, communem quidem esse consuetudinem, quòd hoc die ambulent ad aliquod templum vel prædium, & dicant, se in Emaus ire velle; quam consuetudinem utpote per se non malam facilè tolerari posse, sed quòd multi spiritualiter statim post Communionem Paschalem eant iterum in Emaus, id est, ad populum abjectum, ad malos socios & socias, hoc meritò tolerandum non videri, ideo ostendendum, quantopere detestandus sit relapsus, & quæ media adhibenda. Vide to. 2. tit. Peccatum. §. 3. 5. & 12. V. Relapsus.

III. *Tu solus peregrinus es?* Luc. 24. Ostendi potest, quàm verè omnes homines peregrini sint, & salutares inde doctrinæ eruendæ, maximè ut solùm necessario victu & vestitu sint contenti: non curent multùm de locis aut Personis, quos transeunt: cum omnibus pacificè agant: patienter ferant molestias itineris: nihil emant, aut procurent, quod secum ferre non possunt: Patriam semper ob oculos habeant, ejúsque desiderio se solentur. Vide tit. Opera bona. to. 3. & Fabrum conc. 4.

IV. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Luc. 24. Ostendi possunt fructus præsentiæ DEI cogitatæ, quòd scilicet 1. faciat ardentes in observatione Mandatorum DEI, juxta illud Senecæ: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturū testis assistat. 2. ardentes in oratione. 3. ardentes in operatione, nam oculus Domini signat equum. 4. ardentes in tribulatione patienter ferenda, uti S. Stephanus expertus est. Vide to. 4. tit. Præsentia DEI.

V. *Et aperti sunt oculi eorum.* Luc. 24. Explicari possunt causæ, cur multi ex Communione nihil proficiant, scilicet ob defectum legitimæ intentionis, dispositionis, devotionis, collectionis post Communionem; de quibus vide tom. 3. tit. Eucharistia. & Fabrum conc. 2.

VI. *Ipse se finxit longiùs ire.* Luc. 24. Ostendendum, quomodo & nunc Christus fingat se longiùs ire, 1. tempore necessitatis quoad temporalia. 2. tempore morborum, quando non habentur, vel nihil proficiunt media. 3. tempore ariditatis & desolationis in oratione. 4. tempore tentationis. 5. tempore persecutionis. Demonstretur pariter, quomodo in his occasionibus se gerere, & ad Christum clamare, & cogere debeant dicentes: Mane nobiscum Domine &c. Vide tit. Oratio. to. 1. & tit. Tentatio & Crux. to. 3.

PRO DOMINICA IN ALBIS.

I. *VEnit JESUS, & stetit in medio.* Jo. 20. Ostendi potest, quòd felices quidem judicati sint Apostoli, quòd JESUM in medio stantem videre meruerint, sed multò feliciores nos simus, qui non semel, sed semper eum in medio habere possumus, nempe si eum babeamus semper in memoria, præsentem cogitando: in intellectu, credendo, quòd omnia in eo habeamus: in voluntate, ex corde toto diligendo. Demonstretur dein, quos fructus ex ipsius præsentia habituri simus, nempe habendo Spectatorem, Adjutorem, & Consolatorem maximum & optatissimum. Vide tit. Christus. to. 3.

II. *Pax vobis.* Jo. 20. Potest persuaderi pax & concordia cum proximo, & 1. ostendi, in quo consistat, nempe ut idem sentiamus & velimus, juxta exemplum primorum Christianorum, quorum erat cor unum & anima una. 2. quanti fructus sperari possint ex hac pace, scilicet illi, qui indicantur per commune proverbium: Concordia res parvæ crescunt: *in temporalibus bonis*, ut Scilurus Rex Filiis indicavit, de quo vide tom. 4. tit. Pax. §. 6. n. 5. *in virtutibus & meritis*; ut enim nunquam homines magis ditescunt, quàm tempore pacis, ita & in spiritualibus: *in lætitia animi*, juxta illud ps. 132. Ecce quàm bonum &c. Vide tit. cit. Pax. to. 4.

III. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis.* Jo. 20. Quæri potest, cur Christus bis pacem precatus sit, & responderi, quòd indicare voluerit, non satis esse, ut pacem cum aliis habeamus, sed etiam nobiscum ipsis habere debere, cùm caritas à seipso incipiat, & frustra quis universum Mundum lucretur, si animæ suæ detrimentum faciat. Ostendatur ergo 1. in quo pax ista consistat, scilicet in bona & tranquilla conscientia, seu in devitando malo, & faciendo bono, juxta 1. Petr. 3. & ps. 33. 2. Ostendantur fructus hujus pacis, quòd scilicet hoc sit Regnum DEI, quod si quæramus, omnia adjicientur. item gaudium perpetuum juxta illud prov. 15. Secura mens &c. & S. Pauli Philipp. 4. Pax DEI, quæ exuperat &c. Vide tit. Pax. to. 4. & tit. Conscientia. to. 3.

IV. *Pax vobis.* Jo. 20. Potest dici, rectè dixisse Thomam Kemp. l. 3. c. 25. *Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant.* Ostendatur ergo ex eodem capite, & maximè ex c. 23. quid requiratur, & illa quattuor, quæ magnam pacem important, fusiùs explicentur. Vide etiam tit. Pax. tom. 4. & tit. Resignatio. to. 1.

V. Ex eodem themate dici potest, mirari quidem nonnullos, cur homines tam parùm pacifici & concordes sint, cùm tamen cætera animalia pleraque tam pacifica sint; verùm causam in promptu esse, quia radicem discordiarum nunquam evellunt. Unde 1. quænam sit hæc radix. ex Seneca. to. 4. tit. Pax. §. 9. n. 2. 2. Ostendatur, quomodo hæc radix auferri possit per tria media in eodem §. n. 1. 3. & 4. indicata.

VI. *Ostendit eis latus & manus.* Jo. 20. Ostendi potest, cur Christus sua quinque vulnera retinere voluerit, nempe ut essent nobis quinque asyla, 1. contra iratum DEUM ob nostra peccata. 2. contra tentantes Dœmones. 3. contra persequentes homines. 4. contra cruciantes morbos, aliásque tribulationes. 5. contra mortem instantem. Ostendatur ergo, quomodo in his omnibus confugere debeamus ad hæc vulnera, & quomodo revera experturi simus id, quòd S. Augustinus fassus est: In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax medium, quàm vulnera Salvatoris. Vide to. 3. Passio Christi. Fabrum hîc. c. 3. & Vincentium Caraffam in Fasciculo Myrrhæ.



PRO

PRO DOMINICA II. POST PASCHA.

I. **E**Go sum *Pastor bonus.* Joan. 10. Potest ostendi, quàm verè Christus dixerit: Ego sum Pastor bonus. 1. quia cognovit omnes oves suas. 2. quia saluberrima pascua SS. Eucharistiæ & Verbi DEI ipsis providit. 3. quia à lupo veniente, nempe Diabolo, fortiter eas defendit. 4. quia animam suam pro illis per tot cruciatus posuit. Declaretur ergo in secunda parte, quomodo oves vicissim ipsum agnoscere, amare, vocem ejus audire, & vitam etiam si oportet, pro ipso ponere debeant. Vide tit. Christus. & Passio. to.3.

II. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.* Jo. 10. Ostendi possunt varij mercenarij, qui vident lupum venientem, & dimittunt oves. Nempe 1. Parochi, & alij animarum Curatores, qui curam ovium non habent, nec Sacramenta debito modo administrant. 2. Magistratus, qui videt vitia grassantia, & non punit. 3. Patresfamilias, qui malas societates Domesticorum non arcent. 4. Ludimagistri, qui ignorantiam & otium non arcent à Discipulis. 5. Domestici, qui non indicant excessus graves liberorum aut conservorum; qui omnes proin, quàm gravem olim rationem redditun sint, fusiùs ostendi potest ex comparatione ovium & animarum, præmij seu mercedis à DEO, & hominibus dari solitæ. Vide tit. Zelus. to. 1. & tit. Anima. to.3.

III. *Lupus rapit, & dispergit oves.* Jo. 10. Possunt mali socij lupis comparari, tum propter inimicitiam, quam erga bonus velut oves gerunt, juxta illud Sap. c. 2. Circumveniamus ergo justum &c. tum propter fraudes, quibus utuntur: tum denique propter mortem æternam, quam inferunt. Ostendatur ergo unum vel alterum medium, quo evitari possint. Vide tit. Societas. to.3.

IV. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Jo.10. Potest veritas Catholicæ Fidei demonstrari, & ostendi, quòd verè Ecclesia Romana sit ovile Christi ob unitatem, sanctitatem, & universalitatem: & quòd Romanus Pontifex sit verus Pastor hujus ovilis per continuam successionem deductus. Inferatur dein, quantum beneficium à DEO collatum sit Auditoribus, dum in hoc ovile sunt recepti: quantopere proin Pastores suos revereri & amare, eorumque vocem audire; & cum magna caritate & concordia in hoc ovili vivere debeant. Vide to.1. tit. Fides.

V. *Vocem meam audient.* Jo.10. Potest ostendi, quod sit præcipuum signum ovium Christi, seu prædestinatorum, si vocem Pastoris libenter audiant, simùlque probetur triplici modo Pastorem Christum loqui. 1. per occultas inspirationes & vocationem ad statum, cui proin respondendum. 2. Per Concionatores, quorum proin vox cum omni reverentia & submissione excipienda & implenda. 3. Per Superiores, quibus proin obediendum perfectissimè. Quòd autem hæc auditio triplicis vocis sit unum ex certioribus signis prædestinationis, probari potest ex iis, quæ de Obedientia tom. 1. & Verbo DEI tom. 4. dicta sunt.

VI. *Cognosco oves meas.* Jo.10. Potest occasio sumi mansuetudinis commendandæ, utpote quæ est genuina proprietas ovium; & 1. ostendi, in quo consistat mansuetudo Christiana, de quo vide to. 1. tit. Mansuetudo. 2. quos fructus afferat, nempe à Christo Matth. 5. indicatos, dum dixit: Beati mites, quoniam possidebunt terram, quintuplicem scilicet, quam vide l. c. §. 11. n. 2. indicatam.

PRO DOMINICA III. POST PASCHA.

I. **M**Odicum, & non videbitis me. Joan.16. Potest vanitas rerum mundanarum ostendi, præcipuè honorum, divitiarum, voluptatum; quàm verè de iis dici possit: Modicum, & non videbitis. & cum Jonatha Saulis Filio 1. Reg. 14. Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. Ex altera verò parte ostendatur, quàm longa & acerba sit mors aut tormenta, quæ per hoc modicum emimus; quámque adeò verè dictum sit: Modicum, quod delectat; æternum, quod cruciat: Was wol thuet / währt ein kleine Zeit: was weh thuet / währt in Ewigkeit. Vide to. 4. tit. Voluptas, Honor, Divitiæ, Æternitas. Item Thom. Kemp. l.3. c.12.

II. Ex eodem themate potest brevitas vitæ, & mortis incertitudo demonstrari, & inde excitari Auditores ad dignam præparationem pro morte quovis momento subeunda instituendam. Vide to. 3. tit. Mors. & Thomam Kemp. l.1. c.23. aut si placet, hortare ad divitias & opes pro altera potiùs vita, ubi æternùm manendum, quàm pro hac, ubi tantùm per modicum viatoris transeundum, congregandas.

III. Ex eodem themate possunt Auditores excitari ad tribulationes fortiter ferendas, & ostendi, quàm sint modicum comparatæ cum æternitate felicissima, quam per easdem comparamus juxta illud S. Pauli 2. Cor. 4. quòd in præsenti momentaneum &c. & existimo, quòd non sunt condignæ &c. Quámque adeò verum sit axioma: Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat: Was weh thuet / währt ein kleine Zeit: was wol thuet / währt in Ewigkeit. Vide to. 1. tit. Patientia. to. 3. tit. Crux. to. 4. tit. Æternitas.

IV. Ex eodem potest probari, quòd vita nostra Comœdia sit, hic Mundus theatrum, DEUS, Angeli, & homines Spectatores, juxta illud S. Pauli 1. Cor. 4. Spectaculum facti &c. Unde excitari possint Auditores. 1. ut non curent, quam Personam habeant, cùm DEUS tanquam Comicus sciat, quæ cuique convenientissima sit. 2. ut conentur personam bene agere, nec in ea ad exemplum hominum, sed Christi

Christi Instructoris attendant. 3. ut præmium non ab hominibus, sed à DEO expectent, cui placere plùs optandum est, quàm si quis omnibus hominibus placeret. Vide to. 1. tit. Intentio.

V. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Jo. 16. Ostendi potest, in quo verum gaudium consistat, nimirum in fine suo, ad quem creatus est, possidendo, seu amore DEI, juxta illud S. Augustini: Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Ostendatur ergo 1. quòd gaudium verum à nulla creatura haberi possit, quia cùm cor triangulare sit, non potest illud Mundi globus implere. 2. Ostendatur, quomodo in DEO solo verum gaudium reperiatur. Vide tom. 4. tit. Gaudium. & Thom. Kemp. l. 3. c. 16.

VI. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, Mundus autem gaudebit.* Jo. 16. Potest ostendi diversus status eorum, qui Mundo; & eorum, qui DEO serviunt, id quod potissimùm ex fine & exitu vitæ utrorúmque demonstrandum; uti apposité nonnulli per gallinam & Falconem declarârunt, ut enim hic, dum vivit, optimum cibum, & cor de præda accipit, & in manibus portatur; post mortem verò in fimetum abjicitur; gallina verò in vivis in fimeto grana & victum colligere debet; post mortem verò mundatur, coquitur, argenteæ patinæ imponitur, mensæ Principis infertur, & in illius stomacho sepelitur; ita similis est exitus & status Servorum Mundi & Christi. Vide tit. Mundus. to. 4. & tit. DEUS. to. 3.

PRO DOMINICA IV. POST PASCHA.

I. *Vado ad eum, qui misit me.* Jo. 16. Ostendi potest, quomodo quivis hæc verba sibi etiam occinere, & inde ad vitam ritè instituendam excitare debeat. Dicatur ergo, quòd quivis homo ad hunc finem missus sit, ut Dominum DEUM suum laudet, revereatur, amet, eique serviens salvus fiat: eum in finem omnes creaturas subjectas esse pedibus ejus: variáque talenta credita. Unde semper cogitandum: Vado ad eum, qui misit me; qui rationem severissimam exiget, quomodo finem meum secutus, creaturis usus sim, talenta expenderim &c. Vide tit. Judicium. to. 3.

II. *Quò vadis?* Jo. 16. Dici potest, rectiùs hodie mirari quem posse, quòd ferè nemo seipsum sincerè interroget, quò vadis? cùm tamen in hoc tota ferè salus vertatur. Ostendatur ergo 1. omnes ire ad domum æternitatis, Eccles. c. 12. & quidem miseræ vel beatæ; & ad hanc duplicem portam ducere, latam & angustam. quemlibet proin nunc cum Hercule in bivio stare. Ostendatur ergo, cur arctam portam potiùs, quàm latam eligere debeat. Vide tit. Patientia. to. 1. & tit. Crux. to. 3.

III. *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Jo. 16. Ostendi potest, cur meritò ob Christum abeuntem & à suo corde expulsum quivis peccator tristari debeat; quem in finem Christus quà DEUS fonti comparari poterit, & ostendi, quomodo in eo omnia bona recentiùs, abundantiùs, constantiùs reperiantur; quàm adeò stultè peccator deserto hoc fonte ad res creatas velut cisternas convertatur. Unde meritò DEUS per Jeremiam c. 2. tam patheticis verbis queritur: Obstupescite &c. Vide tit. Peccatum. to. 3.

IV. *Expedit vobis, ut ego vadam.* Jo. 16. Ostendi potest, quòd hoc ipsum etiam quivis de occasionibus & societatibus malis dicere queat; expedit enim 1. ut vadant & discedant à nobis ad rerum temporalium augmentum. 2. ad animæ salutem. 3. ad proximi ædificationem, quæ omnia facilè copiosiùs amplificari possunt, & pro coronide illa Christi sententia usurpari Jo. 18. Si me quæritis, finite hos abire. Vide to. 3. tit. Consuetudo & Societas.

V. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Jo. 16. Ostendi potest inprimis, quantopere Paraclitus nobis sit necessarius ad instruendos, confortandos, & consolandos nos. 2. quòd istum accipere non possimus, nisi omnibus rebus creatis valedicamus, nam, teste S. Gregorio: bonorum Anthori aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus. hinc, ut S. Bernardus s. 3. de Ascens. ait, ipsi Apostoli Spiritu sancto repleri nequiverant, quia carni dominicæ etsi sanctæ inhærebant. Vide to. 4. tit. Concupiscentia.

VI. *Cùm venerit ille, arguet Mundum de peccato.* Jo. 16. Ostendi potest, quomodo ij, qui aliorum curam gerunt, & Spiritu bono reguntur, gerere se illos debeant, & non solùm consolari, & blandè tractare, sed etiam arguere de peccato. Unde 1. demonstretur, quàm necessaria, atque adeò & obligatoria sit hæc correctio. 2. quomodo utiliter fieri possit, & debeat. Vide tom. 1. tit. Dilectio proximi. V. Correctio proximi.

PRO DOMINICA V. POST PASCHA.

I. *Petite, & accipietis.* Jo. 16. Potest ostendi, cur frequenter & ferventer sit orandum, nempe ob ingentes utilitates orationis, quas vide to. 1. tit. Oratio. §. 9. n. 1.

II. Ex eodem themate potest ostendi, artem orandi esse quæstuosissimam & facillimam, sicut artem mendicandi, ob quam Mendicus quidam omnibus Liberis pedes & crura fregisse scribitur, ut mendicare cogerentur. Demonstretur ergo, quomodo tempore orationis ut Mendicos gerere se debeant. 1. agnoscendo & monstrando suam infirmitatem. 2. ferventer orando, & clamando. 3. non desistendo, etiamsi non statim detur. 4. non indignando, licet omnino non detur. Vide l. c. §. 12. n. 14. & 15.

III. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jo. 16. Ostendatur, quid sit in nomine

mine Christi petere, nimirum 1. propter voluntatem ejus, & mandatum petere, quia toties hortatus est ad orationem. 2. per ipsius merita petere, sicut Ecclesia facit, claudens orationes per verba: Per Christum Dominum. 3. orationes suas cum orationibus Christi jungere, sicut malum nummum cum cumulo bonorum. 4. ad exemplum Christi petere, maximè in horto Oliveti orantis. Vide tit. Oratio. cit. §.13. n.22.

IV. *Usque modò non petistis quidquam.* Jo.16. Potest ostendi, multis etsi sæpe orârint, tamen dici posse: usque modo non petistis quidquam. hinc meritos tales audire increpationem S.Jacobi c.4. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis. Ostendatur ergo, quomodo ritè & efficaciter orare debeant, de quo vide tit. cit. §.11. n.4. & §.12. n.19.

V. *Petite, & accipietis.* Jo.16. Possunt enarrari utiliter, & efficaciter refutari tentationes, per quas Diabolus homines retrahit ab oratione, quas vide tit. cit. §.11. n.6.

VI. Ex eodem themate potest oratio sagittæ illi, de qua 4. Reg.13. dicitur: *Jace sagittam, sagitta salutis Domini.* comparari, & tum utilitas, tum proprietas, tum praxis orationis demonstrari, uti videre est cit. tit. §.12. n.2.

PRO DOMINICA VI. POST PASCHA.

I. *ET vos testimonium perhibebitis.* Joan.15. Ostendi potest, quomodo quivis Christianus testimonium de Christo exhibere debeat. 1. *corde*, credendo firmiter, quæcunque ab ipso per se vel per Ecclesiam revelata sunt. 2. *ore*, doctrinam ipsius profitendo, & publicando. 3. *opere*, vitam ipsius & mores omni studio imitando, præsertim multa cum ipso patiendo, & martyrium spirituale subeundo, nam, ut S.Gregorius hom.15. in Evang. rectè dixit, sine ferro & sanguine Martyres esse possumus, si patientiam veraciter custodimus. Vide plura de hoc tit. Fides. & tit. Patientia. §.3. à n.31.

II. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Jo.16. Potest ostendi, quid sit scandalum activum, & quàm gravia per illud damna DEO, Proximo, & sibi ipsi creet is, qui alios scandalizat. Vide to.3. tit. Exemplum. V. Exemplum malum. item Fabrum hic. conc.3.

III. Ex eodem themate suaderi potest Auditoribus, ut scandalum passivum fugiant, & 1. ostendi, quomodo committatur, & quàm stultè agant, qui ex alieno peccato aut facto bono aranearum more venenum sugunt & conficiunt, id est, occasionem peccandi accipiunt. 2. Ostendatur, quàm vanè & stultè se excusent dicentes, alterum causam & occasionem fuisse peccati, cùm occasio hominem fragilem non faciat, sed qualis quisque sit, ostendat: nec quisquam nisi à seipso lædatur. 3. Unum vel alterum medium ostendatur, quo scandala talia vitari possint. de quibus vide to.2. Judicium temerarium. & Thom. Kemp. l.2. c.24.

IV. *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Jo.16. Ostendi potest, quàm verum sit illud S. Pauli 2.Tim.3. omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur; id enim experientia in Christo, Apostolis & aliis Sanctis testatur; & confirmant SS. Patres, quorum testimonia vide to.1. tit. Patientia. §.3. à n.36. & ratio ipsa dictat, quia sicut similitudo amorem, ita dissimilitudo odium parit. hinc impij Sap.2. dixerunt: Circumveniamus justum &c. gravis est nobis &c. abstinet se &c. hinc & invidia accedit, ut in Esau erga Jacob, Cain erga Abel, Judæis erga Christum contigit. Ostendatur ergo ulterius, quòd justi propterea non debeant turbari, sed pergere in bona vita, talèsque aspicere, ut argumentantes in publica disputatione doctrinam aliorum explorantes, quibus in fine gratiæ aguntur pro doctissimis argumentis. Sed & ipsi persecutores errorem suum agnoscent dicentes: Hi sunt, quos aliquando &c. Sap.5. Vide tit. Patientia & Perseverantia. to.1.

V. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum Veritatis, ille testimonium perhibebit de me.* Jo.15. Ostendi potest 1. quantopere Spiritus Veritatis sit necessarius, utpote qui hodie nec in aulis, nec in tribunalibus, nec in cathedris, nec in tabernis, nec in privatis domibus repetitur, id quòd in specie magis per inductionem probari potest. 2. Ostendatur, quomodo iste Spiritus Veritatis iterum obtineri & reduci queat, scilicet ipsum à Christo frequenter & seriò petamus; hinc enim locum habebit illud Luc.11. Si ergo vos cùm sitis mali &c. Vide to.4. tit. Veritas.

VI. Ex eodem themate potest ostendi ratio, cur Spiritus Veritatis vix ullibi reperiatur, quia scilicet duo Spiritus contrarij illi in plerisque locis dominantur, scilicet Spiritus concupiscentiæ & timoris, id quod per inductionem facilè probari potest. Ostendatur ergo 1. quomodo hunc duplicem Spiritum expellere debeant, solum DEUM quærendo & timendo, & amando; sic enim dicent: Quid mihi est in cælo. Ps.72. & si DEUS pro nobis, quis contra nos? Vide cit. tit. & tit. Concupiscentia. to.4.



PRO DOMINICA PENTECOSTES.

I. *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* Act. 2. Potest ostendi exemplo Apostolorum, quæ dispositiones ad Spiritum sanctum dignè recipiendum adhiberi debeant; nimirum 1. ingens desiderium indicatum per verbum: *exspectabant*: nam hoc desiderium sinus & saccus noster est ad dona DEI accipienda, ut S. Augustinus tr. 4. in epist. 1. Joan. ait. 2. *Concordia*: erant enim omnes pariter in eodem loco; & multitudinis erat cor unum, & anima una. Hinc Eccl. 25. inter ea, in quibus placitum est Spiritui DEI, concordia Fratrum primo loco ponitur; sicut enim anima non vivificat, nisi membra unita; ita nec Spiritus sanctus non communicat effectus suos, nisi membris per concordiam unitis. 3. *Oratio constans*: erant enim perseverantes in oratione: quam dispositionem Christus ipse Luc. 11. requisivit dicens: Petite, & dabitur vobis; si enim vos cùm sitis mali &c. hinc David ps. 118. Os meum aperui, & attraxi Spiritum. 4. B. Virginis intercessio: erant enim orantes cum MARIA Matre JESU: ut enim Bersabea audivit: Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. 3. Reg. c. 2. ita Christus Matri, de qua rectiùs dicitur: neque enim negare tibi quidquam poterit. Vide tom. 3. tit. Spiritus sanctus.

II. *Veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Jo. 14. Potest Spiritus sanctus animæ hominis comparari. & 1. ostendi, quomodo vegetativæ animæ operationes in Apostolis exercuerit, faciendo, ut crescerent in virtutibus. 2. sensitivæ, faciendo, ut viderent, audirent, olfacerent (exempla & virtutes Christi, & imitarentur) gustarent, & tangerent (seu apprehenderent objecta cælestia. 3. intellectivæ faciendo, ut rectò intelligerent, & efficaciter vellent, quæ ad suam & aliorum salutem pertinerent. Inferatur subinde, quantopere homo sollicitus esse debeat, ne per peccatum hanc animam amittat, cùm nihil non agere & vitare soleant homines, ne animam suam corpori unitam separent. Vide tit. cit. Spiritus sanctus.

III. *Tanquam ignis sedit supra singulos eorum.* Act. 2. Possunt effectus Spiritûs sancti per similitudinem ignis explicari. & 1. ostendi, quòd sicut ignis exiccet, tollendo omnem humorem concupiscentiæ malæ, cùm enim sit caritas divina, nullum alium amorem admittit. hinc S. Teresia, cùm amorem inordinatum erga Sororem quandam nullis mediis expugnare posset, suadente Confessario, quotidie Spiritum sanctum invocavit, & mox obtinuit, quod voluit. 2. Quòd sicut ignis illuminet; hinc Christus Jo. 14. Paraclitus autem Spiritus &c. ille vos docebit omnia. 3. Quòd calefaciat amore divino; hinc Apostoli: Quis nos separabit &c. Rom. 8. Aquæ multæ (tribulationum) non potuerunt extinguere caritatem. Inferatur deinde, quàm ferventer debeant hunc ignem petere dicentes: Veni sancte Spiritus, reple &c. maximè cùm ipse Christus dixerit: Ignem veni mittere &c. Luc. 12.

IV. *Loquebantur variis linguis magnalia DEI.* Act. 2. Potest dici, quòd Spiritus sanctus advenerit tanquam Magister linguarum, & docuerit Apostolos variis loqui linguis magnalia DEI. & 1. *Hebræam* velut sanctam, dum non nisi de DEO & pertinentibus ad eum locuti sunt. 2. *Latinam*, seu *Romanam*, dum doctrinas Fidei conformes tradiderunt. 3. *Græcam*, dum fraudes & hæreses Hæreticorum refutarunt. 4. *Hispanicam*, dum omnes levitates in lingua fugerunt. 5. *Gallicam*, dum suaviter & amicè loqui didicerunt. 6. *Germanicam* siocetam, dum omne mendacium fugientes, non nisi veritatem verbis & factis prodiderunt. Vide tit. cit. Spiritus sanctus. & to. 3. tit. Lingua. §. 12. n. 6.

V. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* Act. 2. Ostendi potest, quòd Spiritus sanctus ideo in forma linguæ apparuerit, ut doceret artem loquendi omnium difficillimam. Demonstretur ergo 1. in quo consistat ars rectè loquendi. de qua vide præcepta to. 3. tit. Lingua. §. 12. n. 1. Deinde ostendatur, quomodo Spiritus sanctus hanc artem Apostolos docuerit. Vide cit. tit. Spiritus sanctus.

VI. *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, suggeret vobis omnia.* Joan. 14. Potest ostendi, quàm convenienter Spiritus sanctus Paraclitus, id est, Consolator vocetur, nempe quia replet amore divino, sicq; facit obtinere finem suum, quæ est vera, maxima, & perpetua consolatio, quæ proin tres proprietates fusiùs demonstrentur, simúlq; ostendatur, quomodo hanc consolationem Spiritus sanctus Apostolis communicârit. Vide tit. cit. Spiritus sanctus. & to. 4. tit. Gaudium. & Consolatio.

PRO FERIA II. PENTECOSTES.

I. *Sic DEUS dilexit Mundum.* Jo. 3. Potest ostendi, quomodo dilexerit DEUS Mundum, ut non solùm Unigenitum suum, sed etiam Spiritum sanctum velut amorem suum infinitum & divinum daret. Declaretur ergo hujus amoris magnitudo ex donorum præstantia, & inferatur, quàm æquum sit, ut vicissim nostrum amorem DEO offeramus, omnémq; alium amorem excludamus. Vide to. 1. tit. Caritas. to. 3. tit. Spiritus sanctus.

II. Ex eodem themate potest ostendi, cur tam pauci homines Spiritum sanctum, qui est ipsa Caritas, accipiant, nimirum quia dispositionem debitam & summè necessariam non adhibent, nempe amorem inordinatum creaturarum, seu concupiscentiam; certè quàm nullum alium amorem patiatur, ostendit per hoc, quòd

quòd, teste S. Bernardo f. 3. de ascens. ipsi Apostoli Spiritu sancto repleri non poterant, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ, inhærebant. Comparentur ergo hi amores inter se, ex eo, quòd Amor divinus seu Spiritus sit sanctus, honestus, satiativus, perpetuus: amor creaturæ impurus, turpis, vanus, & inconstans; & inferatur, quàm iniquum sit, hunc amorem amori divino postponere. Vide tit. Caritas. to. 1. & tit. Spiritus sanctus. to. 3.

III. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo.* Joan. 1. Potest ostendi, cur Spiritus sanctus in specie columbæ descenderit, nimirum ut, quemadmodum Ven. Beda Marc. 3. dixit, ostenderet, se homines magis ad mansuetudinem, quàm iracundiam incitare. Ostendatur ergo 1. quantopere mansuetudo ista Christianis sit necessaria. 2. quomodo eam Spiritus sanctus Apostolos docuerit, & hodie adhuc paratus sit docere omnes Christianos. Vide to. 1. tit. Mansuetudo. & to. 3. tit. Spiritus sanctus.

IV. Ex eodem themate potest alia causa afferri, cur Spiritus sanctus in specie columbæ apparuerit, nimirum ut ostenderet, quemadmodum columbæ sunt fertiles valde, ita se quoque liberalem esse in donis suis communicandis. Ostendatur ergo 1. quæ sint illa dona. 2. quàm necessaria, & utilia sint homini Christiano, quàmque adeò assiduò illa à Sancto Spiritu petere debeat. Vide tom. 3. tit. Spiritus sanctus. & Fabrum hic. conc. 3.

V. *Alij autem dicebant irridentes: quia musto pleni sunt isti.* Act. 2. Potest ostendi effectus amoris divini ex comparatione cum musto. 1. quia ut mustum plenè satiat, & inebriat, ut nullam ampliùs delectationem ex creaturis haurire velit. 2. Ut mustum dulcedine sua mirè recreat, & lætificat. 3. Ut mustum audaces facit, & intrepidos, ut in Apostolis cernere erat. 4. Ut mustum loquaces facit, sicut iterum Apostoli loquebantur magnalia, ita ut verum fuerit dicere, ex abundantia cordis os loquitur. Vide tit. Spiritus sanctus. & tit. Caritas. to. 1.

VI. *Et factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis.* Act. 2. Potest ostendi, quòd Spiritus sanctus in modum venti advenerit, ut ostenderet, se vento similes effectus operari, & 1. insperatò advenire, quia Spiritus, ubi vult spirat. 2. vehementer impellere ad bonum; nescit enim tarda molimina Spiritûs sancti gratia, teste S. Ambrosio. 3. æstum concupiscentiæ plurimùm temperare; quæ omnia ex dictis tom. 3. tit. Spiritus sanctus. facilè dilatari possunt.



PRO DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Vide de hac in fine hujus Indicis Dominicalis.

PRO DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

I. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. 14. Potest ostendi, quàm verè Christus in SS. Eucharistia cœnam magnam apparaverit. Est enim 1. magna in se propter cibi & potûs præstantiam. 2. magna propter modum præparandi, nempe miracula intervenientia. 3. magna propter effectus, nam satiat, nutrit, augmentat, pinguefacit, & delectat animam plùs, quàm ullum aliud convivium, ut adeò meritò etiam cum magno desiderio, præparatione, & devotione sumi debeat. Vide tom. 3. tit. Eucharistia.

II. Ex ejusdem thematis occasione dici potest, hanc cœnam esse similem convivio Norimbergæ per tres mensas sibi superimpositas instituto, de quo vide loc. cit. §. 11. n. 8.

III. Item occasione anagrammatis, quo *Eucharistia* idem significat ac *Cithara JESU*, possunt effectus ponores Eucharistiæ indicari, simúlque quomodo hæc cithara pulsari, id est, Eucharistia sumi debeat, ostendi, de quo vide l. c. n. 9.

IV. *Et cœperunt se omnes excusare.* Luc. 14. Afferri possunt, & refutari excusationes, ob quas aliqui horrent venire ad hanc cœnam, de quibus vide l. c. n. 18.

V. *Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Luc. 14. Ostendi potest, quanam potissimùm frequenter ad Eucharistiam accedere debeant; nimirum 1. Pauperes, qui cupiunt in virtutibus & meritis crescere; hic enim audient illud olim S. Augustino dictum: Cresce, & manducabis me, & non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. 2. Debiles in Spiritu, & variis morbis spiritualibus obnoxij; hic enim virtus exibit, & sanabit omnes. 3. Cœci, qui illuminatum necdum intellectum in rebus spiritualibus habent; his enim meritò dicitur: Accedite ad eum, & illuminamini; magisque aperientur oculi, quàm Jonathæ gustato melle. 4. Claudi seu difficulter progredientes in via mandatorum & perfectionis; hic enim magis confortabuntur, quàm Elias per panem ab Angelo allatum; quæ omnia facilè dilatari & probari possunt per ea, quæ in cit. tit. § 3. & 4. dicuntur.

VI. *Introduc huc.* Luc. 14. Dici potest, plerumque in particularibus Ecclesiis præter processionem solemnem in Festo Corporis Christi institutam, privatam iterum processionem institui, & hoc vel maximè esse cuivis boni,

mini, cùm & ipse sit templum DEI, suadendum, quo modo autem id fieri debeat. Vide loc. cit. §.11. n.24.

PRO DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

I. *Nonne dimittit 99. in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Luc. 15. Ostendi potest, quanti Christus fecerit animam hominis, dum eam per tot annos, tot labores, tot cruciatus, ipsámque mortem quæsivit, suóque exemplo etiam alios Pastores ad similem conatum pro animabus suscipiendum excitavit, quotum aliquot exempla ex 10.1. tit. Zelus. & to.3. tit. Anima. enarrari possunt. Inde infeiatur, quas gratias Christo referre debeamus, scilicet nos totos ei committendo; si enim totum me debeo &c. to.3. tit. Passio. §.3. n. 3. O quàm ingrata foret ovicula, quæ à Pastore tam sollicitè quæsita, & in humeros sublata, ultro desiliret, & aufugeret lupis in prædam cessura.

II. *Murmurabant Pharisæi & Scribæ.* Luc. 15. Potest vitium murmurationis diluderi. & 1. quidem ostendi, in quo consistat, nempe quòd sit injusta querela de factis aliorum. 2. quàm sit commune hoc vitium, dum passim tales murmurationes contra æquales, contra Superiores, contra ipsum DEUM audiuntur. 3. quare sit fugiendum, quia scilicet est contra caritatem, quæ jubet onera alterius portare: contra justitiam, quæ monet, ut neminem inauditum damnemus: contra prudentiam, quæ dictat, ut medium inutile ad finem non adhibeamus, quid autem juvat murmuratio ad emendationem? contra obedientiam, quæ monet, ut omnia de manu DEI & Superiorum æquo animo accipiamus dicentes cum S.David: Obmutui, quia tu fecisti. Vide plura to. 2. tit. Detractio (cui affinis est murmuratio) & tit. Judicium temerarium, quod plerumque antecedit murmurationem. Vide etiam Fabium hic. conc. 3.

III. *Quia hic Peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc.15. Potest ostendi, cur quivis Christianus exemplo Christi Peccatores in cor suum recipere, & pro illis orare debeat. Itaque 1. cur eis succurrere debeat, nempe quia sunt membra ejusdem corporis: quia sunt Fratres eodem Christi sanguine spiritualiter progeniti; & quia miseri sunt, & in Latrones infernales inciderunt. 2. Ostendatur, quomodo quis eisdem succurrere possit, nempe corde (compatiendo, & desiderando eis succurrere) ore (precando pro illis assiduò, & verbis, ubi licet, adhortando ad emendationem) opere (varia opera pro ipsis DEO offerendo) de quibus vide tit. Zelus. to.1.

IV. *Cùm invenerit eam, imponit in humeros suos.* Luc.15. Potest dici, optandum esse, ut omnes Christiani pro suo sigillo suo haberent Christum ovem in humeris gestantem, cum inscriptione: Alter alterius onera portate; nihil enim magis necessarium & utile ad concordiam conservandam in communitate. Ostendatur ergo 1. quomodo Superiores Subditorum. 2. Æquales Æqualium. 3. Subditi Superiorum onera portare debeant. Vide tom.1. tit. Dilectio proximi. & Thom. Kemp. l.1. c.16.

V. *Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. Ostendi potest, quantum gaudium quivis peccator per seriam pœnitentiam creare possit DEO, Angelis, Sanctis, Domesticis, Vicinis, Superioribus, sibi ipsi, ante, in, & post mortem; simúlque unum aut alterum medium ad talem pœnitentiam offerri, maximè ut Christo per fiduciam appropinquet. Vide tom.1. tit. Pœnitentia. & 10.3. tit. Conscientia.

VI. *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Luc.15 Ostendi potest, quòd quivis Peccator, qui gratiam divinam per peccatum amisit, mox illam quærere debeat. 1. ergo ostendatur, quàm pretiosa sit hæc drachma. 2. quomodo quærenda sit, nempe per scopam contritionis, vel confessionis, aut examinis conscientiæ. 3. quòd non sit differenda hæc inquisitio. de quibus vide to. 1. tit. Pœnitentia. & to. 4. tit. Gratia. & Thomam Kemp. l.3. c.55.

PRO DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

I. *Cùm turba irruerent, ut audirent Verbum DEI.* Luc. 5. Potest ostendi fervor turbæ in audiendo Verbo Christi, & afferri rationes, cur tunc tam avidè audierint, simúlque ostendi, quàm dissimilis sit fervor in modernis Christianis, & quæ causæ sint hujus teporis, nimirum quia non credunt firmiter, doctrinas in concione propositas DEI Verbum esse, nec simili cum intentione accedunt ad conciones, quæ omnia fusiùs demonstrentur ex iis, quæ de Verbo DEI to. 4. dicta sunt.

II. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Luc. 5. Ostendi potest, quòd plerique homines hæc verba olim in fine vitæ usurpare possint, nimirum quia plerique aut mala agunt, aut extra statum gratiæ agunt, aut sine legitima intentione, quàm autem stultè agant, colligi potest ex similitudine illorum, quibus thesaurus Regis apertus esset cum facultate auferendi inde per horam, quantùm vellent, & possent; an non enim tales stultè agerent, si omnia alia agerent, quàm exportarent divitias ex thesauro &c. Sanè verendum est, ne verificetur olim illud Isaiæ. 19. mœrebunt &c. Vide to. 4. tit. Labor. & to. 1. tit. Intentio. & to. 4. Opus bonum.

III. *In verbo autem tuo laxabo rete.* Luc. 5. Potest ostendi, quomodo quivis homo fructuosè laborare possit, si videlicet in verbo Christi laborem peragat. Hoc autem tripliciter fieri potest. I. In verbo tuo, id est, per gratiam tuam, quæ proin priùs invocanda est dicendo

dicendo cum Ecclesia : actiones nostras &c. 2. Si ad honorem Christi laboremus juxta monitum S. Pauli 1. Cor. 10. sive manducamus &c. 3. Si ad exemplum Christi bene omnia agamus, ut dici possit: Bene omnia fecit. Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. Vide to. 4. Opus bonum.

IV. *Concluserunt piscium multitudinem copiam.* Luc. 5. Possunt fructus multiplices bonorum operum demonstrari, nempe meritorius, satisfactorius, impetratorius, simulque ostendi, quanta consolatio & alacritas in omnibus laboribus sit oritura. Vide to. 4. tit. Opus bonum.

V. *Piscatores autem descenderunt, & lavabant retia sua.* Luc. 5. Potest Examinis quotidiani necessitas, & utilitas demonstrari, & ab initio quinque ejus partes breviter explicari. Vide to. 3. tit. Examen Conscientiæ.

VI. Ex eodem themate etiam frequentioris confessionis necessitas & utilitas demonstrari, frivolæque nonnullorum excusationes refutari possunt. Vide to. 3. tit. Confessio. maximè §. 7.

PRO DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

I. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 5. Potest hypocrisis vitium dissuaderi, & 1. ostendi, quid sit, & unde cognosci queat. 2. quàm commune sit Ecclesiasticis & sæcularibus, ita ut de plurimis dici queat: vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau. 3. quàm exosum sit Deo & hominibus. vide to. 2. tit. Hypocrisis §. 1. & 9. & 10. n. 6.

II. *Omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit judicio.* Matt. 5. Potest iracundiæ vitium dissuaderi, & 1. ostendi, quæ sit iracundia mala. 2. quàm noxia sit, bonis temporalibus, corpori, animæ, societati humanæ &c. Vide to. 2. tit. Iracundia. §. 10. n. 1. item Fabrum hîc conc. 7.

III. Ex eodem themate possunt varia remedia ad iracundiam propriam sedandam proponi & commendari, quæ videre licet tit. cit. §. 9. & §. 10. n. 3. & 4. Item apud Fabrum hic conc. 5.

IV. Ex eodem potest ostendi, quomodo ira aliena compesci possit, de quo vide tit. cit. §. 10. n. 5. & §. 11. n. 1.

V. *Vade priùs reconciliari Fratri tuo.* Matt. 5. Possunt ostendi causæ, ob quas quivis libenter & celeriter inimico suo reconciliari debeat, quas videre licet to. 1. tit. Dilectio inimici. §. 8. & §. 10. n. 4.

VI. Ex eodem themate possunt refutari frivolæ excusationes, quæ à plerisque afferuntur, ne inimicis suis ignoscere cogantur, quas vide tit. cit. §. 10. n. 5.

PRO DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

I. *Misereor super turbam.* Marci 8. Ostendi potest, quinam homines potissimùm misereri debeant aliorum, de quibus vide to. 1. tit. Misericordia. §. 10. n. 2.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo misereri debeant, seu circumstantiæ in misericordia exercenda observandæ proponi, quas vide l. c. n. 3. & §. 9. n. 3.

III. Ex eodem possunt causæ, ob quas misericordia exercenda sit, proponi, & amplificari, quas vide tit. cit. §. 7.

IV. Ex eodem possunt offerri aliquot media ad misericordiam promptè exercendam, quæ vide cit. tit. §. 8.

V. Ex eodem possunt afferri & refutari excusationes, per quas aliqui se eximere volunt ab obligatione misericordiam exercendi, quas vide tit. cit. §. 10. n. 4.

VI. *Ecce jam triduo sustinent me.* Matc. 8. Potest ostendi, quomodo Christum movere possimus, ut necessaria sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia suppeditet, si scilicet per triduum, *Fidei*, quâ credimus DEUM posse, & velle juvare: *Spei*, quâ ad ipsum actu confugiamus, nostrámque ei necessitatem exponamus: caritatis, quâ mandata ejus observamus, &, quidquid DEUS circa nos, aut nostra bona disponit, æquissimo animo disponamus. Hoc sanè triduo si Christum sustineamus, id est, hos actus eliciamus, tantò certiùs sperare poterimus, ipsum dicturum: misereor super turbam: quantò gratiores hi actus, quàm illud triduum, sunt futuri. Vide plura to. 1. tit. Fides, Spes, Caritas, Resignatio.

PRO DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

I. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matt. 7. Potest ostendi, quantopere societas malorum hominum ad ludum, compotationes, luxuriem invitantium, præcipuè mulierum sit devitanda, de quo vide to. 1. tit. Societas.

II. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matt. 7. Ostendi potest, unde quisque colligere possit, se frugiferam arborem esse, nempe ex fructibus bonorum operum, hæc autem an bona sint, debere cognosci. 1. *Ex odore*, si scilicet in gratia, quæ sola bonum & DEO gratum odorem tribuit operibus, sint facta. 2. *Ex colore*, si cum diligentia & decentia extrinseca fiant, non obiter, non perfunctoriè, non tepidè &c. 3. *Ex sapore*, si cum bona intentione fiant; absque hac enim omnia DEO ingrata & insipida sunt. Vide to. 2. tit. Intentio. to. 4. tit. Gratia & Opus bonum.

III. *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Matt. 7. Potest ostendi, quanti referat ad hoc, ut arbor bonos fructus faciat, ut ab initio bene colatur; hinc occasio sumetur de bona educatione liberorum concionandi, de qua vide to. 4. tit. Educatio.

IV. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. Potest ostendi, quos fructus à quovis homine exigat DEUS; sicut enim non à quavis arbore quivis fructus, ita nec à quovis ho-

homine quævis opera exigi queunt. Ostendatur ergo, quòd inprimis quivis fructus Christiano homini convenientes producere debeat. Deinde opera statui suo conformia, id quod percurrendo varios status ostendatur, simúlque probetur & rationibus, & exemplis, quemvis in suo statu perfectum esse posse. Vide to. 4. tit. Christianus.

V. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur.* Matt. 7. Ostendi potest, quæ potissimùm sint impedimenta, ob quæ arbores etiam alioqui bonæ fructum non faciant, nempe 1. Si inutiles rami, puta vana & sensualia desideria, inordinati amores, non præcidantur. 2. Si diu non irrigentur, ut succum attrahere queant, id est, si orationis & Sacramentorum usus negligatur. 3. Si vermes flores & folia consumentes non auferantur, id est, si societates & occasiones malæ non deserantur. Vide to. 1. tit. Oratio. to. 3. tit. Societas. to. 4. tit. Concupiscentia.

VI. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Matt. 7. Potest ostendi inprimus, quàm noxium, turpe, & indignum viro honesto & maximè Christiano, Christi, qui est ipsa veritas, discipulum & sectatorem se profitenti sit mendacium oris; & inde inferatur, quantò detestabilius sit mendacium vitæ, à quo tota salus & felicitas hominis corrumpitur. Vide to. 2. tit. Hypocrisis & Mendacium. & to. 4. tit. Christianus.

PRO DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona sua.* Luc. 16. Dicere potest Concionator, se miram propositionem probaturum, nempe quòd avari sint maximè prodigi. Ostendatur ergo ab initio, quinam sint avari, idque per varios actus probetur; dein ostendatur, quomodo tales bona sua, quæ injustè retinent, reipsa dissipent, dum iisdem neque ad honorem DEI, nec ad salutem propriam, nec ad commodum proximi utuntur. Inferatur ergo, quàm severam olim rationem sint reddituri. Vide tit. Avaritia. to. 2.

II. Ex eodem themate ostendatur, quinam sint maximi dissipatores, & prodigi, nempe qui tempus inutiliter transfigunt, & sine fructu elabi sinunt. Demonstretur ergo 1. Quàm pretiosum sit hoc tempus. 2. Quàm multi sint qui illud dissipant, id quod per varios status hominum facilè probari potest. 3. Quàm severam olim rationem tales prodigi reddituri sint; pro quo scopo vide to. 4. tit. Tempus.

III. *Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16. Ostendi potest, quomodo quivis homo librum rationum componere debeat, in una parte libri scribendo: *accepe beneficium:* in altera: *redde servitium:* seu quod idem est, acceptum & expensum. Ostendatur ergo quàm grande ex una parte acceptum fuerit, enumerando potiora beneficia creationis, conservationis, redemptionis, justificationis, institutæ Eucharistiæ, vocationis ad statum &c. quàm exiguum autem ex altera parte sit expensum, id est, quàm malè compensata & ad præfixum finem usurpata ista beneficia, id quod pariter per enumerationem ostendi potest. Vide to. 3. tit. Ingratitudo. & to. 3. tit. Judicium. & to. 1. tit. Ingratitudo. §. 13. n. 3.

IV. *Filij hujus sæculi prudentiores sunt Filiis lucis.* Luc. 16. Ostendatur prudentia & indefessa vigilantia ac conatus sæcularium in assequendo fine proposito, quàm ingeniosè excogitent media, & quàm efficaciter ea exequantur, id quod in mercaturibus ad augendas opes, in amatoribus ad explendam libidinem, in ambitiosis ad honores obtinendos cernere licet. Ostendatur dein, quàm parùm homines laborent in fine supernaturali assequendo, in spiritualibus opibus, delicijs, & honoribus quærendis & augendis. Vide tit. Prudentia. to. 1. & Thom. Kemp. l. 3. c. 3.

V. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16. Potest ostendi, quomodo misericordia sit unum ex certioribus signis prædestinationis, idque probetur judicio Christi. Matt. 25. Processum judicij proponentis, & misericordibus dicentis: Venite Benedicti. 2. Judicio SS. Patrum. 3. Experientia, de qua S. Hieronymus dixit: Non memini, me legisse, malà morte fuisse defunctum qui libenter opera caritatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri. Vide tit. Misericordia. to. 1.

VI. *Facite vobis amicos.* Luc. 16. Potest misericordia erga animas Purgatorij commendari, & probari, quòd hæc misericordia singulariter conducat ad conciliandum DEUM, atque ad salutem nostram assecurandam, pro qua materia. Vide to. 1. tit. Misericordia erga Defunctos. §. 10. n. 5.

PRO DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

I. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui.* Luc. 19. Potest miserandus status Peccatorum explicari, & 1. quidem oppugnatio & eversio urbis Jerosolymitanæ patheticè describi. Dein spiritualiter ad peccatorem applicari, dicendo quòd inimici Dæmones circumdabunt, ne effugere possit: coangustabunt peccatorum commissorum conscientia: in terram prosternent partim in desperationem, partim in mortem & sepulchrum præcipitando: non relinquent lapidem super lapidem, auferendo omnia bona corporalia & spiritualia, nudumque in alterum orbem rapiendo. Excitari proin possunt Auditores ad pœnitentiam illis verbis: Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum DEUM tuum. Vide to. 1. tit. Pœnitentiæ.

II. *Videns civitatem flevit super illam.* Luc. 19. Ostendi potest, quam justas hodie causas quisque habeat flendi super civitatem, in qua habitat, nempe 1. Quòd DEUS tam graviter offendatur, & tam parùm colatur. 2. Quòd pleri-

plerique terrenis tantùm opibus inhient, nihil de futura vita cogitantes. 3. Quòd caritas & concordia in exilium expulsa sit, dum omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ aliorum; hinc nulla Justitia in tribunalibus, nulla fidelitas inter vicinos & domesticos, nulla misericordia erga infirmos & pauperes; quorum omnium causarum gravitas ex damnis facilè describi potest. Vide tit. Caritas. & Justitia to. 1. tit. Discordia. to. 2.

III. Ex eodem themate potest ostendi, quas alias causas homo habeat, lacrymas saltem internas fundendi, de quibus causis vide to. 4. tit. Lacrymæ §. 8. n. 3.

IV. Item ex ejusdem thematis occasione possunt effectus & fructus piatum lacrymarum ostendi, quos vide l. c. §. 9. n. 2. & §. 3. totu.

V. *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoveris tempus visitationis tua.* Luc. 19. Potest ostendi, quàm varijs modis DEUS nos visitet. Nempe 1. per occultas inspirationes. 2. Per concionatores vivos & defunctos, id est, libros spirituales. 3. Varias tribulationes immittendo. Ostendatur proin, quomodo hæ fieri soleant; quantâ cum reverentiâ & promptitudine accipiendæ: & quàm severa vindicta timenda sit ijs, qui non agnoscunt tales visitationes. Vide to. 1. tit. Pœnitentia & to. 4. tit. Verbum DEI. Item Fabrum in Festo S. Joannis Bapt. conc 7. lit. L.

VI. *Cœpit ejicere in illo, & ementes, & vendentes.* Luc. 19. Potest ostendi, quantopere DEO displiceant distractiones in oratione, pro quo vide to. 2. tit. Evagatio mentis. §. 8. Deinde proponantur aliquot media ad tales distractiones vitandas, quæ vid. tit. cit. §. 9. & 10.

PRO DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

I. *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent.* Luc. 18. Potest ostendi, quomodo in templo sit orandum, scilicet cum quinque conditionibus à Psalmist ps. 46. per vocem psallite quinquies repetitam judicatis, nempe per linguam distinctè: per memoriam attentè: per intellectum intelligenter: per voluntatem affectuosè seu devotè, per corpus reverenter; ubi varij defectus contrahas conditiones committi solitu enumerari, & castigari possunt. Vide to. 1. tit. Oratio.

II. *DEUS, gratias ago tibi*: Luc. 18. Potest gratitudo erga DEUM commendari. Et 1. Ostendi, ob quæ beneficia debeamus gratias agere. 2. Quomodo id præstandum sit. 3. Quis fructus inde petendus, quæ omnia facilè ex to. 1. tit. Gratitudo. §. 10. & seq. demonstrari possunt.

III. *Non sum sicut cæteri hominum.* Luc. 18. Ostendendum, cur nullus se alijs præferre debeat. 1. Quia alia sunt judicia DEI, quàm hominum. 2. Quia de nostris nobis vitijs & peccatis constat, non autem de aliorum, cùm interiora non cognoscamus. 3. Quia ignoramus, an permansuri simus in bono, si quod habemus. Vide to. 2. tit. Superbia. & Thom: Kemp. l. 1. c. 7. & l. 3. c. 4.

IV. *Qui se exaltat humiliabitur.* Luc. 18. Potest ostendi, quàm nullus homo ullam causam superbiendi ob quodcunque donum habeat. de quo vide cit. tit. §. 12. n. 1. & fusiùs in Instruct. 8. fol. 92.

V. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 18. Potest humilitas commendari, & 1. Ostendi, in quo consistat. 2. Rationes afferri, ob quas singulari studio exercenda sit. pro quo vide to. 1. tit. Humilitas. §. 8. 10. n. 3.

VI. *Descendit hic justificatus in domum suam.* Luc. 18. Potest vis & efficacia contritionis commendari. Et 1. quidem ostendi, in quo consistat. 2. Quàm vim habeat ad hominem justificandum, Deòque reconciliandum. 3. Quantopere ob varia pericula & casus assuefacere se debeant homines ad illam crebrò eliciendam, ut per ipsam defectum confessionis suppleant. Vide tit. Pœnitentia. to. 1. & Caritas.

PRO DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

I. *Adducunt ei surdum.* Marc. 7. Ostendi potest, paucos quidem esse surdos corpore, multos autem Spiritu, ac proin hos in hac concione adducendos, & curandos esse. Igitur dicatur aliquos surdos esse in audiendo DEO vocante ad certum statum, quæ surditas præ cæteris periculosa est; quia hi audient quondam illud prov. 1. quia vocavi vos &c. 2. alij surdi sunt in audiendo verbo divino, dum vel omnia non, vel non fructuosè audiunt. 3. alij in audienda voce Superiorum, dum non obediunt. 4. alij ad correptiones sive voce, sive flagello factas, qui omnes proin quomodo surditatem hanc deponere debeant, ostendatur. Vide tit. Obedientia. to. 1. & tit. Verbum Dei. to. 4.

II. *Adducunt ei mutum.* Marc. 7. Pariter varij muti adduci & curari possunt. 1. Muti in templo, dum orandum est. 2. Muti in cathedra, dum concio habenda, & vitia increpanda. 3. Muti in confessionali, dum peccata explicanda. 4. Muti in veritate dicenda, quando opus est ad propriam vel alienam correctionem. Vide to. 2. tit. Mendacium. to. 3. tit. Confessio. to. 4. tit. Acceptio Personarum.

III. *Solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Marci. 7. Potest ostendi, quàm necessarius sit modus rectè loquendi, & in quo consistat. de quo vide to. 4. tit. Lingua.

IV. *Deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Marci. 7. Potest ostendi, cur Christum assiduò deprecari debeamus, ut linguam nostram curet, ob varia damna, quæ ex lingua malè custodita oriuntur varijs Personis, quæ vide tit. Lingua. to. 4. §. 11. n. 5.

V. Ostendi potest, quomodo quilibet ipsemet vinculum linguæ solvere, &, ut rectè loquatur, efficere queat per media tit. cit. §. 10. & §. 12. n. 7.

VI. *Bene omnia fecit.* Marc. 7. Potest doceri ars auri conficiendi, id est, bona opera, quem totum conceptum vide to. 1. tit. Intentio bona. §. 11. n. 2.

PRO DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

I. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.* Luc. 10. Ostendi potest, cur DEUS sit ex toto corde amandus, quia scilicet in eo tanquam fonte infinities meliùs reperiuntur causæ amoris ab Ethicis assignari solitæ, videlicet pulchritudo, bonitas, similitudo, Amor, quæ omnia facilè ex ijs, quæ to. 1. tit. Caritas. to. 1. & tit. DEUS. to. 3. dicuntur, demonstrari, & probari possunt.

II. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Luc. 10. Possunt inprimis rationes demonstrari, quare proximus sit diligendus, de quibus vide to. 1. tit. Dilectio Proximi. §. 12. n. 6. & §. 9. Deinde verò regula genuina dari, juxta quam hic amor exercendus est, quæ tit. cit. §. 1. v. Actus.

III. *Hoc fac, & vives.* Luc. 10. Potest ostendi necessitas dilectionis DEI & proximi conjungendæ, pro qua vide tit. cit. §. 3. à n. 13. Subinde possunt explicari potiora officia dilectionis proximi, prout tit. cit. §. 11. n. 4. indicantur.

IV. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho, & incidit in Latrones.* Luc. 10. Possunt mali Socij Latronibus comparari, prout eos S. Bernardus vocavit, simùlque ostendi, quantò peiores sint Latronibus corpus occideotibus, de quo vide, tit. Societas, to. 3.

V. *Alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. Ostendi potest, quomodo correctio & sanatio proximi exerceri, & efficacia cum suavitate conjungi debeat, de qua vide to. 1. tit. Dilectio Proximi. §. 3. à n. 25. & §. 11. n. 5. & §. 12. n. 11.

VI. *Et viso illo præterivit.* Luc. 10. Ostendi potest, quinam veri amici censendi sint, quod quidem colligi potest ex actibus ad veram amicitiam requisitis, quos to. 4. tit. Amicitia. §. 1. n. 3. & seq. indicatos vide, & pro amplificatione ac probatione, quæ subsequuntur, lege.

PRO DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Levaverunt vocem dicentes: JESU præceptor, miserere nostri.* Luc. 17. Potest Luxuria lepræ comparari. 1. Quia deturpat & commaculat corpus. 2. Quia est hæreditarium peccatum, ut lepra. 3. Quia est difficillimæ curationis, ut lepra. Hinc optimum medium recursus ad DEUM juxta exemplum Salomonis sap. 8. & ut scivi &c. Deinde ad Christum in SS. Eucharistia, nam duo hoc Sacramentum operantur in nobis &c. Vide to. 3. tit. Eucharistia. §. 3. n. 10. & ad B. Virginem, quæ solo suo aspectu amorem castitatis instillavit. Vide tit. Luxuria to. 2.

II. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Luc. 17. Confessionis necessitas, utilitas, & jucunditas demonstrari potest; simúlque excusationes vel causæ absterrentes refutari. Vide to. 3. tit. Confessio. §. 9. & 10.

III. *Unus autem, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans DEUM.* Luc. 17. Potest gratitudo persuaderi, & 1. illius gradus explicari; dein motiva potiora ad eam impellenoa proponi & commendari. Vide to. 1. tit. Gratitudo.

IV. *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO.* Luc. 17. Potest ostendi, quantopere vitium ingrati animi displiceat DEO, & hominibus noceat; simúlque unum aut alterum medium, præsertim exemplum brutorum, submministrari ad tale vitium devitandum. Vide tit. Ingratitudo. to. 2.

V. *Cecidit ante faciem ejus gratias agens.* Luc. 17. Possunt fructus gratitudinis ostendi, præsertim autem, quòd sit optimum & efficacissimum medium ad nova & plura beneficia impetranda, id quod testimonio S. Scripturæ, SS. Patrum, exemplis, similitudine fluminum ad mare recurrentium, ut iterum fluant, & nostra ipsorum consuetudine, qui illis libentiùs damus, quos gratiores esse cognoscimus, probari potest. Vide to. 1. tit. Gratitudo.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quibus potissimùm grati esse debeamus, videlicet 1. Parentibus. 2. Præceptoribus, qui dederunt bene esse. 3. Benefactoribus. 4. Inimicis & persequentibus nos, quia sunt virga Patris cælestis castigantis, & dant occasionem virtutum & meritorum, uti argumentantes in disputatione. Vide cit. tit. Gratitudo. & tit. Pietas in Parentes. Item Fabrum hic conc. 2.

PRO DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

I. *Nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. 6. Potest ostendi, quod, cùm nemo possit duobus Dominis servire, per consequens etiam nemo Mundo & DEO servire simul queat. Ostendatur ergo, quantò æquius sit Deo ac Mundo servire, sive Persona ipsa, cui servitur: sive servitia, quæ præstanda sunt: sive merces, quæ ab utroque promittitur, considerentur. Vide to. 3. tit. DEUS. §. 11. n. 2. & to. 4. tit. Mundus. §. 9. & 10.

II. *Non potestis DEO servire & Mammonæ.* Matt. 6. Ostendi potest, quàm grave sint impedimentum divitiæ ad serviendum DEO, eùmque in finem Dici, quòd Mammona similis sit Ægyptijs, qui, ut Exod. c. 5. legitur, oppresserunt Israëlitas laboribus, ne DEO servire & sacrificare possent. Exaggerentur ergo isti labores divitum, in divitijs acquirendis, conservandis, augendis, & ostendatur, quomodo à cultu DEI per orationem, Sacrificia, & Sacramenta usurpanda impediant, quámque adeò verè

verè dixerit Servator. Matt. 19. Difficile esse divitem in regnum cælorum. Vide pro hoc scopo plura, to. 4. tit. Divitiæ.

III. *Nolite solliciti esse, quid manducetis.* Matth. 6. Ostendi potest, qualem sollicitudinem hîc vetuerit Dominus, scilicet eam, quâ homo omnem fiduciam in sua industria & viribus ponens, putat se non nisi proprio labore obtinere necessaria ad sustentationem posse; hæc enim cùm DEI providentiam & fidelitatem ipso facto neget, non potest non ei summopere displicere, uti ex exemplo de duobus operarijs, quorum alter noctu diùque laborans vix necessaria obtinebat; alter quotidie SS. Missæ sacrificium audiens & moderatè laborans ditescebat, patet. Ostendatur ergo ulterius, quæ sit moderata & licita sollicitudo, nempe ea, quæ ante omnia DEO debitum cultum & servitium præstat, postea ordinaria media statui suo convenientia sedulò & cum quiete adhibet, & de reliquo omnem sollicitudinem DEO committit, quæ omnia possunt exemplo Jacobi Patriarchæ singularem à DEO benedictionem obtinentis, ut ex c. 30. & seq. Gen. patet, confirmari. Vide to. 1. tit. Spes & Fabrum conc. 9. n. 4.

IV. *Quærite regnum DEI; & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. 6. Possunt hæc verba optimis literis sensualibus comparari, quem conceptum latè explicatum vide cit. tit. Spes. §. 12. n. 4.

V. *Nonne anima plus est, quàm esca?* Matt. 6. Potest inprimis animæ, atque exinde ipsius etiam hominis præstantia demonstrari, & ex psalmo 8. probari, quòd omnes reliquæ creaturæ ipsi velut Domino sint subjectæ. Ex quo postea inferri potest, quantam hic titulus fiduciam illi ingenerare debeat; si enim DEUS aves, lilia & alias creaturas tanta cum providentia nutrit, quis credere possit, eum suam providentiam homini, propter quem hæc omnia conservat, negaturum; ostendatur ergo, quàm providè DEUS omnibus animam vegetativam aut sensitivam habentibus necessarium nutrimentum concedat. Vide to. 1. tit. Spes. & to. 3. tit. Anima.

VI. *Respicite volatilia cæli.* Matt. 6. Ostendi potest, quòd vel ab avibus discere debeant homines, quomodo se gerere debeant in ijs, quæ ad necessariam sustentationem pertinent. 1. Moderatè quærere suam sustentationem, & de reliquo se divinæ providentiæ absque inordinata sollicitudine committere. 2. Contenti esse cibo & potu, quem DEUS submiserit. 3. Iisdem non immoderatè uti, sed quantùm ad conservationem vitæ est necessarium. 4. Gratias debitas diligenter pro victu persolvere, sicut aves cantant post sumptam escam. Vide to. tit. Gula. & Ebriet. & Ingratitudo. to. 2.

PRO DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

I. ECce *defunctus efferebatur.* Luc. 7. Potest ostendi, per quæ potissimum vitia mors hominibus acceleretur, nempe per crapulam, luxuriam, iracundiam, & acediam, id quod facilè de singulis demonstrari potest ex ijs, quæ de his vitijs to. 2. tit. Acedia, Gula, Iracundia, Luxuria sunt dicta.

II. *Noli flere.* Luc. 7. Ostendendum, quomodo Auditores se in morte carorum amicorum gerere debeant, nempe 1. non immoderatè turbari aut flere, cùm sive ex parte providentiæ DEI hanc mortem permittentis: sive ex parte mortui jam cælo fortè recepti, sive ex parte sua; qui immoderato luctu nocent corpori, animæ, fortunis, famæ suæ, nullas habeat causas lugendi, unde exemplum Davidis l. 2. Reg. 12. sequendum. 2. Precibus potiùs, quàm pompa funebri aut fletibus succurrere. 3. Salutaria proposita concipere, illud maximè Eccle. 38. Memor esto judicij mei, quia sic erit & tuum, unde præ omnibus decernendus usus mediorum ad felicem mortem obtinendam conducentium. Vide tit. Mors. §. 12. n. 8. & Fabrum conc. 6.

IV. *Et turba civitatis cum illa.* Luc. 7. Ostendi potest, cur mortui libenter ad sepulturam comitandi sint, nimirùm quia DEO hoc obsequium valde *gratum* est; utpote qui sibi præstitum reputat, quod uni ex minimis factum est: & quia *utile* valde ijs, qui comitantur; ut patet in Tobia c. 1. & 12. & tandem valde *conveniens*, cùm ipsa animalia non rarò hoc officium præstitisse legantur. Dein ostendatur, quomodo comitari debeant, nempe juvando precibus, & salutares cogitationes & proposita pro nobis concipiendo. Vide tit. Mors to. 3. & Fabrum. c. 8.

V. *Ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris suæ.* Luc. 7. Potest ostendi, cur mors à DEO decreta, & salutares ex causis illis doctrinæ erui, de quibus vide tit. cit. Mors. §. 1. n. 1. & Fabrum hîc conc. 2.

VI. *Accepit autem omnes timor.* Luc. 7. Possunt Auditores ad Sanctum DEI timorem concipiendum excitari ob commoda, quæ ex tali timore reportant, maximè, quòd sicut P. Aarrozium Societatis JESU Sacerdotem innoxium in aula degere fecit, ita idipsum cujvis homini in orbe degenti præstet. Vide to. 1. tit. Timor. §. 6. n. 4. & §. 11. n. 7. & Fabrum conc. 1.

PRO DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

I. ET *ipsi observabant eum.* Luc. 14. Potest ostendi, cur judicia humana spernenda sint, quia nimirùm *temerè* agunt, qui ea timent, dum volunt effugere, quod nec ipse Christus potuit: *imprudenter*, dum timent à cæcis de colore judicari, cùm solus DEUS de internis judicare possit: & prætereà tales nihil nocere possint suis judicijs &c. *noxiè*, dum tales nihil bene agunt, ut Polycletes Pictor ostendit, qui, dum in imagine membra juxta cujusque sensum pinxit, turpissimam imaginem fecit. Hinc meritò S. Paulus 1. Cor. 4. mihi pro

minimo est &c. Vide to. 2. tit. Judicium temerarium. & Thomam Kemp. l. 3. c. 36. & 46.

II. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Luc. 14. Potest avaritiæ vitium dissuaderi, & hydropi comparari. Ob effectus similes, quos producit, quosque indicatos reperies to. 2. tit. Avaritia §. 12. n. 6.

III. *Ipse verò apprehensum sanavit eum.* Luc. 14. Potest ostendi, quomodo inprimis contrahatur morbus hydropicus. Dein varia media ad eum curandum proponi, de quibus vide cit. tit. §. 11. n. 1. & 3. & §. 10. toto.

IV. *Si licet Sabbato curare?* Luc. 14. Ostendi potest, cur dies festi ritè celebrari debeant, nimirum propter DEUM & Sanctos, qui talibus diebus singularia beneficia aut contulerunt, aut acceperunt: propter nos, ut DEUM colere, variaque ab eo beneficia impetrare possimus: propter servos & bruta, ut quietem habeant à laboribus. Dein ostendatur, quomodo observandi sint, nimirum maturè surgendo, maturè templa frequentando, maturè incipiendo orare, aliáque facere, quæ illo tempore peragi debent. Vide to. 1. tit. Oratio, & Fabrum hìc conc. 2. & 3. ubi varij defectus diebus Festis committi soliti castigantur.

V. *Cùm vocatus fueris, recumbe in novissimo loco.* Luc. 14. Ostendi potest, cur ultimus locus sit appetendus, nempe quia cùm quisque se minimum debeat æstimare, *convenientissimus* est: deinde *quietissimus*, cùm nemo illum eripere aut infestare velit: quia *honorificentissimus* utpote Christo & Sanctis proximus: & tandem quia *aptissimus* ad exaltationem, ut Christus in hodierno Evangelio ostendit. Vide plura tit. Humilitas. to. 1.

VI. *Cùm intraret JESUS in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum.* Luc. 14. Dici potest, Christum ideo toties convivia frequentasse, ut doceret modum Christianè ea frequentandi. id quod fiet. Si 1. ante convivium finis refectionis ob oculos habeatur, bona intentio formetur, oratio præmittatur. 2. In convivio temperantia, modestia, dilectio proximi exerceatur. 3. Post convivium gratiarum actio fiat, novum propositum bene propter DEUM operandi concipiatur, & reliquiæ colligantur tum corporales, dando eas pauperibus; tum spirituales, id est, salubres cogitationes de meliori cibo & convivio animæ in æternum præparando concipiantur. Vide to. 1. tit. Temperantia.

PRO DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

I. **H***Oc est maximum, & primum mandatum.* Matth. 22. Ostendi potest, cur hoc sit mandatum maximum, de quo vide to. 1. tit. Caritas. §. 11. n. 2.

II. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde.* Matt. 22. Ostendi potest artem amandi DEUM esse omnium dignissimam, utilissimam, jucundissimam, & facillimam, uti ex cit. tit. Caritas facilè probari potest.

III. Ex eodem themate declarari potest, ex quibus indicijs colligi possit, aliquem verè diligere DEUM, nempe ex pulsu animæ, qui duplex est, unus, per quem expelluntur ex corde creaturæ velut corruptus aër, alter, per quem attrahitur magis DEUS, quantæcunque difficultates & pericula intercedant. Explicentur ergò fusiùs hi duo actus, & cur quisque sedulò exercendus sit, ostendatur. Vide cit. tit. Caritas. & to. 4. tit. Concupiscentia.

IV. Ex eodem persuaderi potest, ut omnia sua agant ex amore DEI, ut dicere possint cum S. Augustino: Amor meus pondus meum; hoc feror, quocunque feror. Explicentur deinde commoda, quæ ex hac intentione reportabuntur, ut scilicet per illam actiones perfectiùs jucundiùs, faciliùs, constantiùs peragantur. Vide tit. c. Caritas. & tit. Intentio bona. to. 1.

V. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matt. 22. Ostendi potest, quomodo per amorem proximi lucrari possimus amorem DEI, Christi, Sanctorum, proximi, juxta illud Senecæ: Monstrabo tibi amatorium sine herba, sine medicamento, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari, ama. Vide to. 1. tit. Dilectio proximi. §. 12. n. 2.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodò quisque proximum ut seipsum diligere debeat, de quo vide tit. cit. §. 9. n. 1. simúlque unum vel alterum medium offerri ad hanc dilectionem promptè constantérque exercendâ; qualia cit. tit. §. 8. præscribuntur.

PRO DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

I. **E***Cce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto.* Matt. 9. Possunt Peccatores inveterati huic Paralytico comparari ex effectibus similibus, & inde quàm gravis, noxius, & propè incurabilis morbus sit talis consuetudo ostendi. Dein potest ostendi, quo medio tales Peccatores liberari debeant à sua Paralysi, nempe *surgendo* ad orationem, & continuam gratiæ divinæ implorationem: *tollendo lectum*, id est, contrarias vitijs virtutes exercendo, sicut Paralyticus lectum portabat, à quo ipse priùs portabatur: *vadendo in domum suam*, id est, recedendo à Diabolo, & ad Christum, unde discesserat, redeundo, cum firmo proposito nunquam ampliùs ipsum deserendi. Vide to. 3. tit. Consuetudo. §. 9. & Fabrum hìc conc. 2. n. 2.

II. *Confide, Fili, remittuntur tibi peccata.* Matt. 9. Possunt proponi tituli, ob quos meritò quivis Peccator sperare potest sibi condonatum iri peccata, si ad Christum confugiat, quorum primus est *Misericordia DEI*, de qua vide.

vide to.3. tit. DEUS. §.2. à n.27. & §.3. à n.15. & §.5. n.18. Secundus *Fidelitas DEI* promittentis toties veniam petentibus, de qua vide to.1. tit. Pœnitentia. §.2. à n.19. & §.3. à n.19. Tertius *Bonitas divina* & *Amor DEI* erga homines, de quibus vide cit. tit. DEUS. §.2. n. 49. & 50. & to.1. tit. Spes. §.11. n.2.

III. *Hic blasphemat.* Matth 9. Potest blasphemiæ gravitas ostendi, & unum, alterúmve medium contra eam proponi, & commendari; de qua materia vide to.2. tit. Blasphemia. §.7.8.

IV. Ex ejusdem thematis occasione potest illud remedium proponi, quod in eodem tit. §.10. n.6. indicatur.

V. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Matth.9. Potest ostendi, quomodo se quisque circa cogitationes gerere debeat. Nempe sicut Janitor civitatis se gerit cum Peregrinis adventantibus, ita ut 1. portas sensuum diligenter custodiat, & clausas habeat. 2. Si apertæ hæ portæ esse debeant, neminem intromittat, priusquam examinet, quò tendat? quid facere velit in civitate; ut enim suadet Thomas Kemp. l.3. c.11. non omnis affectio, quæ videtur bona, statim est tenenda. 3. Ut si contra voluntatem se intrusit Peregrinus, mox eum cum indignatione & violentia expellat; quæ omnia facilè cogitationibus malis applicari possunt, & inde inferri, quantam laudem, amorem & præmium ex tali fidelitate talis homo apud DEUM sit reportaturus. Vide tom.3. tit. Tentatio. & Thom. Kemp. l.3.

VI. Ex ejusdem thematis occasione potest ostendi, cur DEUS etiam bonos homines malis cogitationibus vexari permittat, nimirum ob tres causas, quarum primam S. Paulus 2. Cor.12. indicavit dicens: ne magnitudo revelationum extollat. Secundam S. Gregorius assignavit, dum Hugonem ejusmodi cogitationibus vexatum bono animo esse jussit, dicens, istiusmodi tribulationibus velut igne aurum, id est, homines justos probari. Tertiam Christus ipse S. Birgittæ indicavit, dicens; Hæc est vera æquitas, ut, quemadmodum tu aliquando, me invito, vanis Mundi rebus te oblectâsti, ita nunc quoque invita cum illis confligere cogaris. Unde duo colligenda. 1. non esse signum inimicitiæ, sed amicitiæ, talibus cogitationibus contra voluntatem cruciari, uti pulchrè libellus de Imit. l.3. c.6. ostendit: non ideo totum perditum &c. 2. non nocere sensum, si desit consensus; imò tantò esse ampliorem meriti occasionem, quantò molestiores sunt cogitationes. Hinc S. Bernardus c.19. de inter. domo: Molesta est lucta, sed fructuosa: quia si habet pœnam, habebit & coronam: non nocet sensus, si desit consensus: imò quòd resistentem fatigat, vincentem coronat. Vide to.3. tit. Tentatio. & Thom. Kemp. cit. c.6. non te conturbent &c.

PRO DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

I. *VEnite ad nuptias.* Matth.22. Potest beatitudo æterna nuptiis comparari. 1. quia sicut in nuptiis omnia lætitiã spirant, & optimis epulis satiantur Hospites, ita & in cælis est *omnis boni præsentia*, juxta illud ps.16. Satiabor &c. & ps.35. Inebriabuntur &c. 2. Sicut in nuptiis omne, quod tristitiam creare, & lætitiam turbare posset, longissimè arcetur, ita & in cælis est *omnis mali absentia*, juxta illud Isa.49. Non esurient &c. & Apoc.21. Et absterget &c. 3. Sicut in nuptiis est gratissima amicorum Societas, omnésq; splendida & nuptiali veste vestiti sunt; ita & in cælis omnes veste gloriæ ornati, jucundissimè inter se sociabuntur. 4. Sicut nuptiæ diutius plerumque, quàm alia convivia aut conventus durant, ita & in cælis beatitudo in æternum durabit, juxta testimonium Christi Jo.16. Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Vide to.3. tit. Beatitudo.

II. *Vidit hominem non vestitum veste nuptiali.* Matth.22. Ostendi potest, quænam sit vestis nuptialis, sine qua nullus ad cælestes nuptias intromittetur, nempe caritas, id quod ex effectibus vestis colligi potest. Nam 1. sicut vestis operit nuditatem corporis, ita caritas operit multitudinem peccatorum, teste S. Jacobo c.5. 2. Sicut vestis protegit à cæli injuriis, ita & caritas à tribulationibus, quia aquæ multæ non possunt extinguere caritatem. Cant. 8. 3. Sicut caritas hominem ornat, & dignitatem ejus indicat, ita & caritas, quia quantitas (& dignitas) cujusq; animæ æstimatur de mensura caritatis, quam habet, teste S. Bernardo. 4. Sicut nemo ad nuptias sine veste nuptiali admittitur, ita nec sine caritate ad nuptias cælestes; nam, ut S. Gregorius ho.25. super illud Evang. *Domine si tu sustulisti &c.* ait, in quantùm quisque amat, in tantum ad ingressum regni appropinquat. Excitentur ergo Auditores ad vestem hanc omni conatu procurandam, simúlque, quâ ratione eam obtinere possint, ostendatur. Vide tit. Caritas. to.1.

III. *Ecce prandium meum paratum est.* Matth.22. Potest ostendi, quàm pretiosum, fructuosum, & jucundum prandium in SS. Eucharistia præparaverit Christus. Inferatur subinde, quàm grandis ingratitudo sit eorum, qui ad tale prandium venire recusant, sive amor & benevolentia invitantis: sive necessitas & utilitas invitati: sive ipsius prandij præstantia & dulcedo consideretur. Vide to.3. tit. Eucharistia.

IV. *At ille obmutuit.* Matth.22. Ostendi potest, quòd in hac quidem vita variæ excusationes à Peccatoribus afferantur, quibus more Adami foliis ficus se operientis peccata sua minuere & excusare conantur, sed quæ in altera vita nihil valebunt; earum 1. est: Dæmon decepit me; sed licet sollicitare & lattare is possit, mordere tamen non potest, nisi volentem. 2. quòd proximus causam dederit ad lapsum; sed occasio hominem fragilem non facit, sed qualis quisque sit ostendit. 3. quòd consuetudo impulerit; sed nihil impossibile apud DEUM; hinc S. Augustinus, S. Magdalena, S. Paulus, & alij, eandem feliciter superârunt. 4. quòd passionum vehementia prostraverit; sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Gen.4. Vide plura. tit. Consuetudo. [illegible] to.3.

to. 3. & tit. Concupiſcentia. to. 4. & Fabrum hîc. conc. 5.

V. *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. Poteſt oſtendi gravitas infernalium ſuppliciorum, ſimúlque excitari Auditores, ut memoriam & timorem inferni exemplo S. Franciſci Borgiæ præmittant velut prodromum ad omnia loca, in quibus occaſio peccandi, vel patiendi ipſis offerri poteſt. Vide tom. 3. tit. Infernus. §. 12. n. 1. 2. & 4.

VI. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 22. Oſtendi poteſt cauſa, cur tam pauci electi ſint ex Chriſtianis, & dici, id ideo plerumque fieri, quòd viva fide non credant ea, quæ de inferni ſuppliciis Catholica fides doceat, alioqui ſanè ſtultiſſimos fore, ſi pergerent tam graviter peccare. Oſtendatur ergo per varias authoritates omnia veriſſima eſſe, ut vel ſic ſalubrem timorem inferni concipiant, & per eandem à peccatis abſterreantur juxta illud Eccleſiaſtici: In omnibus operibus tuis memorare noviſſima, & in æternum non peccabis. Vide cit. tit. §. 12. n. 6. & Fabrũ conc. 2. in Dom. 20.

PRO DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

I. E*Rat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur.* Jo. 4. Poteſt oſtendi, cur morbi à DEO permittantur, nempe ob triplicem manifeſtationem. 1. Ut manifeſtetur malitia & gravitas peccati, per quod ejuſmodi mala ſunt invecta, atque adeò odium erga illud concipiatur. 2. Ut manifeſtetur virtus & profectus eorum, qui tales morbos patiuntur; hinc S. Paulus 2. Cor. 12. dixit: Libenter igitur gloriabor &c. propter quod complaceo &c. 3. Ut manifeſtetur gloria DEI tum per potentiã, tum per miſericordiam, tum per juſtitiam oſtenſam; hinc Chriſtus Jo. 11. dixit: Infirmitas hæc non eſt ad mortem &c. Excitentur ergo Auditores, ut ob hos fines ſtudeant patienter ſuos morbos ſufferre; pro quo ſcopo vide plura toto tit. de Patientia. to. 1. & Fabrum hîc. conc. 1. tit. c.

II. *Domine, deſcende, priuſquam moriatur Filius meus.* Jo. 4. Commendari poteſt uſus Euchariſtiæ duplicis generis hominibus, qui mori incipiunt. 1. illis, qui ſunt in occaſionibus graviter peccandi; aut jam actu peccârunt, & ſunt in periculo mortis æternæ per malam conſuetudinem incurrendæ; quibus hoc Sacramentum ſummè neceſſarium & utile eſt. 2. illis, qui in agone conſtituti ſunt, ut illud per modum viatici ſumant memores verborum ab Angelo ad Eliam dictorum 3. Reg. 19. *Surge, & comede, grandis enim* (id eſt, difficilis & periculoſa) *tibi reſtat via.* Vide tit. cit. Euchariſtia. & Fabrum conc. 3.

III. Ex eodem themate poſſunt Auditores excitari ad Unctionem extremam libenter & reverenter ſuo tempore ſuſcipiendam. Et 1. quidem oſtendatur, quàm graves tentationes & pugnæ cum morbo, morte, peccatis præteritis & Dæmonibus ſint ſubeundæ, quámq; adeò promptè ſuſcipi debeat Unctio, quâ Chriſtus & Eccleſia ungunt infirmum, ut fortiter certare poſſit. 2. proponantur, & refutentur efficaciter rationes, quæ frequenter abſterrent infirmos, quò minùs hoc Sacramentum ſuſcipere velint. Vide to. 3. tit. Unctio extrema. & Fabrum conc. 4.

IV. *Rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret Filium ejus.* Jo. 4. Oſtendi poteſt, qualem curam Paterfamilias habere debeat erga Domeſticos ſuos, juxta illud Apoſtoli 1. Tim. 5. Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet &c. Demonſtretur ergo, quomodo inprimis *animæ* curam habere debeat, ut inſtruatur in virtutibus, moribus, ſcientiis: dein *corporis*, ut habeat neceſſaria in victu, veſtitu, habitatione; & ſi ſanitas læſa eſt, etiam pro ejuſdem recuperatione. Oſtendatur autẽ, quàm gravis obligatio illis incumbat hanc curam ſuſcipiendi. de qua vide to. 4. tit. Educatio. & Fabrũ cõc. 5.

V. *Et credidit ipſe, & domus ejus tota.* Jo. 4. Poteſt exempli boni efficacia demonſtrari ex Reguli hujus facto, qui, quia credidit in Chriſtum, mox etiam tota domus credidit. Oſtendatur ergo, quomodo quivis Paterfamilias, ſi domeſticos in oratione devotos, in labore impigros, in moribus modeſtos, in menſa temperantes, Superioribus obſequentes habere voluerit, id melius, citiúsq; obtinere non poſſit, quàm ſi exemplo præeat. Vide to. 3. tit. Exemplum. §. 12. n. 3. & Fabrum conc. 8. n. 4.

VI. *Credidit homo ſermoni, quem dixit ei JESUS, & ibat.* Jo. 4. Oſtendi poteſt, fidem ſolam non ſufficere ad ſalutem, ſed etiam opera caritatis jungenda eſſe, ſicut iſte Regulus non tantùm credidit, Filium ſuum ſanatum eſſe, ſed etiam ivit ad eum videndum, & cum gaudio tanquam ſanum amplexandum. qua de materia vide to. 1. tit. Fides. & paſſim Controverſiſtas.

PRO DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

I. S*Imile eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* Matth. 18. Poteſt ſeveritas judicij ex tribus proprietatibus Judicis demonſtrari, quia ſcilicet eſt infallibilis propter ſapientiam: infugibilis propter potentiam: inflexibilis propter juſtitiam. de quibus vide plura to. 3. tit. Judicium. & apud Fabrum conc. 6.

II. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Matth. 18. Oſtendi poteſt, quàm miſericors ſit DEUS, qui ad tam paucas voces ſeriò prolatas omne debitum dimittit. Deinde verò quàm æquum ſit, ut omnia reddere ſtudeamus per pœnitentiam magno cum fervore ſuſceptam, uti multi Sancti fecerunt. Vide to. 1. tit. Pœnitẽtia. & to. 3. tit. Deus. V. Miſericordia.

III. *Redde, quod debes.* Matth. 18. Oſtendi poteſt, quòd hæc verba omni ferè ſtatui conveniant, nempe Clericis, Judicibus, Hoſpitibus & Mercatoribus, Opificibus, Dominis, Servis. Demonſtretur ſubinde, quem fructum ex tali redditione reportaturi ſint, ſcilicet, ut de ipſis verificetur illud pſ. 105. Beati, qui cuſtodiunt

judi-

judicium, & faciunt justitiam omni tempore. Vide plura to.1. tit. Justitia. §.11. n. 4.

IV. *Nonne ergo & te oportuit misereri Conservi tui?* Matth.18. Potest ostendi, quàm æquum sit, ut quivis homo Inimico suo ignoscat, si meminerit, quòd ipse quotidie dicat in oratione Dominica: Et dimitte &c. Demonstretur ergo, quàm dispar sit offensarum conditio, sive Personæ offensæ dignitas, sive offensarum gravitas, sive earundem frequentia attendatur. Vide tit. Dilectio Inimici. to.1.

V. *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.* Matth.18. Potest ostendi, quàm multos offendat is, qui vindictam de proximo capit, quámq; adeò meritò graves pœnas timere debeat. Vide cit. tit. §.11. n.2.

VI. *Et debitum dimisit ei.* Matth.18. Possint ostendi fructus copiosi, qui ex dilectione Inimici reportantur, & tum selectis SS. Patrum sententiis, tum aptis historiis probari. de quibus vide cit. tit. §.3. & 10.

PRO DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

I. *MAgister, scimus quia verax es.* Matth.22. Potest adulationis vitium dissuaderi, & canicidis (den Hundeschlagern) adulatores comparari. 1. quia ut illi canibus, ita hi hominibus insidiantur. 2. quia ut illi laqueum suum tegunt, ita hi suas fraudes. 3. quia ut illi interitum canum, ita hi exitium eorum, quibus adulantur, quærunt. Vide tom.4. V. Adulatio. & Fabrum hîc. conc.1.

II. *Non enim respicis Personam hominum.* Matth.22. Dici potest, optandum esse, ut de omnibus hoc dici posset, nihil enim esse communius & nocentius acceptione Personarum, id quod in tribunali utroque, sacro & profano, maximè videre est. Vide to. 4. tit. Acceptio Personarum.

III. *Cujus est imago hæc?* Matth.22. Ostendi potest, quàm verè homo sit imago DEI, sive potentiæ hominis, maximè memoria, intellectus, & voluntas; sive finis, ob quem creatus est, scilicet ut cognoscat & amet DEUM, considerentur. Inferatur subinde, quàm gravis culpæ reus fiat homo, si hâc imagine abutatur ad offensam DEI, eámque per varia vitia inhonoret, & commaculet. Vide to.3. tit. Anima. & Peccatum.

IV. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Matth. 22. Ostendi potest, quàm copiosos fructus sperare possint ij, qui per justitiam suum cuique tribuunt; quámq; adeò verum sit, quod Sap. 8. dicitur: Si quis justitiam diligit, labores hujus magnos habent virtutes, quas vide to.1. tit. Justitia. §.11. n.5.

V. *Reddite, quæ sunt DEI, DEO.* Matt.22. Ostendi potest, quomodo ante omnia DEO, quod suum est, tribuere debeamus, scilicet duplicem cultum, *generalem*, qui consistit in optima vita, & est cultus DEO gratissimus, amplissimus, & perpetuus: & *particularem*, qui in eo consistit, ut exercitia, quæ ad DEI cultum immediatè pertinent, qualia sunt Oratio, Missæ auditio, Sacramentorum susceptio, Concionum auditio, & similia, cum magna devotione, reverentia, & constantia peragantur. Dein demonstretur, quis fructus ex hoc cultu sperari possit, scilicet ille, quem Ecclesia in hymno Corporis Christi indicat, dum canit: *Sic nos tu visita, sicut te colimus.* Unde meritò visitatio & benedictio in bonis fortunæ (puta divitiis, fama) gratiæ, & gloriæ speranda. Vide to.1. tit. Oratio. & to.3. tit. DEUS.

VI. *Cujus est imago hæc?* Matth.22. Potest imaginum cultus commendari. Et 1. quidem ostendi, in quo consistat hic cultus, seu, quâ intentione & modo colendæ & honorandæ sint Sanctorum imagines. 2. quòd hic cultus non tantùm licitus, sed etiam à Scriptura commendatus, & continuâ Ecclesiæ praxi sit receptus. 3. qui fructus ex eo sperari possint, nempe Sanctorum benevolentia ob honorem sibi in imagine exhibitum: memoria illustrium exemplorum ab iis relictorum, & excitatio ad imitationem: excitatio variorum affectuum repræsentationi convenientium; si enim ideo turpium imaginum aspectus prohibetur, ne mala desideria concipiantur, quidni ob contrarium effectum honestarum & piarum imaginum aspectus & cultus suadeatur, & permittatur? Vide to.1. tit. Sanctorum cultus. & Fabrum hîc, conc. 8.

PRO DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

I. *DOmine, Filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Matth. 9. Ostendi potest, cur defunctis succurrendum sit, pro quo fine una vel altera ratio ex iis, quæ to.1. tit.16. §.7. proponuntur, afferatur, & amplificetur. Dein praxis solida eisdem succurrendi ostendatur, prout in cit. tit. §.9. n.5. indicatur.

II. Ex eodem themate possunt motiva, quæ supra, infra, extra & intra nos habemus ad animas juvandas, proponi, & sic causarum impellentium copiâ magis excitari Auditores ad opem illis crebrò & ferventer ferendam, pro quo scopo vide cit. tit. §.10. n.1.

III. *Et deridebant eum.* Matth.9. Potest dici, quòd iis, qui succurrere volunt animabus, idem ferè contingat, quod Christo, dum & ipsi scilicet derideantur ab iis, qui aut nullum Purgatorium credunt, ut Hæretici: aut iis, qui putant, caritatem incipere à seipso, atque adeò opera pro se offerenda esse: aut iis, qui putant, pro peccatoribus magis orandum esse: aut iis denique, qui putant, DEUM in justitia sua impediendum non esse, maximè cùm ipsæ etiam animæ satisfacere justitiæ divinæ cupiant. Refutentur ergo hi omnes, & quàm frivolæ sint hæ rationes & excusationes, ostendatur. pro quo scopo vide tit. cit. §.9. n.4. & §.10. n.13.

IV. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, sana ero.* Matth. 9. Ostendatur, quæ causa sit, cur multi Christiani non tantùm linguâ tangentes, sed etiam sumentes Christum, non tamen sanentur, nimirum 1. quia cum exigua fiducia & desiderio ad SS. Eucharistiam accedunt, non credentes Christum posse sanare suos morbos. 2. quia non reverenter eum tangunt. 3. quia non tangunt Christum, id est, non cooperantur ad seriam curationem. Vide hæc fusiùs explicata to. 3. tit. Eucharistia. §. 10. n. 5.

V. *Non est mortua Puella, sed dormit.* Matth. 9. Potest mors somno comparari; quia sopiuntur omnes potentiæ corporis, cessat tempus & occasio merendi; quiescit homo à laboribus, amici deserunt &c. Ostendatur deinde, quòd ad mortem sicut ad somnum præparare se quisque debeat. Et 1. examen conscientiæ facere, gratias agendo DEO pro beneficiis, & peccatorum veniam per contritionem vel confessionem procurando. 2. sumere ein Schlaff-trunck / per sanguinem Christi in SS. Eucharistia sumptum. 3. exuere se vestibus, id est, dispositionem facere de bonis suis. 4. preces nocturnas, id est, ad mortem piè obeundam accommodatas recitare. Vide to. 3. tit. Mors.

VI. *Puella, tibi dico, surge.* Matth. 9. Ostendi potest, quomodo peccator curari possit, nimirum 1. clamando per occultas inspirationes, lectiones pias, exhortationes privatas, conciones publicas, ut surgat. 2. tenendo manum ejus & elevando à statu peccati ad statum gratiæ. 3. jubendo ei dari cibum SS. Eucharistiæ & voluntatis DEI, per quem confortetur, ut vivere ulteriùs possit. Vide to. 1. tit. Pœnitentia.

PRO DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

I. *Erit tunc tribulatio magna.* Matth. 24. Potest enarrari processus judicij per Parabolam to. 3. tit. Judicium. §. 12. n. 6. indicatam, applicatámque; aut certè aliquot motiva ex § 9. ad judicij extremi horrorem ingenerandum proponi.

II. *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Matth. 24. Potest judicium tempestati comparari, ob terrorem & alios effectus, & ostendi, quomodo propterea ad B. Virginem tanquam laurum confugere debeant Auditores, ut fulmine ultimæ sententiæ non feriantur. Vide tit. c. §. 10. n. 7. & §. 12. n. 3.

III. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Matth. 24. Possunt ostendi varij montes vel asyla, ad quæ confugere possint ij, qui in Judicio supremo tuti esse cupiunt; quales vide cit. §. 12. n. 3. indicatos. item apud Fabrum hic. conc. 5.

IV. *Tunc apparebit signum Filij hominis.* Matth. 24. Ostendatur, cur Crux in die judicij sit comparitura, juxta illud Ecclesiæ: Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit; nimirum 1. ad Christi gloriam, ut per hoc justior condemnatio eorum appareat, qui tantam misericordiam neglexerunt, & eorum præcipuè, qui Christum persecuti sunt, sicut cùm homicida plectitur juxta cadaver occisi, inquit S. Thomas. 2. ad justorum solatium; tunc enim omnes servi Crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum Judicem cum magna fiducia, teste Thoma Kemp. l. 2. c. 12. 3. ad terrorem reproborum; tunc enim verificabitur illud Sap. 5. Videntes turbabuntur &c. Excitentur ergo Auditores, ut nunc Crucem amplectantur, ament, colant, qui enim modò libenter audiunt, & sequuntur verbum Crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Vide to. 3. tit. Crux.

V. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Matth. 24. Ostendi potest, quinam judicium supremum maximè timere debeant, videlicet prægnantes, quales sunt 1. Principes & Magistratus, qui multos sub se Subditos habuerunt; de illis enim verificabitur illud Sap. 6. horrendè apparebit vobis &c. 2. Qui magna talenta & dona acceperunt; cui enim multùm datum est, multùm repetetur ab eo; & cùm augentur dona, etiam rationes crescunt donorum, teste S. Gregorio hom. 9. 3. Qui consuetudine contractâ in peccatis obduruerunt, juxta illud Isaiæ 5. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis &c. Excitentur ergo tales, ut maturè sibi prospiciant, & pœnitentiâ judicium præveniant, cessat enim vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Vide tit. Pœnitentia. to. 1. & Fabrum hic. conc. 6.

VI. *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme.* Matth. 24. Potest ostendi, quòd pœnitentia non sit ad mortem differenda, eò quòd sicut in hyeme sunt dies breves, grave frigus, & perpetua tempestas nivium, imbrium, ventorum &c. ita & in morte sit breve tempus ad pœnitendum: grande frigus tepiditatis ob dolores, aliáq; incommoda morborum: graves tentationes ob peccata præterita, impugnationes dæmonum, timorem judicij &c. Excitentur itaque Auditores, ut ad pœnitentiam non fugiant in hyeme mortis, sed in æstate juvenilis, aut virilis ætatis, ut tantò minùs timoris concipiant ob imminens judicium. Vide to. 1. tit. Pœnitentia.



PRO

PRO DOMINICA I. POST PENTECOSTEN, SEU FESTO SS. TRINITATIS.

I. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matt. 28. Poteſt explicari pro capacitate Auditorum Myſterium SS. Trinitatis, & cauſæ afferri, cur illud firmiter credere, & profiteri debeamus. de quo vide to. 3. tit. DEUS. §. 3. ân. 3. & §. 5. ân. 3. & §. 11. n. 9.

II. Ex eodem themate oſtendi poteſt, cur hoc Feſtum præ omnibus Feſtis devotè ſit celebrandum; & quomodo id ipſum aptiſſimè fieri poſſit. de quo vide cit. to. 3. §. 11. n. 10.

III. Ex eodem oſtendi poteſt, quàm grata ſit DEO laus illa Eccleſiæ, quâ canit: Gloria Patri &c. & quomodo Auditores perpetuum *Gloria Patri* aut Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. juxta Sanctorum Angelorum exemplum canere poſſint. de quo vide to. 3. tit. DEUS. §. 11. n. 12.

IV. *Cujus eſt imago hæc?* Matt. 22. Oſtendi poteſt hominem eſſe imaginem SS. Trinitatis, & inde inferri, quanto in honore hæc imago habenda; quàm ſollicitè ab omni macula per peccatum contrahi ſolita cuſtodienda: quantóſque ob hunc cultum fructus quiſque ſperare poſſit. Vide to. 3. tit. Anima. §. 11. n. 1.

V. Ex eodem narrari poteſt hiſtoria ex ſpeculo magno Exemplorum de ſervo, qui à Domino ſuo ductus ad Dæmonem, eíque ſe mancipare juſſus ubi audivit, abnegandam ſibi SS. Trinitatem eſſe, in hæc verba prorupit: reddo me SS. Trinitati: ſicque Dæmonem fugavit. Inferatur ſubinde, quòd idem quivis homo facere debeat, idque propter Potentiam Patris, Sapientiam Filij, & Bonitatem Spiritus S., quæ tres proprietates ab ijs, qui ſervire cupiunt, in Dominis requiruntur. Vide cit. tit. DEUS. §. 11. n. 2.

VI. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus.* Matt. 28. Oſtendatur, quomodo SS. Trinitas ſemper ſit nobiſcum. 1. Per *immenſitatem* & *præſentiam*; unde excitandi Auditores, ut quòd S. Bernardus de S. Angelo Cuſt. dixit: In omni *angulo Angelo tuo reverentiam habe; nec audeas illo præſente, quod me præſente non auderes*, multò magis erga SS. Trinitatem obſervetur. 2. Per *potentiam* adjuvando & protegendo nos, unde fiducia concipienda, iterúmque applicandum, quod S. Bernardus de Angelis dixit: Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, tantùm adhæreamus eis &c. 3. Per *ſapientiam* dirigendo nos, unde providentiæ illius omnia committenda, omniſque ſollicitudo in illam proijcienda. Vide cit. tit. DEUS. §. 3. & 5.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.



Præter hanc Bibliothecam Manualem sequentes quoque Instructiones à R. P. TOBIA LOHNER S. J. conscriptæ & publicæ luci datæ Dilingæ venales prostant.

INstructio practica Prima de SS. Missæ Sacrificio juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo. Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis.

Instructio practica Secunda de Horis Canonicis juxta Rubricas Breviarij Romani ritè recitandis, in qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur.

Instructio practica Tertia de Conversatione Apostolica à Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda, complectens varios & solidos modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas.

Instructio practica Quarta Pastorum, continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale Munus piè, fructuosè ac securè obeundum pertinentes, unà cum Casibus frequentiùs circa idem Officium occurrere solitis, & ex communiore Doctorum sensu decisis.

Instructio practica Quinta de Confessionibus ritè ac fructuosè excipiendis, Doctrinas tam generales, quàm speciales ad varios Hominum Status accommodatas complectens.

Instructio practica Sexta Institutiones quintuplicis Theologiæ, positivæ videlicet, Asceticæ, Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, unà cum Appendice Methodum conpendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio Tridentino tactæ continente.

Instructio practica Septima de Munere concionandi, exhortandi, catechizandi, continens non tantùm præcepta ad artem concionandi discendam accommodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis, Patrocinij, novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum, Peregrinationibus, Congregatione Rosarij, Funeribus & Sepulturis & apud Rusticos instituendis.

Instructio practica Octava Institutiones Theologiæ Mysticæ, seu facilem & practicum modum Exercitia Spiritualia S. P. Ignatij Loyolæ per octiduum faciendi; item triduanam recollectionem fructuosè instituendi complectens, & Sacerdotibus præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo deliberantibus accommodata, unà cum Appendice Octiduanam Recollectionem Religiosis, aliisque perfectionis Studiosis applicante.

Instructio practica Nona de Sacerdotij Origine & Præstantia, Varijs item Industrijs, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad DEI gloriam, suámque & Proximi salutem promovendam funt usi, malorum quoque Sacerdotum infelici interitu, radicibus, & remedijs. Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & Sacramentalium administratione serviunt, complectens, in calce adjectum est.

Quas proximè sequetur

Instructio practica Decima Institutiones Juris Canonici complectens.

Præter has Instructiones & sequens Opus ab eodem R. P. TOBIA LOHNER S. J. conscriptum, ac Dilingæ prælo subjectum, ibidem venale habetur.

Geistliche Außfertigung Philotheæ oder einer Gottliebenden / und Christo durch die drey Ordens-Gelübd vermählten Seelen. Das ist: Kurtze und gründliche Unterweisungen / wie sich ein Geistliche Ordens-Persen in ihrem Geistlichen Beruff nach nach dem Willen Gotes richten / und verhalten soll. Der Erste Theil. Worinnen enthalten die jenige Lehren / welche vor der Profession sollen in obacht genommen werden.

Der Geistlichen Außfertigung Philotheæ oder einer Gottliebenden / und Christo durch die drey Ordens-Gelübd vermahlten Seelen Anderer Theil. In welchem die Lehren / welche sie nach der Profession in obacht nemmen solle / kürtzlich angedeut / und erläutert werden.

Der Geistlichen Außfertigung Philotheæ oder einer Gottliebenden / und Christo durch die drey Ordens-Gelübd vermählten Seelen Dritter Theil. In welchem etliche Außtheilungen der Materien für die Betrachtungen und Erforschungen der acht- oder dreytägigen Versamblung ordentlich / und weitläuffig fürgeschriben werden.

F I N I S.





